Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/ouresiphoiteshel01sche





Melchior Füsslinus Tigur. pinx. Jos. Nutting Lond. Sculp.t

JOHANNES JACOBUS SCHEUCHZERUS
Med. D. Helvetio-Tigurinus SOC. Reg. Lond. et Acad. Nat.
Cur. dictus ACARNAN Nat. IV. Non. Aug. 1672.



Anna Waſera Tigurina delin.



ΟΥΡΕΣΙΦΟΙΤΗΣ HELVETICUS,

Sive

ITINERA

Per

HELVETIÆ ALPINAS REGIONES

Facta

ANNIS

MDCCII. MDCCIII. MDCCIV. MDCCV. MDCCVI.
MDCCVII. MDCCIX. MDCCX. MDCCXI.

Plurimis Tabulis æneis illuſtrata

à

JOHANNE JACOBO SCHEUCHZERO,

Tigurino, Med. D. Math. Prof. Acad. Leopoldino-Carolinæ & Socc. Regg. Anglicæ ac Pruſſicæ Membro.

IN QUATUOR TOMOS DISTINCTA.

TOMUS PRIMUS,

Noviſſimè atque auctior Editus, & comprehendens

ITINERA ANNORUM MDCCII. MDCCIII. MDCCIV.



LUGDUNI BATAVORUM,

Typis ac Sumptibus PETRI VANDER Aa.

M DCC XXIII.

PERILLUSTRI
SOCIETATI REGIÆ
ANGLICÆ

Hunc

ITINERUM
ALPINORUM
FASCICULUM

Humillimè Dicat

ΟΥΡΕΣΙΦΟΙΤΗΣ.

*





Sumptibus D. Isaaci Newton Equitis Aurati, Societatis Regalis Præsidis, &c.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Habent Itinera quævis ἑλκυστικόν τι, ea inprimis, quæ ad Indos & Garamantas fiunt: ſumus plerique ita comparati, ut peregrina & admiremur & veneremur, & ea, quæ in quotidiano noſtro ſunt conſpectu, negligamus: utut ad horum veritatem facilior nobis pateſcat aditus, quàm ad illorum. Cœci ruimus in rerum remotiſſimarum à nobis amplexus, patriarum & ignari, & incurii. Eò uſque etiam ſeſe extendit cœca noſtra curioſitas, ut ſæpe fictitia prorſus & Romantica excipiamus pro veris. Examini, quæ in extremis Terrarum, inprimis ignotarum, angulis reperiuntur, vel non ſubſunt, vel rarò. Hæc non in medium profero, ut præjudicio ſint Itinerariis tot, quæ quidem inde à detectis Indiis in Orbis Literati comparent Theatro. Singulis ſuam concedo fidem, authoritatem, pretium ſuum, & ſunt ex iis, quæ maximi facio, quorumve Scriptores vel propter ἀκρίβειαν in Ob-

ſervationibus laudo, vel labores inſumtos, pericula Terrâ Marique ſuſcepta, mira Fortunæ fata, bona plurima Europæ illata, Medicinæ, Oeconomiæ, Commercio valde proficua. Nîl quoque detractum volo Itineribus tot, quæ publicam viderunt lucem, per Europæ Provincias, licet fugitivo ſæpe oculo factis, quæ ſiſtunt vel Antiquitates Gentium, vel Mores, vel Politiam, vel Eccleſiarum ſtatum, vel Naturæ etiam producta. Stet per me & iis authoritas ſua & æſtimatio, major tantò, ſi rigidum ſuſtulerit examen. Nemo interim mihi vitio verterit, ſi omnibus aliis præferam, quæ per Provincias Patrias ſuſcipiuntur, Itinera. Maximâ heic opus attentione, quia errores in omnium civium & incolarum incurrunt oculos, veritas à nemine non poteſt explorari: ſiſtunt, quod noſtrum eſt, ſeu in Politiâ, ſeu in Naturâ: res plurimis licet, propter nimium in res exteras ſtudium, incognitas: dant, quod poſſidemus, & tamen neſcimus: ducunt, quò ire cuivis noſtrum licet, ſed vetat vel occaſio, vel voluntas: pandunt Patriæ noſtræ Theſauros, dotes aperiunt, uſui noſtro applicant, exteris etiam

po-

populis optimâ fide ſiſtunt, quæ alienâ vel crediderunt hactenus, vel pro falſis venditârunt: alios ad ſimiles labores ſubeundos alliciunt. Hujus generis eſt Opus, quod nitidiſſimis ſuis Typis Orbi Literario exhibere voluit Dominus *Petrus Vander Aa*, tot aliis & ſumtuoſiſſimis dudum Celebratiſſimus. En ὁδηγὸν, qui Te, Benevolum Lectorem ducet per Regiones exteris plerunque vel inviſas, vel invias, vel per tranſennam duntaxat conſpectas! per Regiones campeſtres, montoſas, Lacus, Flumina, Valles, arduas Rupes, ad ipſa eaque celſiſſima Alpium juga, prima Fluminum tot Europæ celebriorum ſtamina; &, ne in via tædium te occupet, vel terror invadat, oblectat jucundâ nunc Vegetabilium, nunc Mineralium, nunc Animalium, proſpectuum variorum, Antiquitatum Romanarum, Incolarum, Cœli & Soli, Aquarum Medicatarum, Diluvianarum Reliquiarum, Regiminis, Morum deſcriptione & contemplatione, Sculpturarum plurimarum elegantiâ ac nitore, Experimentorum Phyſicorum varietate. Fateor, me ὀρεσιφοίτην Itinera hæc conſcripſiſſe non eum in finem, ut lucem adſpicerent publicam, ſed

primarium fuiſſe ſcopum, ut ex Collectaneis his & aliis *Hiſtoriam* conficerem *Helvetiæ* totius *Naturalem* atque *Geographicam*. Sed addidit ad publicandas ipſas excurſiones meas animum tum variarum Societatum Literariarum, tum Eruditorum in omni fere Europa, quibuſcum commercium foveo, applauſus, inprimis verò Perilluſtris *Societatis Regiæ Anglicæ* approbatio, quæ propriis & largis impenſis Londini A. 1708. Typis excudi voluit *Itinera Alpina Tria*, Annorum nimirum 1702. 1703. 1704. quæ ipſa nunc comparent denuò, ſed reviſa, innumeris locis correcta & aucta: aucta inſuper Itineribus ἀνεκδότοις Annorum 1705. 1706. 1707. 1709. 1710. 1711. quæ Lectoribus ſeſe commendabunt non elegantiâ duntaxat Tabularum jam olim in Angliâ ſculptarum, ſed novarum plurimarum, quas in Operis complementum abs me deſideravit, & publico impertiri voluit laudatiſſimus Typographus. Fruere hoc multi ſudoris & laboris opere feliciter, Benevole Lector, & Acarnana porro ama.

JOHANNIS JACOBI SCHEUCHZERI,
ITINERUM ALPINORUM
O R D O.

Incipit Deſcriptio

Itineris *Primi* ——	Pag. 3	Itineris *Sexti* ——	Pag. 429
—— *Secundi* ——	65	—— *Septimi* ——	467
—— *Tertii* ——	147	—— *Octavi* ——	523
—— *Quarti* ——	169	—— *Noni* ——	591
—— *Quinti* ——	352	*Acarnania* —— ——	609

PETRUS VANDER Aa
LECTORI Salutem.

PRodiit non ita pridem apud me, Viri Clariſſimi, Domini *Johannis Jacobi Scheuchzeri Herbarium Diluvianum*, duplo auctius, in fol. *cum figuris*, id quod omnibus ejuſmodi Elegantiarum Cultoribus fuit gratiſſimum. Nunc accipis, *Benevole Lector*, ejuſdem Celeberrimi & Præſtantiſſimi Auctoris *Itinera Alpina* omnia, facta Annis 1702. 1703. 1704. 1705. 1706. 1707. 1709. 1710. 1711. in *quatuor diviſa Tomos*. Ornata ſunt ingenti numero nitidiſſimarum figurarum, ad originalia, ab Auctore eum in finem tranſmiſſa, exactiſſime æri inciſarum, (quibus præterea, deſiderantibus id plurimis Viris eruditis, adjuncta eſt *Charta Geographica Helvetiæ.*) Talibus ſcilicet ornamentis digniſſimum erat egregium illud Opus, in quo tot & tanta explicantur Naturæ miranda, ut facile pateat, in hoc genere nullibi unquam quid prodiiſſe ſimile. Accedit rerum certitudo ſumma: Auctor quippe omnia, quæ recenſet,

ipſe ſpectavit, luſtravit, & rimatus eſt, inque locis ipſis, quæ ejus eſt dexteritas, conſignavit planiſſime. Quanto labore, ſudore, periculo, ea cognoverit, Itinerum hiſtoria docebit optime; adeo ut vel hoc unico Opere ab Orbe Literario, & inprimis curioſorum Naturæ Cultoribus, gratiam inierit immortalem. Fruere, *Benevole Lector*, his deliciis, tanto labore partis, dum ego occupor aliis in Tui gratiam parandis. Patere interim, ut hic adjungam ſtudii, quo feror, de Te bene merendi indicium, Catalogum Librorum, qui prodiere apud me noviſſime.

CATALOGUS LIBRORUM,

Qui vel noviſſimè, vel paulo ante, apud PETRUM VANDER Aa prodierunt.

Theſaurus Antiquitatum & Hiſtoriarum Italiæ, Neapolis, Siciliæ, Sardiniæ &c. ex Conſilio & cum Præfationibus *Petri Burmanni*, Tomus IV^{us} V^{us} VI^{us} VII^{us} VIII^{us} & IX^{us} in folio, 21. voll. *cum figuris*.

—— Tomus X^{us} Siciliam, Sardiniam &c. complectens, in folio, 13. voll. *cum figuris*, brevi prodibit.

Opuſculum Anatomicum: de fabrica Glandularum in corpore humano, continens binas Epiſtolas quarum prior eſt Hermanni Boerhaave, ſuper hac re, ad Fredericum Ruyſchium; altera F. Ruyſchii ad H. Boerhaave, qua priori reſpondetur, *in* 4°. *cum figuris*.

Hermanni Boerhaave Index primus Plantarum quæ in Horto Academico Lugduno-Batavo reperiuntur, *in* 8°.

—— Index alter Plantarum quæ in Horto Academico Lugduno-Batavo aluntur, *in* 4°. 2 voll. 1720. *cum figur.*

Hermanni Boerhaave de comparando certo in Phyſicis, *in* 4°.

—— de Chemia ſuos errores expurgante, *in* 4°.

—— de Vita & Obitu Viri Clariſſimi Bernhardi Albini, *in* 4°.

Guiljelmi Jacobi 's Graveſande Phyſices Elementa Mathematica, Experimentis confirmata, ſive Introductio ad Philoſophiam Newtonianam, *in* 4°. *cum figuris*. 2 voll.

—— Inſtitutiones Philoſophiæ Newtonianæ, in uſus Academicos, *in* 12°. *cum figuris*.

Johannis Jacobi Scheuchzeri Herbarium Diluvianum, Editio Noviſſima, duplo auctior, in folio, *cum figuris*.

Theſaurus Imaginum Piſcium Teſtaceorum; quales ſunt Cancri, Echini, Echinometra, Stellæ Marinæ, &c. Ut & Cochlearum; inter quas nu-

numerantur Lunares, Laciniatæ; Trochii, Valvatæ, ſive Semilunares; Valvatæ Striatæ; Caſſides tuberoſæ, verrucoſæ, læves & Murices; Globoſæ; Buccinæ; Strombi; Volutæ; Alatæ; Porcellanæ majores & minores; Cylindri, &c. quibus accedunt Conchylia, ut Nautiſus, Cornu Ammonis, &c. Conchæ Univalviæ & Bivalviæ; quarum ſpecies ſunt Solenes Univalvii, Chamæ aſperæ, Chamæ læves, Pectines, Pectunculi, Tellinæ, Solenes, Bivalvii, Muſculi, Pinnæ, Oſtrea, &c. Denique Mineralia; uti Metalla, Lapides & Argillæ, variis in locis reperta. Quorum omnium maximam partem *Georgius Everhardus Rumphius M. D. Et Academiæ Cæſareæ Naturæ Curioſorum Collega*, *dictus Plinius Indicus*, collegit, jam vero Naturæ Amator & Curioſus quidam in hunc ordinem digeſſit, & nitidiſſimè æri incidi curavit. *In folio.* cum figuris.

Seb. Vaillant Sermo de Structura Florum, horum differentia; uſuque partium eos conſtituentium, habitus in ipſis auſpiciis Demonſtrationis publicæ Stirpium in Horto Regio Pariſino 10. Junii 1717. & Conſtitutio Trium novorum generum Plantarum; *Araliaſtri*, *Scherardiæ*, *Boerhaaviæ*. Cum deſcriptione duarum Plantarum novarum genere poſtremo Inſcriptarum. in 4°.

Joh. Wilſon Principia Trigonometriæ; ſuccincte demonſtrata. in 8°.

R. Moſis Maimonidis Conſtitutiones de Siclis; quas Latinitate donavit & notis illuſtravit *Johannis Eſgers*. in 4°.

Fundatoris, Curatorum & Profeſſorum Celeberrimorum, aliorumque Illuſtrium Virorum, quorum gratiâ, favore, curâ, Doctrinâque Academia Lugduno-Batava incepit, auctaque & ornata eſt, Effigies: Nec non Urbis, Academiæ ejuſque Horti, Templorum notabiliorumque publicorum Ædificiorum proſpectus. *in Fol. 2. voll.*

Joh. Marckii, Sylloge Diſſertationum Philologico-Theologicarum, ad ſelectos quoſdam textus Veteris Teſtamenti. Argumenta præcipua, de Shalem Melcitſedeciana, Circumciſione Tſipporica, Veſtitu Annuo Pontificis, Hirco Hazazelis, Inceſtu Vetito, Divini Nominis Interdicto, Iſraëliticis Jubilæis, Synedrii Magni Originibus, Corachi Hiſtoria, Propheta ſimili Moſi, Divortiorum Lege, Jiphtachi Voto, Hendorica Pythoniſſa, &c. Paulo Plenius exponuntur, & quorundam Pſalmorum Analyſes Exegeticæ miſcentur. Cum Indice Textuum, Rerumque & vocum, neceſſario, in 4°.

Marmorea Baſis Coloſſi *Tiberio Cæſari* Erecti ob Civitates Aſiæ Reſtitutas poſt horrendos terræ Tremores. Cujus Coloſſi fides a Jo. Meurſio oppugnata defenditur, tantum non oculis exhibetur & venuſta proponitur. Tempus, numerus & nomina Civitatium reſtitutarum ubique falſus & varius ab recentibus Commentatoribus traditus; verus & certus ex Marmorea Baſi publico inſtrumento feliciter probatur. Primus trans Alpes vulgavit, revocavit, notis uberioribus & novis obſervationibus ac nummis illuſtravit *Laurentius Theodorus Gronovius*. in 8°.

Petri Magnol Hortus Regius Botanicus Monſpelienſis, *in* 8°. *cum figuris.*

Catalogus Librorum tam Impreſſorum

rum quam Manuſcriptorum Bibliothecæ publicæ Univerſitatis Lugduno Batavæ. *in folio.*

Thom. Crenii Analecta Critico-Hiſtorica. *in Octavo.*

—— Faſcis Exercitationum Philolog. Hiſtor. tom. II. III. IV. & V. *in Octavo.*

—— Muſæum Philologicum & Hiſtoricum, *in Octavo.*

Diſputationes Theolog. Philolog. & Philoſophicæ habitæ ſub Præſidio Profeſſorum earund. Facult. in Acad. Leid. ab A°. 1715. uſque ad præſens tempus, *in* 4°.

Deſiderii Eraſmi Roterodami Opera Omnia, emendatiora & auctiora, ad optimas editiones præcipuè quas ipſe Eraſmus poſtremò curavit ſumma fide exacta, Doctorumque Virorum notis illuſtrata. In decem tomos diſtincta, quorum primo, in hac Editione, præfixa ſunt Elogia & Epitaphia Eraſmi, a Viris Doctis conſcripta, nec conjunctim unquam antea ſic edita, cum Indicibus totius Operis copioſiſſimis. *in fol.* XI. voll. *cum fig.*

—— eadem opera, Charta Majori.

—— Paraphraſes omnes in Novum Teſtamentum. Editio nova, accuratior & emendatior, in qua acceſſere ſummaria ſingulorum Capitum, Verſio Vulgata margini adjecta, Verſuumque numeri adnotati. *In folio.*

—— Epiſtolæ omnes, plusquam quadringentis novis, ut & Iconibus Doctorum Virorum auctiores, *in folio.* 2. voll.

Ant. Ferratii Selectæ Quæſtiones. *in* 8°.

Geſta *Franciſci Mauroceni. in* 4°.

Chriſtoph. Helvici Elenchi Judaici. Probus de Monarchia regni Iſraëlis. Eglini Captivitatis Babylonicæ Hiſtoria, *in* 8°.

Jocoſeriæ Diſſertationes. *in* 12°.

Henr. Kippingii Antiquitatum Romanarum libri quatuor. Quibus continentur Res Sacræ, Civiles, Militares, Domeſticæ. Editio noviſſima & multo ſtudio paſſim emendata, cui acceſſerunt Notæ quædam Viri docti, Figuræ ex antiquis Monumentis ſelectiſſimæ, & *Juſti Lipſii* Opuſcula rariora, quæ in Corpore reliquorum ejus Operum non extant. *In* 8°.

Ger. Noodt Opera Varia. *In* 4°.

Novum Teſtamentum, Græcè & Latinè, ex verſione & cum annotationibus, ſingulis paginis ſubjectis, *Deſiderii Eraſmi Roterodami*, Editio nova, accuratior & emendatior. *in folio.*

Nouveau Theatre du Monde, ou la Geographie Royale, composée des nouvelles Cartes très exactes, dreſſées ſur les obſervations de Meſſieurs de l' Academie Royale des Scienees à Paris, *ſur celles des plus celebres Geographes, ſur de nouveaux memoires & rectifiées ſur les Relations les plus recentes des plus fidéles Voyageurs. Avec une Deſcription Geographique & Hiſtorique des quatre parties de l'Univers, deſquelles l'Europe en detail eſt écrite par Mr.* Guedeville *& les trois autres parties par Mr.* Ferrarius. *Ouvrage qui donne une Idée claire & facile de la Terre, & de ce qu' elle comprend de plus conſiderable.* in folio, *en forme d'un Atlas.*

Oeuvres de *Mr. Mariotte, diviſées en*

deux

deux Tomes, Imprimées ſur les Exemplaires les plus exacts & les plus complets, revuës & corrigées de nouveau. 4°. 2. voll. *avec figures.*

Oeuvres de Mrs Perrault *en Phyſique & en Mechanique*, 4°. 2. voll. *avec Figures.*

La plus nouvelle Academie Univerſelle dex Jeux, contenant les Regles des Jeux de Cartes permis; des Echecs, du Trictrac, &c. Avec des Inſtructions faciles pour apprendre à les bien joüer. Derniere Edition, revû, corrigé, augmenté & enrichi des Figures en Taille-douce, 2. Tomes, 12°.

Voyages trés curieux & trés renommez, faits en Moſcovie, Tartarie, & Perſe, par le Sr. Adam Olearius, *Bibliothecaire du Duc d'Holſtein, &c. Dans lequels on trouve une Deſcription curieuſe, & la Situation exacte des Païs & Etats, par où il a paſſé, tels que ſont la Livonie, la Moſcovie, la Tartarie, la Medie, & la Perſe, & où il eſt parlé du Naturel, des Maniéres de vivre, des Mœurs, & des Coutumes de leurs Habitans; du Gouvernement Politique & Eccleſiaſtique; des Raretez qui ſe trouvent dans ces Païs; & des Ceremonies qui s'y obſervent. Traduits de l'Original, & augmentez par le Sieur de* Wicquefort. *Auteur de l'Ambaſſadeur & de ſes Fonctions. Nouvelle Edition, revuë & corrigée exactement, augmentée conſiderablement, tant dans le Corps de l'Ouvrage, que dans les Marginales, & ſurpaſſant en bonté & en beauté les precedentes Editions. A quoi on a joint des Cartes Geographiques, des Repreſentations des Villes, & autres Tailles douces trés belles & trés exactes.* in Folio 2. *voll.*

Voyages Celebres & Remarquables, faits de Perſe aux Indes Orientales, par le Sr. Jean-Albert de Mandelslo, *Gentilhomme des Ambaſſadeurs du Duc de Holſtein en Moſcovie & Perſe. Contenant une Deſcription nouvelle & très curieuſe de l'Indoſtan, de l'Empire du Grand-Mogol, des Iles & preſqu'îles de l'Orient, des Roïaumes de Siam, du Japon, de la Chine, du Congo, &c. Où l'on trouve la ſituation exacte de tous ces Païs & Etats, & où l'on raporte aſſez au long le Naturel, les Mœurs, & les Coutumes de leurs Habitans; leur Gouvernement Politique & Eccleſiaſtique; les Raretez qui ſe rencontrent dans ces Païs, & les Ceremonies qu'on y obſerve. Mis en ordre & publiez, après la Mort de l'Illuſtre Voïageur, par le Sr.* Adam Olearius, *Bibliothecaire du Duc de Holſtein, &c. Traduite de l'Original, par le Sieur* A. de Wicquefort, *Auteur de l'Ambaſſadeur & de ſes Fonctions. Nouvelle Edition, revûë & corrigées exactement, augmentée conſiderablement, tant dans le Corps de l'Ouvrage qu'aux Marginales, & ſurpaſſant en bonté & en beauté les precedentes Editions. On y a encore ajouté des Cartes Geographiques, des Repreſentations des Villes, & autres Tailles douces, très belles & très exactes. On y trouve à la fin une Table des Matieres fort ample & fort exacte*, in Folio, 2. voll.

Les Comedies de Plaute, *nouvellement Traduites en Stile libre, naturel & naïf; avec des Notes & des Reflexions enjouées, agreables & utiles, de Critique, d'Antiquité, de Morale & de Politique; par Monſieur* Guedeville. *Enrichies d'Eſtampes en Tailles-douces à*

la Tête de chaque Tome & de chaque Comedie. Diviſées en dix Tomes. En grand douze.

Les Colloques d'Eraſme, *Ouvrage très intereſſant; par la diverſité des Sujets, par l'Enjoûment, & pour l'Utilité Morale: Nouvelle Traduction Par Monſr. Guedeville, Avec des Notes, & des Figures très-ingenieuſes. Diviſées en* 6. Tomes.

Recueil des belles Tailles-douces, en maniere Noire, Peints, Deſſinées ou Gravées par les celebres Maîtres, F. Parmens, Spagnolet, W. Vaillant, J. van Someren, D. Teniers, P. Picart, *& autres.* In Folio.

Divers Ouvrages de belles Figures; Peints, Deſſinées, ou Gravées par divers Maîtres très Renommez, ſavoir: A. Carats, G. Reni, A. Corregio, J. Callot, Guarcin, S. Vouet, J. le Pautre, Rembrant, A. F. vander Meulen, A. Collart, *& autres.* In Folio.

Boſſe Ordres de l'Architecture Antique, fol.

Delices de l'Eſpagne & du Portugal, où l'on voit une deſcription exacte des Antiquitez, des Provinces, des Montagnes, des Villes, &c. Le tout enrichi de Figures en taille-douce, deſſinées ſur les lieux mêmes, par Don Juan Alvares de Colmenar, in 12°. 5. voll.

—— *de la Grand' Bretagne, & de l'Irlande; où ſont exactement décrites les Antiquitez, les Provinces, les Villes, les Bourgs, les Montagnes, &c. par J. Beeverel,* in 12°. 9. voll.

—— *de l'Italie, qui contiennent une Deſcription exacte du Pays, des principales Villes, de toutes les Antiquitez, & de toutes les raretez, qui s'y trouvent, par les Srs. de* Rogiſſart, *&* H. *** *Derniere Edition, revuë & augmentée de nouveau, beaucoup plus correcte que les précedentes, & enrichie de pluſieurs nouvelles Figures en taille-douce, par* Jean de la Faye, in 12°. 6. voll.

Delices de Leide, une des celebres Ville de l'Europe, qui contiennent une Deſcription exacte de ſon Antiquité, de ſes divers Aggrandiſſemens, de ſon Academie, de ſes Manufactures, de ſes Curioſitez, &c. le tout enrichi de Tailles-douces, in 8°.

Delices de l'Ancienne Rome, la principale des Villes de l'Europe, avec toutes ſes Magnificences & ſes Delices; diviſée en quatre Tomes, par le Sr. François Deſeine, in 12°.

Delices de Rome Moderne, premiére Ville de l'Europe, avec toutes ſes Magnificences & ſes Delices; nouvellement & tres exactement décrite & illuſtrée par des tailles-douces, avec une deſcription tres-exacte du Gouvernement & de l'Etat de Rome, auſſi bien que de ſes Fêtes, Fonctions publiques du Pape & de tous ceux qui ont des Emplois auprès de lui, des Cavalcades & autres Ceremonies ordinaires & extraordinaires tant publiques que particulieres de la Cour de Rome, Avec les revenus & depenſes du Pape; le tout diviſées en ſix Tomes, par le Sr. François Deſeine, in 12°.

Delices de la Suiſſe, ou l'on void tout ce qu'il y a de plus remarquable dans la Suiſſe, & dans ſes Alliez qui compoſent le Louable Corps Helvetique: la Deſcription des Villes, Bourgs, Chateaux; la nature de l'air & du terroir; les Antiquitez du Pays, & les raretez de la Nature; le Naturel, les Mœurs & la Re-

JOHANNIS JACOBI SCHEUCHZERI,

Tigurin. Med. Doct. Math. Prof. Acad. Leopoldino-Carolin. & Socc. Regg. Anglic. ac Pruſſic. Membr.

ΟΥΡΕΣΙΦΟΙΤΗΣ HELVETICUS,

SIVE

ITINERIS ALPINI

Deſcriptio Prima,

ANNI MDCCII.

Editio Noviſſima, Auctior & Emendatior.


LA
SUISSE,
Suivant les
Nouvelles Obſervations
de
Mess.rs de l'Academie Royale
des Sciences, etc.
Augmentées de Nouveau.
A LEIDE,
Chez PIERRE VANDER AA
Avec Privilege.
Lieues de Suisse de 23 au Degré.
Lieues d'Allemagne de 15 au Degré.
ALSACE
SUNTGAU
FRANCHE COMTE
FURSTENBERG
SOUABE
CANTON DE BASLE
CANTON DE SOLEURE
CANTON DE SCHAFOUSE
CANTON DE ZURICH
CANTON D'APPENZEL
CANTON DE LUCERNE
CANTON DE FRIBOURG
CANTON DE BERNE
CANTON DE SCHWITS
CANTON DE GLARIS
CANTON D'UNDERVALD
CANTON D'URI
PAYS DE VAUD
LES GRISONS
TIROL
COMTE DE TIROL
BORMIO COMTE
CHIAVENNE COMTE
VALTELINE
EVÊCHÉ DE TRENTE
CHABLAIS
GENEVOIS
FAUCIGNY
SAVOYE
LE VALAIS
PIEMONT
MILANEZ
SEIGNEURIE DE VENISE
Lac de Geneve
Lac de Constance
Lac Majeur
Lac de Garda

ITER ALPINUM PRIMUM,

ANNI MDCCII.

ΣΥΝ ΘΕΩ.

Conſtitui poſthac, quamdiu mihi vita divinitùs concesſa fuerit, quotannis montes aliquos, aut ſaltem unum, conſcendere, cùm in ſuo vigore Plantæ ſunt, partim earum cognitionis, partim honeſti corporis exercitii, animique delectationis gratiâ. Quanta enim voluptas, quantæ ſunt, putas, animi, ut par eſt, affecti deliciæ, montium moles immenſas ſpectando admirari, & caput tandem inter nubes attollere? Neſcio quo pacto altitudine ſtupendâ mens percellitur, rapiturque in ſummi illius Architecti conſiderationem. Quibus verò ſocors eſt animus, nihil mirantur, domi torpent, non prodeunt in Mundi Theatrum, latitant in angulo, ut glires per hyemem, non cogitant hominum genus in mundo conſtitutum eſſe, ut ex ejus miraculis majus quidpiam ſummum ipſum colligeret Numen. Tantâ laborant ignaviâ, ut tanquam ſues ſemper in terram aſpiciant, nunquam ore ſublimi cœlum intueantur, erectos nunquam tollant ad ſidera vultus. Volutentur igitur illi in luto, lucro & illiberalibus ſtudiis attoniti (addicti) *jaceant. Sapientiæ ſtudioſi pergant terreſtris hujus Paradiſi ſpectacula corporis animique oculis contemplari, inter quæ*

Propoſiti Geſneriani

minimè poſtrema ſunt edita præruptaque montium faſtigia, inacceſſa præcipitia, ad cœlum tendens laterum immanitas, rupes arduæ, opacæ ſylvæ. Ita *Epiſtolam de Montium Admiratione* opuſculo *de Lacte & operibus Lactariis* præfixam inchoat magnus ille Polyhiſtor Helvetus *Conradus Geſnerus*, cujus memoria ſicuti toti orbi Literato Medico eſt grata, ita mihi ſingulariter exculta. *Conſtitui* & ego, alumnus Muſarum, quæ amant *bicipitem Parnaſſum*, *Heliconis amœnitates*, *Aonumque & Pieriæ Cacumina*, veſtigia Geſneri non expreſſurus, ſed ſecuturus, tùm Helveticæ Naturæ miranda in genere, tum, & in ſpecie Montium curioſa quæcunque luſtrare, rimari, & ita deſcribere, ut inde in Patriam, Eruditamque orbis curioſi Rempublicam, ſi non ſperatus, aliquis ſaltem redundet uſus. *Conſtitui* arduum hoc, & plenum ſudore, opus humeris meis ſuſcipere, proprio quidem, & innato veluti inſtinctu motus, ſed cumprimis Authoritate *Ampliſſimi Magiſtratûs Tigurini* publicâ, quâ hoc quicquid eſt cœpti protegitur, ſuffultus. *Conſtitui* tandem Vobis, ILLUSTRES Dignitatibus & Scientiis VIRI, quos pro Hiſtoriæ Naturalis primis & præcipuis Cultoribus veneratur Orbis, Relationem hancce de ſucceſſu *Itineris Alpini* offerre, modum obſervandi materiamque ipſam à Vobis petere, methodum hancce meam perſpicaciſſimo Veſtro Judicio ſubmittere, ad id veluti Cynoſuram meas actiones corrigere paratus.

Et proprii ratio, ac

Executio.

Ut effectui darem rem animo digeſtam, ſelegi, locum daturus dicto illi ſapientis *Pittaci* Mitylenei, γίγνωσκε καιρὸν, Auguſtum Menſem, collectioni tum Plantarum, tum ſeminum, præ aliis aptiorem.

Tiguro diſceſſi cum Fratre *Johanne* ὁμοτέχνῳ pridie Nonarum, Lacu Tigurino vectus, & ſequente mane *ad Lacum* (*Lachen*, pagus eſt Regionis *ad Fines* dictæ, *der Landſchaft March*, primarius) benignè acceptus à Clariſſ. D. *Heguero*, qui dono dedit

Pyrita æreus globoſus.

Pyritam æreum globoſum, *auf der hohen Fläſch im Wegithal* reperiundum, de quo affirmavit, eum manu detentum Hæmatitæ inſtar Hæmorrhagiam ſiſtere. Id genus Pyritæ paſſim in ſummitatibus Alpium reperiuntur, à Torrentibus


La Ville de ZURICH, en Suiſſe.
Zurich See.
A. La grande Egliſe.
B. Frawen Munſter.
C. Egliſe de St. Pierre.
D. Prediger Cloſter.
E. Cloître des Moines déchausſées.
F. Cloître des Augustias.
G. Oetenbacher Cloſter.
H. La Bibliotheque.
I. Der Hoſe.
K. Maiſon de Ville.
L. l'Hôpital.
M. La Douane.
N. Le Grenier Public.
O. Boucherie.
P. Schutzen hauſz.
Q. Moulin a Papier.
R. Rennweger Thor.
S. Cappeller Hoſe.
T. St. Anne.
V. Vſſdorffer Thor.
X. Niderdorffer Thor.
Y. Linder Thor.
Z. Newmarkt Thor.
Ketner Thurn.
Wolffs Thurn.
Geyls Thurn.
l'Arſenal.


La Ville de ZURICH, en Profil.

tibus eluuntur, ac deferuntur, aliquando etiam pro *Lapidibus Fulminaribus* obtruduntur, ut mihi ipſi contigit, ante aliquot annos Rhætiam peragranti. Sunt hi Pyritæ Alpini globoſi, ſuperficietenus aſperi & inæquales, ferrugineo habitu plerumque veſtiti, confracti autem plures exhibent ſtrias à peripheria ad centrum undique tendentes, & argenteo aureóve nitore ſplendentes. Conferendi fortè ſunt *Pyritæ intus ſtriati, fere ſubrotundi, extrà tuberoſi, & interdum anguloſi,* in Anglia reperiundi, ab incolis *Ruſtballs* appellati, de quibus Celeberrimus *Martinus Liſterus Font. Medicat. Angl.* p. 20. Clariſſimuſque *Eduardus Luidius Lithograph. Brit.* p. 99. nec non Lapides illi Inſulæ *Staritzo*, de quibus *Strauſſ. Itinerar.* p. 97. *das es ſeyen Steine als Limonen und Pomeranzen, ſehr hart und ſchwer, als Eiſen anzufaſſen, will man ſie in Stukke zerſchlagen, ſo findet man darinn eine Geſtalt eines Sterns, von Gold, Silber, gelber oder brauner farb.* Ignoſcite, Illuſtriſſimi Naturæ Conſulti, quòd ex Alpibus Helveticis ad Vos uſque, imò ad ultimas Europæ orientalis oras tranſiliendo excurram. Ignoſcetis autem facilè, quoniam Vobis ipſis curæ eſt atque uſui Mineralia Synonyma undique colligendi, atque in juſtum ordinem redigendi modus atque neceſſitas; utpote quos minimè latet Mineralium, ſine ordine & Lege ſparſim errantium, ſiniſterior (quàm Plantarum) conditio. Veniâ à Vobis ſemel impetratâ pedem longiùs protendo, relaturus, quid porro circa Pyritam præſentem, imò & alios, in montibus, Alpibuſve Helveticis globoſos etiam minores, Piſum, Piper rotundum, globulosve ſaccharinos referentes in monte Legerio reperiundos, obſervavero. Eſt omnium ſuperficies non ſine regulâ aſpera & inæqualis, verùm in Pyramides nunc truncatas, nunc integras quadrangulares elevata. Judicate hinc, obſecro, annon huc trahi debeat *Sideritis* ille *Salmaſii*, quem hiſce verbis deſcribit *Exercitat. in Solin.* p. 773. 774. *Habeo inter mea* Κειμήλια *Lapidem ferrei coloris ac ponderis, pugni magnitudine rotundum, undique ſecus formis quadrangulis in mucronem turbinatis aſperum: diceres manu politas, & in lævorem quadrangulum attritas, qua facie hodie teruntur ignobiles Adaman-*

tes, quos à Solo natali Alenconios appellamus. Sideritem nuncupari poſſe hunc Lapidem nullus dubito, ita plane ſplendorem Ferri exhibet ac pondus habet. Mirum prorſus naturæ φιλοτέχνημα. *Ex India allatus eſt. Lapidem Adamantis vocabat, qui mihi vendidit, propter illas fortaſſis quadrangulas facies, quòd ad illud inſtar plerique atterantur Adamantes.* Nihil certè noſtris Pyritis ad deſcriptionem deeſt, niſi quòd quadrangulæ illæ, vel pyramidales eminentiæ non ſunt politæ, ſed rubigine quaſi obſitæ. Muſeo Civico Tigurino ex Brackenhoferiano Argentoratenſi illatus eſt *Pyrites totûs ærugineus ſeu ferrei coloris, cujus protuberantiæ acuminatæ ſunt, Diamantis inſtar. Ein roſtfarbiger grobſpiſſiger Marcaſit, mit vor ſich geſchobenen bucklen, ſo ſpitzig ſein, wie ein Diamant. Muſ. Brack.* p. 65. qui prorſus etiam Sideritidis Salmaſiani, Pyritarúmve noſtratium deſcriptioni convenit, ad pugni magnitudinem accedens. Vide TAB. 1. *Fig.* 1.

TAB. I. *Fig.* 1. *Pſeudadamantes Alpini.*

Donavit inſuper laudatus Dr. *Hegner Pſeudadamantes* ſeu *Cryſtallulos* puriores Alpinos, qui nitore ſuo, & integritate, omnes enim fere ſunt ἀμφήκεις, plurimùm ſe commendant; colliguntur *auf dem Kleinen Aubrig, in dem Trittweg.* Hîc ἐν παρόδῳ annoto, hexagonam figuram ſolam minimè excludere cryſtallos ex Adamantum ſobole, quum etiam Adamantes Indici, *Naiſes* & *Naiſſos* dicti, ſunt *hexagoni, ſed omnium præſtantiſſimi, & duriſſimi,* teſte *Læt. de Lapid.* In his noſtris Pſeudadamantibus Alpinis magna conſpicitur varietas hedrarum & angulorum. In pleriſque ſunt columnæ mediæ parvæ & breves, ut harum plana ad hedras pyramidum magnitudine non accedant, in aliis majores, ubique fermè inæquales. Vid. TAB. 1. *Fig.* 2.


TAB. I. *Fig.* 2.

Ad Lacum vix horæ ſpatium morati accinximus nos ad conſcenſum montis *Klein Aubrig* ſive *Albrig*, quem etiam hac die feliciter ſuperavimus.

Spreitenbach Torrens.

Haud longè à pago fluit ex montibus vicinis Torrens *der Spreitenbach*, qui exundationibus ſuis magna ſæpe prædiis infert damna.

Præcipuæ & curioſæ Obſervationes hac die factæ ſpectant *Regnum Minerale*, & in hoc Lapidum Naturâ *Figuratorum* Hi-



Sumptibus D. Francisci Aston, Armigeri, Societatis Regiæ Socii, &c.



Hiſtoriam. Eſt, quod admirabundus vidi, mons *Klein Aubrig*, &, ut audivi, ipſe *Groſs Aubrig*, totus quantus præcipuè in editioribus ſuis partibus, verſus omnes plagas, imprimis orientalem, refertus *Lentibus illis ſtriatis, utrinque convexis, vitreis figurâ ſimilibus, in maſſâ lapideâ vario ſub Schemate conſpicuis*, quarum Anatomen non ita pridem exhibui in *Specimine Lithograph. Helvet.* p. 31. &c. Prima horum Lapidum indicia habuimus ad Torrentem *Giſpiſwieſbach*, à quo ad montis cacumen bihorii ſpatio major ſemper majorque eſt proventus. Inter alios hujus generis Lapides mirum quantum me delectavit Saxum *im langen Reinbach*, ſex pedum in omni fere dimenſione ab aquæ defluxu undique lævigatum, quod totum eſt Lentibus jam memoratis plenum, imò Naturæ penicillo tam pulcherrimè pictum, ut integram ſaxi ſuperficiem Nummis conſperſam dixeris. Contuli in citato Specimine Lapillos hoſce Lentiformes cum *Numiſmali Lapide Tranſylvaniæ* à *Cluſio* in *Nomenclat. Pannon.* notato, nec me in hac comparatione decepi. Exhibuit quippe, quod modò commemoravi, ſaxum, ſed & plurima alia minora, figuras lentiformes, vel, ſi mavis, Nummulares, ob ſpirales ſuos tractus, ad Cornua Ammonis forte referendas, ejus præciſè magnitudinis, coloris, & ſtructuræ, qualem præ ſe fert ipſe Cluſii Numiſmalis. Sunt omnes hi Lapilli maſſis ſuis petroſis ita firmiter impacti, ut non inde excuti queant, niſi in fruſtula diffracti. Aſt circa *Æoliam* quandam *cryptam* collegimus Decades aliquot Lentium convexarum utrinque, & vinculis maſſæ lapideæ ſolutarum. De miro hoc Naturæ γλυφήματι hoc inſuper notari meretur, non ſolùm convenire id cum *Frumentali Lapide Imperati*, ſed eundem prorſus eſſe. Certior quippe factus ſum, ex quo locum natalem ipſe inviſi, Lentes ab Aniſi ſeminis magnitudine ad Daleri amplitudinem ſucceſſivè aſcendentes conſpexi propiùs, alioſque Frumentaceos Lapides in Helvetiâ paſſim reperiundos contuli. Inveniuntur autem taliſmodi Figurata etiam in *Montis Fracti* ſcopulis, ſuper locum *Widerfeld*; in *Montis Vtliaci* prope Tigurum petrâ retrò ſpeculam unicum aliquando reperii, indeque reportavi: Inter *Sarnam* & *Saxulam* pagos

Lentes ſtriatæ lapideæ.

gos *Subſylvaniæ* eſt via hiſce Lapidibus ſtrata. Matrix, cui inſunt hæ Lentes lapideæ, variat colore & conſiſtentiâ. In eodem, quem nunc conſcendimus, monte, imò in eadem montis parte, in Torrente eodem ſunt Matrices ſiliceæ duriſſimæ coloris cinerei, aliæ flaveſcentes, aliæ ſubrubræ, aliæ virideſcentes, Chryſocollâ perfuſæ, duræ quidem ipſæ, ſed poroſæ & leviores, aliæ denique albidæ viridibus punctis conſperſæ. Aliquando ipſis his Lentibus interſperguntur *Lamellæ Teſtaceæ* petrefactæ, quin & poſſideo *Echinum lapideum* pulcherrimum Lentibus immerſum.

Echinus lapideus.

Pyritæ.

Teſtacea petrefacta.

Præter Lentes jam memoratas offendimus in nominato jam Torrente *Langen Reinbach Pectinitas Chryſocollâ* lapideâ, quæ ſatis copioſa ibi eſt, immerſos; imo & Teſtas lapideas ſeu petrefactas grandiorum *Oſtrearum*, aliarumque *Concharum*; inſuper ex Semimetallorum familia *Pyritas* compreſſæ globoſitatis, cylindricos etiam ferrugineo Cortice veſtitos, *Bergbollen* Ductori Rhizotomo noſtro dictos, quorum ſuperficies non, uti in ſuprà memoratis, in pyramides angulatas, verùm in tubercula lævia attollitur, aliquando plana prorſus eſt, fructus varios & nucleos referens. Forſan eſt hic *Pyrita ferrei coloris, quem foſſores vocant ein Eiſenſtein, nicht das es ein Eiſenſtein ſeye, ſondern das er dem Eiſenſtein gleich iſt. Encel. de Re Metallic.* p. 30. *Ferreus Marcaſita Aviſenæ, Salmaſ. Hyl. Iatric.* p. 232. *Pyritas* tandem vidimus ſeu *Marcaſitas* aurei coloris, ſaxis paſſim aſperſas; *Fluores* item lamellares, flaveſcente colore tinctos, alioſque *Seleniticos* albos.

Fluores.

Marga.

In Torrente *Giſpiſwiesbach* reperitur *Marga* pinguis coloris ſubnigri, in maſſas integras concreta.

Dum occupabamur colligendis Lapidibus Figuratis, obvenit *Radix nodoſa* Abietis cava, pice annoſâ in lapideam fermè duritiem coactâ, Lapide item ſubviridi albis punctis maculato, & *Pectinitâ* prægnante repleta; *Pechtaſche* vocant Alpicolæ, nec ineptè, includitur enim pix indurata cavo hujus Radicis veluti ſacculo ſeu Marſupio undique.

Pechtaſche.

Altitudines Montium Ba-

In caſa Alpina *die Satteleck Hutte*, à loco cognominata, prope montem *Klein Aubrig* inſtituimus *Experimentum Baro-*

rometricum, atque invenimus Mercurii delapſum 22. Scrupulorum, ſeu decimarum Digiti Tigurini partium, infra eam altitudinem, quam experti ſumus in pago *ad Lacum.* Exinde collegimus Altitudinem Montis, ubi eramus, aſcendere ad 176 perticas, ſeu 1760 pedes Tigurinos, ſi perpendiculariter pago ipſi immineret. Sciendum autem me Tiguri ante diſceſſum per iterata Experimenta comperiſſe, quòd ſcrupulus unus reſpondeat octo perticis, ſive 80 pedibus; atque pro commendatione hujus Praxeos inſuper notandum, poſſe effectui dari, & facilè quidem ope Baculi Barometrici portatilis hunc menſurandi modum, etiam iis in locis, ubi Geometra non, vel maximo labore ſcopum aſſequitur. *rometro menſurata.*

In cacumine Montis obſervavimus ſitum ſequentem Montium, qui omnes ad *Vallem Weggenſem*, *Weggithal*, Territorii Suitenſis pertinent; *der Köpfiberg* verſus Ortum; *der Groſs Aubrig* verſus Auſtr-Orientem; *der Groſs Diethelm*, aliàs *Staffelwand* & *Fluhberig* dictus, ad Meridiem; eundem cum hoc ſitum obtinet *der Saaſſberg*, *die Saaſs* κατ᾽ ἐξοχὴν dici quoque ſolitus, quem ante biennium conſcendi, dum ex *Valle Silana* (*Silthal*) ad Glaronenſem ditionem tranſivi. Aquil-Orientem præbet Mons *Nieſſeck.* Ex hiſce montibus ſunt imprimis ſcopuloſi, & ob præcipitia horrida vix acceſſi *der Groſs Aubrig*, & *Diethelmi* mons, in quo ſunt Speluncæ ſubterraneæ duæ, *das Silberloch* & *Goldloch* nuncupari ſolitæ, quòd inde reportaverint foſſores ante aliquot annos venas *Argenti* & *Auri* luto immerſas. Præter hoſce montes *auf der Satteleck* conſpicuos, inſuper ſunt in *Valle Weggenſi die Zindlen*, ubi reperiuntur, teſte *Hegnero*, Lapilli vel Fluores gemmei cubici rubri atque flavi opaci; porrò *die Rederten*, *unter und ober Schweinalp*, & *Scharten.* *Montes Vallis Weggenſis.*

A Monte *Klein Aubrig* deſcenditur *durch den ſchönen Bühel* in *Vallem Silanam*, ita dictam à *Sila* fluvio perfluente, qui poſtmodum Tigurum quoque alluit, & in *Limagum* ſuas aquas effundit. In colle montoſo jam memorato eſt *Terra rubra*, quam pro *Bolo* forte uſurpaverit Medicus. Per hanc vallem Silanam ducit via ſatis plana & jucunda ad *Divæ Virginis Eremum*, *Einſiedlen*, quò confluunt undique, veluti ad Ancho- *Terra rubra.*

B cho-

choram ſacram Pontificii, peccata ſua confeſſuri, eorumque remiſſionem plenam reportaturi.

In hac *Eremo* pernoctavimus, atque inde excurrimus in conſortio amico Cl. D. D. *Joſephi Franciſci Wuerneri*, Reverendiſſ. Principis & Abbatis Medici ad caſam Alpinam, Socero ſuo propriam, vaſorum omni genere Lactariorum inſtructiſſimam, in qua proceſſum examinavimus totius γαλακτουργίας καὶ τυροποιήσεως, peculiari recenſione exponendum.

Fagus annoſa viridi colore perfuſa. Iter noſtrum proſecuti pertranſivimus Montem *Hacken* vel *Hoggen*, & inter aſcendendum offendimus *Fagi* reſectæ truncum imum annoſum, præ vetuſtate in putrilaginem redactum, cujus magna pars nativum ſuum colorem exuit, nec tamen fœtidum, & obſoletum, putredini proprium aſſumpſit, verùm, quod mirum mihi videbatur, & oculis jucundum, viridi pulcherrimo colore fuit perfuſa, ac ſi viridi æris fuiſſet ſtudio tincta & ſaturata; tinxit autem ſucceſſivè Natura ipſa, exaltato principio Vitriolico.

Fons Sulphureus. In ſumma Montis planitie eſt *Fons Sulphureus* frigidus muro cinctus, tectoque coopertus, ſolatio Itinerantium deſtinatus, qui largos ex hoc fonte bibunt hauſtus, abſque quòd vel minimum inde ſentiant incommodum. Terram habet hæc Aqua lutoſam nigram, quæ gravi odore ſulphureo nares ferit.

Mitra mons. Hîc ope Semicirculi Geometrici invenimus *Mitram minorem*, *die Kleine Mitte*, elevatiorem eſſe planitie, quæ tranſcendi ſolet, montoſâ 77 pertic. ſeu 770 pedd. Geometricis; ubi obiter monendum, *Mitram* montem, à figurâ ita dictum, duplicem eſſe, minorem unum jam memoratum, majorem alterum, *die Groſſe Mitten*, utrumque ob præcipites ſcopulos fermè inacceſſum. *Myd & Miten* ſcribunt alii.

Mercurii lapſus in Barometro poſt pluviam. Irruit, dum eramus in montis *Hacken* ſummâ planitie, pluvia nebulis ventoſis per latera montium & infra horum vertices decurrentibus intermixta. Inſtituimus interim ante & poſt pluviam delapſam Experimentum noſtrum Barometricum, atque obſervavimus Mercurium poſt pluviam delapſum fuiſſe tres ſcrupulos, manifeſto indicio, quòd fuerit ante pluviæ caſum Atmoſphæra longè ponderoſior.

Facto hoc Experimento deſcendimus aëre ſereno in Vallem



Bourg de SCHWEYTZ,
en Suiſse.

1. *Egliſe Paroiſsiale de St. Martin.*
2. *Noureaux Capucins.*
3. *Vieux Capucins.*
4. *Maiſon de Ville.*
5. *La Mennoye.*
6. *La Boucherie.*
7. *Religieuſes.*
8. *Mutta Riviere.*
9. *Chapelle occiſion des Innocens.*
10. *Bourg Geriſaw.*







1. Egliſe Paroiſſiale de St. Martin.
2. St. Croix.
3. St. Jaques.
4. Les Capucins.
5. Religieuſes.
6. Ste. Croix.

ALTORF, en Suiſſe.

7. l'Arſenal.
8. Maiſon de Ville.
9. Zum Thurnlein.
10. Le Vieux Gouvernement.
11. La Boucherie.
12. Chapelle de Guillaume Tell.

lem ſubjectam, jucundo in Territorium Suitenſe, Subſylvanum, Lacûs IV. Civitatum Sylveſtrium, & Laverzanum patente proſpectu, & per *Suitiam*, (à quo *Suitiorum* pago primario Helvetii *Suiceri*, *Suitzeri*, *die Schweitzer* cognominantur) devenimus *Brunnam*, ubi ſtatio eſt Navium in omnes Lacûs Lucernenſis partes excurrentium. Conductâ mox navi vecti ſumus Lacu tranquillo ad *Saxum*, *Flüe*, ubi extremus eſt Lacûs quatuor Civitatum Sylveſtrium Portus: Inde per ſemihoræ ſpatium venimus *Altorffium*, qui Uraniorum primus eſt Pagus, *Uri*, *Ury* hinc dici conſuetus. In Lacu ipſo exhibuit nobis Barometrum montis *Hacken* altitudinem, in aëris temperatura pluviæ præcedanea, 180 pert. in conſectanea autem 160. & ſic Mitræ Minoris 257 & 237. *Hacken montis altitudo.*

Altorffii vidimus apud Præfectum Militiæ Urienſis (*Landshauptman* vocant) D. *Schmidium*, Virum Helvetico candore inclytum, & Admirandorum Naturæ Cultorem curioſum, varii generis *Cryſtallos* & *Metallicas mineras*, ex ſummis Alpium Urienſium jugis ad ipſum delatas; quas inter potiſſimæ erant *Cryſtalli* majores primo intuitu nigræ, quæ tamen lumini objectæ in fuſca nigredine aliquatenus pellucent, (tales etiam effodiuntur ex Bernenſium montibus prope *Thunum* oppidum;) aliæ etiam, in quibus Antimonium cryſtalliſatum nigrum conſpicitur; alia digitum circiter craſſa, duos lata, & quatuor alta, monticuli inſtar è radice ſurgens, pyramidibus hexagonis utrinque ſcopulorum ad modum prominentibus conſpicua. TAB. 1. *Fig.* 3. Aderant item venæ *Argenti*, *Æris*, *Plumbi*, *Talci*, *Cryſtalli* ſeu *Selenitæ Rhomboidalis*, quarum loca natalia non conſtant. *Cryſtalli, & venæ metallicæ.* TAB. I. *Fig.* 3.

De *Lacûs* IV. *Civitatum Sylveſtrium* extremo Sinu, qui Urienſi Territorio cingitur, hoc adnotavi, quòd *Brunnâ Saxum* navigantibus à dextro latere conſpiciantur *der S'Eulisberg*; *Bauenberg*; *Gitſchen*, *Gitſchenberg*, *Gitſchenſtock*; à ſiniſtro *der Morchelsberg*; *Fronalp*; *Bucki*; *Axenberg*. *Lacûs IV. Civ. Sylv. extremus ſinus.*

De Lacu ipſo retulerunt Nautæ, profunditatem inter *Brunnam* & *Saxum* bolide demiſſâ exploratum fuiſſe ad 250 & 300 orgyas. Ad 120, & 130, nec ultra aſcendit *Cyſat. Beſchreib. des Lucern. See*, p. 18. *Profunditas.*


Rivus temporarius. Haud longè à *Saxo*, *Flüe*, defluit ex *Lacu* montano *Alpelenſi*, *Alpeler Seelin*, rivus temporarius *der Milchbach*, à colore dictus, menſibus Junio & Julio.

Bamberg mons. Ad orientalem Altorffini Pagi plagam erigitur mons præceps ſylvoſus, dictus *Bamberg*, forte *Banberg*, quia nemini Incolarum licet arbuſculam inde, nedum Abietem excelſam decidere, ſub pœna gravi, ne forte Arbores Lapideſque delabentes ruinam domibus ac ſtabulis, necemque hominibus atque pecoribus inferant.

Alpes Surinenſes. Altorffo devenimus per vallem Alpinam *Waldnacht* ad montis altiſſimi verticem *auf Eck*, item *auf Sureneneck* dictum, ad quem itur per quinquehorium circiter ab Urienſium pago, continuo fere aſcenſu, & per nivem quidem ultra horæ ſpatium; gaviſi multùm aſpectu Plantarum omnis generis Alpinarum, etiam rariſſimarum, Catarrhactarum item nivoſarum, ex ſcopulis editioribus cum ſtrepitu delabentium, ſpeciatim ex monte *Z'allen Winden*, ab omnium Ventorum concurſu ita dicto. In ipſo montis vertice expoſiti fuimus pluviæ frigidiſſimæ, ventiſque nivoſis, medias inter nubes, quæ gelido nos affecerunt frigore, ut diu ibi perſiſtere non licuerit, imò vix Barometrum noſtrum adaptare. Ab altero Jugi ſummi latere ſtatim obveniunt *Alpes Surenenſes*, *die Surner oder Surenen alpen*, proventu herbarum & paſcuorum fœcundiſſimæ, quæ præter herboſas plures jugorum ſummorum protenſiones montoſas, *Plancken*, *Blanggen*, dictas, ingentem pecoris copiam alunt, & ad Urios adhuc pertinent. Circumdantur hæ undique ſcopulis præruptis, qui vix Rupicapris & Venatoribus ſunt acceſſi; & parte ſua meridionali, præter copioſam nivem, eamque perpetuam, ſuſtinent *Rupes glaciales*, *Firn* dictas, dilutè cœruleo colore conſpicuas. *Rupes Glaciales.*

Hiſtoria ſingularis ſpectri Alpini. Per mediam hanc Vallem Surenenſem Alpinam fluit Torrens, *der Stierenbach* dictus, ortum trahens ex Lacu montano, *dem Surenen Seelein*, memorabilis certè propter Hiſtoriam, aut, ſi mavis, Fabulam, quæ ex communi Alpeſtris Gentis tam Urienſis, quàm Angelimontanæ traditione hoc modo ſe habet. Fuit, ut referunt, ante aliquot centenos

Pl. 1.



Sumptibus D. Johannis Bridges, Armigeri.

nos annos Alpicola, qui ex omni ſua grege præcipuè deamavit Ovem quandam, & ita quidem, ut, quod horrendum auditu, eam Chriſtiano nomine dignam judicaverit, atque baptizaverit. Quid fit? ſingulari DEI judicio transformatur Ovis hæcce in Spectrum horrendum, quod totam & herbarum quidem proventu ditiſſimam Alpem ita devaſtavit, diuque noctuque peragravit, ut omnem inde depulerit pecudem, Alpemque Angelimontanis, ad quos tunc pertinebat, infructuoſam reliquerit. Uriis conſilium impertit Magus, (*ein fahrender Schuler*) Dæmonem fugatorem dixeris an amicum? in ſubterraneo Salmanticenſis Academiæ Lycæo forte artem ſuam edoctus, (vid. in *Wagenſeil Per. Juven. Synopſ. Geograph.* p. 101.) ut Vitulum enutriant per novennium Lacte, primo anno à Vaccâ unicâ, ſecundo à duabus, tertio à tribus, & ita deinceps, novenario autem elapſo Bovem Lacte nutritum educant in Alpem per Virginem illibatam. Dederunt conſilium hocce effectui Urii ſpe remunerationis allecti, atque Bovem per Virginem duci juſſerunt ex Alpe *Waldnacht* (ubi etiam nunc oſtenditur caſa, Bovis ſtabulum, *der Stierengaden* dictum) trans ſummi montis verticem. Bos hoc jugo ſuperato ſibi relictus occurrit Spectro, cum hoc pugnam init tam ferocem, ut victo Dæmone ſudore defluens ex rivulo, *der Stierenbach* inde cognominato, ſummo cum ardore aquam ingurgitaverit, mortemque inde ſibi conſciverit, imò veſtigia ungularum poſteriorum Lapidibus ipſis impreſſerit. Cui fabuloſum nimis videtur hoc quicquid eſt Hiſtoriolum, ei monſtrant Alpicolæ etiamnum ſaxa ipſa cum impreſſis, ſi Diis placet, ungularum veſtigiis, quæ curioſitatis ergò probè aſpexi, & delineavi, ut TAB. II. *Fig.* 1. & 2. exhibent. TAB. II. *Fig.* 1. 2. Tradunt, qui ex Uriis fidem fabuloſæ huic Hiſtoriæ dant, Angelimontanos, Alpium Surenenſium primos Dominos, propter earum uſum à Spectro ipſis diſputatum, illas tanto facilius, & vel ſponte ſibi conceſſiſſe, vel nullo aut vili pretio vendidiſſe; quum tamen ex Inſtrumentis Ann. 1472. 1474. & 1515. erectis conſtat, Urios junctim cum Angelimontanis poſſediſſe, de quibus nunc ſermo eſt, Alpes, hos quidem partem Septentrionalem, *die Sommerliche Seite*,

illos Meridionalem, *die Winterliche*, uſque ad caſam Cœnobialem, *die Herren rüti*, verùm commoditatis majoris ergò in annis citatis ita inter ſe commutâſſe, ut Urienſi Territorio poſthac adjudicetur Alpium Surenenſium pars tota ſuperior, Angelimontano verò Cœnobio ſubſit inferior. Quid ante peractum fuerit, quàm memorata Diplomata fuêre extructa, experiri hactenus non licuit.

Montis Surenenſis Altitudo, & Altiſſimi Montis Surenenſis dimetiendi ergò inſtituimus medias inter nubes pluvioſas Experimentum Barometricum, atque vidimus Mercurium in culmine montis deſcendiſſe infra altitudinem in Diverſorio Altorffino obſervatam 4 dig. 1 ſcrup. & hinc, ſuppoſitâ eâdem in imo & ſummo temperie Aëris, totam altitudinem computavimus 328 pertic. vel 3280 pedd. Engelbergæ obſervavimus Mercurium delapſum eſſe infra Altorffi altitudinem ad 31½ Scrup. ſeu 252 pert. indeque concluſimus *Vallis Angelimontanæ.* Vallem Engelbergenſem elevatiorem eſſe Urienſi 76 pertic.

In Angelimontano Cœnobio detinuit me per binas Septimanas Humanitas ſumma Reverendiſſ. Abbatis JOACHIMI, ſed & Amor & Neceſſitudo Reverendiſſ. Patrum & Fratrum. Commoratus autem ibi fui, ut opem ferrem Conventualibus *Colicâ Spaſmodicâ*, *Colica ſpaſmodica* cum ardore vago per Artus & Corpus integrum ruente, aliiſque mali moris Symptomatibus, graviter decumbentibus. Hiſtoriam, quantum præſens inſtitutum permittit, tantò lubentiùs inſero, quòd Morbus ſit admodùm rarus, curatu pertinax, totumque ferme corripuerit Monaſterium, alios quidem aggreſſus fuerit citiùs, alios tardiùs, alios Mortis faucibus jam immiſerit, alios lecto affixos teneat etiamnum, reliquis timorem incuſſerit haud levem, imò doloroſis quibuſdam præludiis jam reipſa affecerit. Accedit, quòd originem malo tam diro dederint res ubivis obviæ, quæ ſi minùs attendantur, magna & plurima damna familiis integris aliis inferre poſſunt. Nemo, opinor, ægrè feret, ſi curſum meum Hiſtoricum ad aliquot dies interrupero, vel potiùs mutavero, mixturus utile dulci, monſtraturus quid, & quantum valeant Res non Naturales vulgò dictæ, Res omnino Naturales, & maximè ad vitam ſuſtentandum

dum neceſſariæ, ad ejus quoque deſtructionem, minùs rectè adhibitæ.

Symptomata generalia, quibus afficiuntur ægri (his quippe pro varietate Temperamenti, ætatis, viriumque ratione ſeſe adjunxêre alia, quæ fuſiùs foret commemorare) ſunt Dolor Colicus verus, Colon Inteſtinum, aliquando etiam tenuia occupans, iſque contumax, ſomnum excludens, delirium ipſum præ vehementiâ ſui quandoque in conſortium advocans, ſedatus ubi fuerit facilè recidivans; Vomituritiones crebræ, bilioſæ; appetitus dejectus, vel imminutus; alvus obſtructa, clyſteribus ſolvenda; flatus crebri; ardores præcordiorum, quæ occupant præcipuè regionem Sterni, infra ſupraque Cartilaginem Mucronatam (de quibus conqueruntur fere omnes.) Urentes atque furentes dolores per artus, primùm ſuperiores, poſt etiam inferiores, infeſtant Reverendum Priorem, Colici Nephriticis juncti Sub-Priorem; Pareſis brachiorum cum Reſpiratione Aſtmaticâ, ſummé anheloſâ, ſenſuque ponderis Pectori incumbentis adfuit inſuper Patri *Innocenti*, cujus Cadaver aperui, & inter alia offendi in Colo Inteſtino corpuſcula piſiformia ſubviridia, molliuſcula, ſparſim Inteſtinali tunicæ interiori adhærentia; in Hepatis cæterà ſani parte ſumma folliculos terreo concremento infarctos; Veſicam urinâ diſtentam; Pulmones maculis atque lituris viridicæruleis undique fere inſperſos, alicubi ſero viſcido ſpumoſo repletos, alibi exſuccos prorſus, ac ſi per aliquos ante ſectionem dies fuiſſent ſuſpenſi in aëre libero; Cordis Auriculam dextram ſolito majorem, repletam ſanguine coagulato, ſed & vera Polypoſa concretione, quæ ſeſe protendit per ipſius Venæ Cavæ ramos aſcendentes, ad ſpithamas fermè duas, in ſiniſtra quoque Auricula Polypum alium, ſed triplo priore minorem. In Pericardio fluctuabat ſerum ſubviride, flavum, ſalſum, unciarum circiter trium, quod cordi circumfuſum non potuit non continuos ægro inferre ardores, ſicuti quoque ex Polypi præſentiâ, pulmonibuſque à Veneno mox ſpecificando conſtrictis, haud difficulter arguere licet, circulationis ſanguineæ difficultatem cum Reſpiratione anheloſâ, quæ ægrum ad extremum uſque vitæ halitum *Hiſtoria.*

cum

cum majori ſemper majorique incremento, pulſuque inæquali moleſtabat.

Cauſa in Aëre.

Cauſam Mali tam atrocis, & latè vagantis, in perverſo Rerum Nonnaturalium uſu latere ratus, veniam, ſtatim ac acceſſi, petii, anxiè & ſedulò omnia perquirendi, atque inſtituto Examine ſequens formavi, jam ante demortui ſectionem, Ratiocinium Ætiologicum.

Vallis ipſa Angelimontana, quoniam in editiori Subſylvaniæ plaga Meridionali eſt poſita, & ſeptingentis pedibus Valle Urienſi elevatior, montibus undique cincta, iiſque perpetuâ Nive & Glacie tectis, aſperiori & frigidiori ſemper perflatur Aëre, unde natum Proverbium, *Es ſeye in dieſem Thal 13 Monat Winter, was darüber, ſeye Sommer*; *durare hyemem per tredecim menſes, reſiduo, ſiquid ſit, anni tempore æſtati relicto*; conferendum cum Proverbio Rhætorum illo, quod in Valle Rhenanâ ſeu *Rhinwaldia* viget, *in Rheinwald ſeyen 9 Monat Winter, und 3 Monat Kalt*; *hyemem durare per menſes novem, tribus autem reliquis menſibus frigoris nullas eſſe inducias*, (vid. *Stoicheiol. Helvet.* p. 16.) Ut huc quadret illud *Silii Italici*:

Nullum Ver uſquam, nullique æſtatis honores:
Sola jugis habitat diris, ſedeſque tuetur
Perpetuas deformis hyems; illa undique nubes
Hâc atras agit, & mixtos cum grandine nimbos.
Jam cuncti flatus, ventique furentia regna
Clivoſâ poſuêre domo, caligat in altis
Obtutus ſaxis, abeuntque in nubila montes.

Ab Aëre hocce frigidiori, licet de cætero puriori, impeditur non parùm Tranſpiratio cutanea tum ſenſibilis, tum ἄδηλος, utraque ad ſanitatis conſervationem apprimè neceſſaria, retinentur in Maſſa ſanguinea excernendi varii generis ſubtiles acreſque halitus, qui inteſtino motu ſeſe indies exacuunt, κρᾶσιν ſanguinis ſolvunt, ſerum ad ſalſedinem diſponunt, omneſque humores inquinant, tantò magis, ſi frigidiori ſeſe aſſociant frequentes Nebulæ, Pluviæ, Nives, Venti, hiſce enim tonus ipſe fibrarum cutanearum infirmatur, glandularum officium ſecretorium minus rectè procedit, unde

de malorum Ilias corporibus noſtris inferri poteſt. Influxus hic Aëris naturâ frigidi, qui extra Cœnobium corrigi nequit, intra Cellarum clauſtra poterit ad temperaturam redigi diligenti feneſtrarum præcluſione, & moderatâ fornicum calefactione, ſicuti humiditas corrigi debet ſuffumigiis ex Lignis Juniperino & Peucino præparandis. Potus ordinarius, *Potu &* Vinum ex Decimis Kuſnacenſibus, ad Lacum Tigurinum collectum, non equidem eſt in generoſitate ſuâ æquiparandum Italico vel Alſatico, tale tamen, in quod vel nulla, vel minima pars culpæ transferri debet, multò minùs eſt id Lithargyrio, aut aliis id genus venenis adulteratum, quemadmodum per Annorum 1694, 95 & 96. decurſum triſtes in & extra Patriam noſtram ſenſimus Vinorum auſterorum hac ratione ad muſteam dulcedinem redactorum uſu effectus, paſſim in *Ephemeridibus Naturæ Curioſorum* memoratos, & in peculiaribus Tractatibus deſcriptos. Vini quidem Tigurini præſtantiam, licet gentile id mihi ſit, in præſentia non defendam; aſt *non* magis *probo*, quam *Geſnerus* de *Lacte & Operibus Lactar* p. 50. b. *eos, qui inter quatuor Elementa Helvetiæ jocoſè ficta Glaronenſem Caſeum pro Terrâ connumerant, ut Vinum Tigurinum Aquæ loco, Rhætorum ſeu Lepontiorum Linguam Aëris vice, Friburgenſium Monetam pro Igne recenſent; nimirum quatuor hæc ceu omnium viliſſima ſelegerunt, Elementa proportione quadam nominantes, aut quòd ad vitam hæc quoque neceſſaria ſint. Vinum ex Agro Tigurino ad vicinos quoque tranſmittitur; huic aquæ vitium, quòd auſterum ſit, impingunt. Moneta Friburgi, quod Aventici colonia eſt, ex Ære fit: Non poteſt autem vita commodè abſque Monetâ tranſigi. Rhetica Lingua levis eſt, ex Italicâ corrupta, itaque reſpondet Aëri, ex cujus repercuſſu vox reſilit: Eſt verò & Linguæ ad commoditatem vivendi neceſſitas. Caſeus raſilis Terram refert, ut illis placet; forte quòd duriuſculus ac ſolidus ſit, præſertim antiquior, unde etiam raditur cultris aut dolabellis ad id factis: Vitam autem ſine Lactariis non facile eſſet Helvetiis agere.* Elementum hoc Tigurinorum, imò & Monaſterii Engelbergenſis, culpâ, quæ ipſi fuit impacta, tantò lubentiùs atque ſecuriùs eximo, quòd

 bi-

bibant Conventuales non hornum illud vinum, ſed bimum, vel plurium annorum, tale igitur, quod licet aſperum fuerit, *auſteritatem ſuam depoſuit*, *ac mitius redditum fuit*, id quod Vino Tigurino, præſertim ad Lacum collecto eſt proprium. *Wag. Helv. Cur.* p. 293. quòd morbi, quibus nunc vexantur Angelimontani, noſtrates non attingant, ipſos etiam Kuſnacenſes, qui magnis hauſtibus ſæpe pocula egurgitant, prætermittant; quòd liberum fuerit inde à longo tempore Conventualibus, vinum Tigurinum Rhenano miſtum frangere Italico. *Cibo,* Ex Cella Vinaria ubi deveni in Culinam, tot ferme inveni Pandoræ Pyxides, quot vaſa coquendis cibis deſtinata. Hæc ſunt partim ærea, partim cuprea: Illis jam ante aliquot annos aliquam adulteratæ compoſitionis ſuſpicionem movit cœruleo-viridis color, quo e. g. rapæ in illis coctæ tingebantur. Cuprea non, quòd fieri aliàs ſolet & debet, ſunt ſtanno obducta, ſed eo per longi temporis raſionem prorſus nudata; atque in his vaſis ſolet aſſervari Lac, (quod idcircò mox & facilè aceſcit); coquuntur cibi etiam acidi, vel aceto conditi. Butyrum, quod mulierculæ noſtræ in culinis aſſervant in vaſis terreis, reconditur in pelvi æneo, cujus fundum viridi prorſus colore tingit, & ipſum ſe eâdem Tincturâ imbuit. Quid jam mali cauſantur particulæ terreo-ſalinæ, vel acidæ vitriolicæ Cupri, cibiſve indies communicatæ? Fermentum Stomachale depravant, ventriculum ad nauſeam & vomitus diſponunt, cardialgias excitant, in Inteſtinis, præcipuè Coli cellis ſedem ſuam figunt, Tragœdiamque non unam movent, tunicam nerveam continuò vellicant, bilis effuſionem perpetim proritant, (unde evacuata bilis mox de novo ſeſe colligit, & per vomitum vel ſeceſſum indignabunda veluti cum furore excernit), actiones viſcerum infringunt, in maſſam ſanguineam cum chylo delatæ ſerum reddunt acre, ſalſum, ad coagulationes, ſtagnationes & obſtructiones peraptum, (unde cauſa Aſthmatis, Polypi, Ardoris circa Præcordia, doloris item per artus furentis) ipſis tandem partibus ſolidis, viſceribus mollioribus, ſpeciatim ſpongioſæ Pulmonum ſubſtantiæ palorum aculeatorum inſtar infiguntur, infixi manent, & vix niſi fortioribus atque generoſio-

roſioribus remediis expelli ſe patiuntur. Errorem hunc culinarium corrigere juſſi ſubſtitutione vaſorum ligneorum pro Lacte, terreorum pro Butyro, & cuprea Stanno intùs obducere. De tertio Rerum Nonnaturalium genere, *Somno* nempe & *Vigiliis*, non eſt quod plura dicamus; ſunt hi ita juxta Ordinis Benedictini Regulas præciſi, & ordinati, ut inde ſanitas promoveatur potiùs quàm peſſundetur. Non autem ſilentio præteriri debent *Motus* & *Quies*. Vita Religioſorum Monaſtica, & Eruditorum ſedentaria pari ambulant paſſu, utrobique deficit Motus, atque corporis Exercitium; colligunt in Cellis Monachi æquè ac Eruditi in ſuis Muſeis varias cruditates, quæ ventriculo indigeſtionem afferunt, fermentum obtundunt, pituitam in Inteſtinis coacervant, ſicque flatibus perpetuum fomitem præbent, maſſam inſuper humoralem diſponunt ad varias obſtructiones, ſecretiones viſcerum depravant, & ſpeciatim pro ratione Temperamentorum malum illud (Crucem Medicorum) Hypochondriacum, cum Melancholiâ, morbos inter Literatos haud infrequentes inducunt. Conſului, quò ſic obviam iretur imminentibus gravioribus hiſce, aliiſque morbis, corporis frequens Exercitium, præcipuè horâ dimidiâ, aut integrâ, ante paſtum, ut reliquiæ ciborum in ventriculo digerantur, & excernantur, & ſic quoque prohibui meditationes ſtatim à paſtu, à multis inſtitui ſolitas, atque è contrà ſuaſi deambulatiunculam, digeſtioni Ciborum apprimè proficuam. Sanguine crudo, pituitoſo, Spiritibuſque eâdem labe infectis non poſſunt fibræ ſtomachales & inteſtinales ritè contrahi, & contractorio ſuo motu excrementa ipſis moleſta expellere; unde fit, quòd *excernenda* hæc *Retenta* in Fiſtulâ Inteſtinali, imò paſſim in Tubulis cutaneis & carneis remaneant, ſtagnent, ſtagnando aciditatem contrahant, atque in flatus ſeſe reſolvant. Quòd ſi inſuper in ſcenam ducantur armati illi Satellites, particulæ acidæ cupreæ, ſtimulabunt hæ fibras nerveas conſtanter & nimiùm, unde copioſa bilis per ductus Choledochos effuſio, & quandoque Cholera. Spiritus ipſi animales continuò exerciti tandem in ſtatum debilitatis & paupertatis cum vitæ ipſius periculo redi-

Somno & Vigiliis.

Motu & Quiete.

Excretis & Retentis.

guntur. Inter *Retinenda* primatum tenet Sanguis, cujus per Venæſectiones iteratas amiſſio, pariter ac purgantium ἄνω καὶ κάτω uſus, dico, abuſus, malum in deterius ſemper præcipitavit. Quemadmodum denique nullum prorſus Vitæ genus ab *Animi Affectibus* eſt immune, ita nec Vita Religioſa Monaſtica hoc Privilegii ſibi arrogare poteſt, ut omnes Paſſiones ex ſuis Conventibus ac cellis proſcribere queat. Quinimò diſponit ipſa vivendi ratio ad neſcio quam morum ſingularitatem, ſeveritatem, triſtitiam, Saturninum habitum, quibus ſolis, excluſis licet invidiâ, irâ, aliiſque id genus Pathematibus, machina Corporis infirmari, & vita deſtrui facilè poteſt. Quid gravibus hiſce vitæ Humanæ Hoſtibus opponi debeat, abſque ulteriori explicatione facilè innoteſcit,

Animi Pathematibus.

Quid *Diætetico* fonte exhauſto in hac Colicâ ſpaſmodicâ venenatâ auxilii ferre debeant, & poſſint reliqua Medici Adminicula, *Pharmacia* & *Chirurgia*, paucis indigitabo. Ex Medicamentorum Internorum Claſſibus ſelegi partim gelatinoſa, mucilaginoſa, hordeata, gelatinam Cornu Cervi, Eboris, juſcula Cancrina, partim Bezoardica generoſa Opiatis miſta, Aquam Angelicæ, Liliorum convallium, Sambuci, Eſſentiam Opii Langelotti, Mixturam ſimplicem, Confectionem Diaſcordii, Theriacalia; ut illis quidem ſpicula acida infringerentur, obvolverentur, & à vellicatione Nervorum abſtraherentur, his autem per habitum corporis propellerentur, & Symptoma urgens, dolor nempe atrox, mitigaretur: Quibus ſolamen attuli non modicum ægris, imò & dolores tum ſedavi, tum abſtuli, non tamen cum optato & tali ſucceſſu, qui recidivam nullam admiſerit, ex ratione facile hariolanda. In Obſtructionibus alvi ſoli juverunt Clyſteres anodyni & emollientes domeſtici. Externè cum ſucceſſu applicavi frictiones, atque inunctiones cum Spiritu Vini Camphorato & Crocato, Sacculos ex herbis emollientibus nervinis, item Veſicatoria Suris, quibus ſerum extraxi flavum, acre, gelatinæ inſtar coagulatum.

Cura.

Angelimontana Vallis.

Digreſſione hâc factâ redeo ad Penſum meum Naturale Hiſtoricum, relaturus quid curioſi obſervaverim in Valle, in-

integroque Diſtrictu *Angelimontano*, Dominio Reverendiſſ. Abbatis abſque omni ad Cantones alios recurſu vel appellatione ſubjecto.

Verſus Auſtr-orientem, ſi è Monaſterio proſpiciatur, caput inter nubes attollit mons præaltus, perpetuâ nive & glacie rigens, *der Tittlisberg* dictus, quem pro altiſſimo Helvetiæ vulgò habent, aſt falſò aſcribunt Territorio Subſylvano *Cyſat. Lucern. See.* p. 249. & *Wagner. Helv. Cur.* p. 16. Montis hujus partem anteriorem totam ſcopuloſam ope Calculi Trigonometrici 358. perticas altam inveni. Summum Montis apicem, *der Nollen* cognominatum, quia nube tectus erat, videre, atque ſic menſurare tunc temporis non licuit. Inſtitui autem operationem prope caſam Alpinam, *die Herrenrüti*, quæ dimidio milliari à Cœnobio diſtat, & triginta perticis hoc eſt elevatior, ut ſic altitudo perpendicularis montis menſurati reſpectu ad Monaſterii ſitum habito foret 388 pertic. & ſalvo errore Calculi ſuprà inſtituti, mons Tittlisberg elevatus foret ſupra planitiem Altorffini pagi in Valle Urienſi ſiti 465 pert. ſive 4650 pedd. Clarior forte erit altitudinis hujus Idea, ſi cogitetur 46 turres, ſingulas 200 pedes altas (quot incirca habet Turris noſtra Carolina) vix accedere ad altitudinem montis hujus, conſideratam reſpectu Altorffinæ Vallis. *Montes præcipui. Tittlisberg.*

E regione hujus eſt *Mons* etiam altus *Angelorum*, *der Engelberg* dictus, ubi Angeli feruntur fuiſſe auditi in conſecratione & ædificatione Cœnobii, olim *der Hennenberg* à figura culminis fuit nominatus, ſicuti etiam nunc cacumen montis *der Hanen* audit. Cœterùm in Angelimontana Ditione ſunt montes alii, *der Rauhberg*, *Firnalpen*, à rupibus glacialibus nivoſis, *Firn* dictis, ibi reperiundis, *Weiſſberg*, *Stotzigberg*, *Kenlisberg*, *Plangenkelen*, *Sandeck*, *Gemſenſpiel*, *Gerſtine Alpen*. *Engelberg.*

Subſylvanis atque Angelimontanis communes ſunt *der Wildberg*, *Planggengradt*, *Scheiberg*, *Stoffelberg*, *Rigenthalergradt*; Uriis & Angelimontano Cœnobio communis eſt *die Rotereck*. *Alii Subſylvanis & Uriis communes.*

Cœterùm vidi in Mappâ pictâ Angelimontani Dominii

Montes quidam Uriorum,

Montes ſequentes, qui ad Urios pertinent, *Kleine und groſſe Spaneter*, *Spitzgraffen*, *Hermiſalp* (forte *Alpes Hermetis* ſeu Mercurii, quemadmodum Solodori etiamnunc eſt locus *der Hermesbühel*, collem Mercurii dixeris, quód ibi fuerit Templum Deo huic ſacrum, *Hafner. Soloth. Schauplaz.* P. II. p. 20. *Hotting. Helv. Kirchen. Geſch. Lib.* I. p. 47.) *Gitſchiberg*, ſive *Gitſchiſtock*, *Scheideck.*

Subſylvanorum.

Subſylvanorum ſunt *der Rothe Sattel*, *Settlengradt*, *Hüllberg*, *Obhag Alp*, *Schaffenberg*, *Geiſſberg*, *Arniberg*, *Scheideck*, *Storeck*, *Grublerberg*, *Alpenſtock.*

Pluviæ Prænuntii.

Pluviam Angelimontanis præſagiunt Nubes cacumini montis *Schalliſtock* circumfuſæ; nubes item aliæ coloris griſei ex parte Subſylvaniæ, ſive a Septentrione per aperturam Vallis introcedentes, quibus adventantibus Incolæ dicunt, *der Thalvogt*, item *der graue Thalvogt komt.* Aliàs paſſim in Alpibus prænunciant pluviam Torrentum ſtrepitus atque ſuſurri, auribus magis, quàm vulgò ſolet, moleſti. Materiam hancce de *Signis Pluviarum* non ante dimitto, quàm aliis homogeneis noviſque Obſervationibus ab Alpicolis factis illuſtravero. *Filiſurii* in Rhætiâ uſitatum eſt Proverbium: *Cura ch'il pitz da Stiervi fo chiapi, ſchi laſcha der la ſotſch, & piglia il raſti.* Senſus Linguæ Rhæticæ, quæ eſt Italicæ Dialectus, hic eſt; *Quando cacumen montis Stirwis*, qui duo circiter milliaria diſtat à Filiſurio verſus occaſum, *capitium facit*, id eſt, nube velut pileo cingitur, *abjice falcem*, quâ ſecatur fœnum, & *accipe raſtrum*, inſtrumentum, quo fœnum in acervos colligitur, quòd pluvia inſtet. Ita quoque *Novenæ*, qui pagus haud longè diſtat ab origine Rheni, ſi conſpiciatur nubecula vel nubes in monte *Cucarnil*, prædicunt Incolæ pluviam procelloſam, ejuſdem diei veſperâ, vel ſequenti die venturam. *Silii* in Engadinà ſuperiori eſt Lacus milliare circiter longus, dimidium latus, cui ſi inſideant Nubes, certiſſimum Pluviæ indicium præbent. Obſervationes haſce pro ſuo erga me benevolo affectu communicârunt Reverendi Paſtores Rhæti, primam quidem & ſecundam D. *Joh. Leonhardi*, V. D. M. Novenenſis, tertiam D. *Jacobus Piçininus*, V. D. M. Solienſis; cui ſimilem habet *Joh. du Choul*

in

in *Deſcript. Pilati montis in Galliâ. Procreatur*, inquit, (*in vertice Pilatini nemoris*) *nebuloſa quædam exhalatio, quæ ſtatim aut futura tonitrua, vel imbres ſignificàt. Fit præſagium hoc pacto: ſi Caligo Aquilone flante in altum conſurgat, ſudum denotat, aliter conſidere continenter ſolet, & hoc pluviæ manifeſtum ſignum.* Obſervationem prioribus jam recenſitis contrariam exhibet *Joh. Leopold. Cyſat. Lucern. See.* p. 252. de *Monte Pilati* prope Lucernam, qui ſi *pileatus*, id eſt, nube cinctus ſit, ſerenam tempeſtatem annuntiet, unde Proverbium; *Wann der Pilatus hat ein hut, ſo iſt das Wetter ſein und gut*, i.e. Quando Pilatus eſt pileatus, ſereneſcet Aër. Illuſtravi materiam hancce, & illuſtrabo porrò, εἰ ὁ Θεὸς ϑέλει, ſedulâ inquiſitione ſignorum tum recenſitorum, tum aliorum, quæ Alpicolæ deſumere ſolent ex Ligni ardentis ſtrepitu, fiſſurarum in Glacie Alpinâ tonante rupturâ, Rupicaprarum deſcenſu ad inferiora montium loca, &c. ut morem geram petitionibus modeſtis Viri in Literatâ Veſtrâ pariter ac Exoticâ Republicâ Celeberrimi D. *Johannis Woodwardi*, Med. Doct. & Phyſicæ in *Collegio Greshamenſi*, quod Londini eſt, Profeſſoris Clariſſimi, cujus favore & amicitiâ mirè gaudeo.

Catarrhacta montana.

Ad alia pergo. Ex *Catarrhactis* montanis in Territorio Angelimontano paſſim obviis viſum maximè recreat ſpumoſâ ſuâ & lacteâ veluti albedine *der Deüsbach*, qui defluit ex Alpe *Dagiſtall* è regione Montis Tittliaci.

Temporarii Fontes.

Temporarii *Fontes*, qui *Maiales* vulgò *Meybrunnen* audiunt, quòd Majo menſe proſilire incipiant, & Septembri fluere ceſſent, paſſim in Alpibus Helveticis, & ad harum radices reperiuntur. In Angelimontano Diſtrictu inter *Cœnobium* & pagum *Wolffenſchies*, *im Graffenorth*, Comitum Habſpurgicorum quondam ſede recreatoria, eſt Fons *der Kalte brunn*, quia frigidiſſimam fert aquam, appellatus. Hic tertio circiter Maji in Feſto Inventionis Crucis, è terrâ prorumpit, & decimo quarto Septembris, quo celebratur Exaltatio Crucis, fluere deſinit, *flieſſet hiemit von einem Creutztag zum andern*, non tamen tam exactè obſervat ſanctos hoſce dies, quin aliquando ante Crucis Inventionem fluat, & ante Exal-

Exaltationem rurſus tunc ſeſe abſcondat, aliquando poſt utrumque Feſtum ſeſe oſtendat, & retrahat. Inter rariora Phænomena relatus fuit Fontis hujus fluxus, per An. 1700. quo in menſem Octobrim uſque fluxum ſuum continuavit. Eſt hic ipſe Fons, qui *Cyſato Lucern. See.* p. 248. & ex eo *Wagnero Helv. Cur.* p. 131. memoratur, quòd *loco in Kaltle ad viam Regiam profluat*, quemve *Wagnerus* in Notis MS. diſtinctiùs expreſſit, ſed pro diverſo à priori perperam habuit. Fons alius, *der Dürrbrunnen* dictus, eandem cum priori exiſtimatur habere Scaturiginem, fluit etiam per Æſtatis decurſum.

Mineralia. *Mineralibus* omnis generis prægnantes eſſe Montes Valleſque Dominii Angelimontani, patebit ex ſequenti Catalogo.

Marmor. *Marmor nigrum* venis albis & maculis obſoletis diſtinctum in Montibus Monaſterio vicinis copioſè reperitur.

Cryſtalli. *Cryſtalli* minores hexagonæ *auf Wallen in der Ochſenalp* Ex his quæ ἀμφήκεις, ſeu utrinque acuminatæ ſunt, *Schwindelſteine* Incolis cognominantur.

Cryſtalli aliæ immaturæ, figuræ indeterminatæ, *Fluores* potiùs vocandæ, in cavernâ quadam *gegen dem Graffenorth.*

Metalla. *Metalli auriferi indicia extant ad Angelorum Montem. Wagner. Helv. Cur.* p. 349. Forte hæc eſt vena Auri & Argenti cinerea, quæ *im Bruderloch* reperitur cum *Pyrite Atramentoſo*, & *Terrâ Vitriolicâ* cinereâ, ochraceâve, quæ brunum colorem calcinata induit, Croci Martialis indicem, aquas etiam è caverna defluas acidularum ſapore imprægnat.

Pyrites. *Pyrites* alius, Atramenti ſeu Vitrioli Parens, è quo hoc ipſum & *Miſy* exudat, invenitur *im Graffen*, item in Alpibus Surenenſibus.

Im Geiſsloch, quæ caverna eſt è regione *des Bruderlochs*, etiam reperitur priori ſimilis fere Vena *Argenti* & *Vitrioli.*

Argentum. Vitriolum. *Vitrioli* Venas lutoſas in fiſſuris ſaxorum paſſim reperii ad radicem montis Tittliaci; *Fiſſiles* item *Lapides* Pyrite atramentario perfuſos, ac ferrugineo colore tinctos, qui à Vitriolo corroſi in Argillam abeunt cineream mollem.

Pyrita. *Pyrita* argenteus & anguloſus *im Urner Graffen.*

Pyrita argenteus in Saxo duriſſimo, Terra Martiali rubra aſperſus, *im Firna pelin & Hofad.* Py-

Pyritæ globoſi reperiuntur *auf dem Geiſſberg*, qui Subſylvaniæ mons eſt.

Lapides Fiſſiles nigri Glaronenſibus ſimiles, uti & *Cotes*, copioſi ſunt *auf dem Lattenberg*, qui inde etiam nomen traxit. *Lapides Fiſſiles.*

Creta coloris atri, Pictoribus utilis, in glebas concreta, *im Galtiberg*, & *an der Herrenrüti*. *Creta nigra.*

Lac Lunæ ſuppeditat Caverna quædam *im Horbis*. *Lac Lunæ.*

Lapidi fiſſili cinereo adhæreſcit *Sal*, quod ad *Boracem* propè accedit, etiam guſtu, ſubtilem habens cum aliqua ſtipticitate Aluminoſà dulcedinem. Cum Oleo Tartari per deliquium nullam ſubit mutationem, uti nec Alumen, nec Borax, nec Sal Armoniacum. Ab infuſione Tornæſolis nullam ſenſibilem patitur mutationem, uti nec Borax, cùm è contrà Alumen ſubitò hanc Tincturam commutet in purpuream, & Vitriolum reddat eandem cum præcipitatione turbidam. A commixtione Spiritûs Salis Armoniaci Urinoſi turbatur Liquor in lacteum colorem, & præcipitatur materia albida; aſt inde Alumen & Borax paucam ſubeunt mutationem. A Spiritu Tartari Volatili, & Spiritu Vitrioli nullam quoque eſt paſſum hoc Sal alterationem. Infuſio Gallarum turbabatur ab Alumine, non item à Borace & noſtro hoc Sale. *Sal Boraci ſimile.*

Angelimontano Territorio non priùs decedam, quàm Relationibus hiſce inſeruero Obſervationem ſatis curioſam, quæ ad Regnum Animale ſpectat. Accidit Ann. 1699. ut Rupicapra, quod genus Animalium Saxa editiſſima, Scopuloſque præruptos raró deſerit, ſponte deſcenderit in paſcua, ibique ſeſe Equis Vacciſque immiſcuerit, imò non Lapidibus inde ſe abigi paſſa fuerit. Inſolitæ rei narratione commotus Venator ſeſe accingit, & quod communiter vix maximo labore, nec ſine vitæ periculo agit, facillimè globo ſclopetario Capram trajicit. Reverendus Pater ex Nobili *Zurlaubiorum* Tugina Familia oriundus, Vir rerum Naturalium ſtudioſiſſimus, Rupicapram in Cœnobium delatam Anatomico Cultro ſubjicit, curioſus, quid cauſæ latere poſſit in una ex Partibus corporis Principibus tam raræ tranſmigrationis, atque intra Cranium invenit duræ Meningi inſtratam Hydatidem ſero, arenuliſque repletam. Vertigine laboravit haud dubiè *Vertiginoſus Rupicaprarum & Vaccarum affectus.*

D hæc

hæc Fera, cujus hepar aliâs Scotomiam curare dicitur, teſte *Velſch. Hecatoſt.* II. *Obſ.* 62. Nam ecce Obſervationem Practicam aliam, quam nec in Noſocomiis, Laboratoriiſve Chirurgicis vidi, nec à Præceptoribus didici, in Alpibus ſatis frequentem! Accidit quandoque, ut Vaccæ attonitæ, veluti nihil attendentes conſiſtant, vel perpetuò in gyrum ſeſe moveant, & Aquarum fluentium Suſurrum ſequantur, uſquedum devenerint ad Torrentem vel Flumen, ad cujus ripam pedem figunt, ac ſi ex blando ſuſurrantis Aquæ ſono delectamentum perciperent. Accerſitur ſine mora Operator Veterinarius, hic plerumque in medio Vaccæ fronte Trepanationem inſtituit, ſed non artificioſam illam in Capite Humano celebrari ſolitam à Chirurgis, verùm ſimpliciorem longè; Cutem incidit Scalpello culinario acuto; Modiolorum loco utitur etiam Cultro, eoque in gyrum manu acto Cranium ſenſim perforat, initio quidem, quod probè nôrunt Anatomes omnis gnari, ſecurè & citò, ſub finem verò tardè ac cautè. Denudatâ Meninge, coram foramine ſeſe ſiſtit Hydatis, ſeu aquâ repleta veſicula, vel ope fili ferrei hamati inter Cranium & duram Matrem introacti quæritur, & eodem hoc Inſtrumento rudi extrahitur. Hoc facto ſingulis diebus vulnus deligant, atque Emplaſticis curant. Quod ſi alterutro Cerebri Hemiſphærio incumbat Hydatis, tunc obſervant Operatores, num gyrum interiorem formet dextrum ægræ latus, vel ſiniſtrum, nam ex illo latere Trepanationem inſtituunt, atque veſicam extrahunt. Ita fit Diagnoſis, & Therapeia. Prognoſin ſi ſpectemus, non omnes ex hac operatione vitam, quæ periclitatur, recuperant, ſed magna ægrarum pars moritur. De Vaccis ipſis, ſi hoc affectu laborent, dicunt, *ſie ſeyen ſtürmig*.

Fons Periodicus Engſtlanus. Engelbergâ itur per *Jugum*, *das Joch*, juxta montem *Ochſenſtock* ad Alpes Bernenſium, & nominatim, Vallem *Haſleam*, *Haſelam*, *das Haſlithal*, Alpemque *Engſtlanam* illam, quam celebrem reddit *Fons Temporarius*, de quo mira narrârunt Scriptores Helveti, & ex iis exteri; *Stumpf. Helv. Chorogr.* L. VII c. 21. *Zuinger Method. Apodem.* L. II. c. 5. p. 84. *Suicer Deſcript. Helv.* p. 6. *Räbmann Geſpräch von Ber-*

Bergen, p. 89. 200. *Cyſat. Beſchreib. Lucern. See.* p. 247. *Plantin Helv.* p. 71. *Wagner. Helv. Cur.* p. 132. *Werner de Admirand. Hungar. Aquis* p. 19. Falſa veris miſcuêre omnes. Narrabo breviter, quid tum αὐτοψία nos docuerit, tum Relationes fidæ Incolarum, aliorumque ἀξιοπίςων hominum. Fontem ipſum videre, in fluxu videlicet ſuo, hoc die, qui 18 fuit Auguſti, non licuit, quia jam ante exaruit. Situs eſt in planitie ipſa vallis, profluitque medios inter Lapides, caſu, ut videtur, invicem ſuperillapſos; ab Oriente & Septentrione edita habet Montium Petrarumque juga. Periodum obſervat duplicem, annuam unam, diurnam vel horariam alteram. Tribus duntaxat fluit menſibus, à medio Maji ſcilicet ad medium Auguſti, ut hoc reſpectu Fontium Majalium numero adſcribi poſſit & debeat. Non tamen, ut hi, conſtanter per τριμήνιον fluit, ſed matutino plerumque & veſpertino tempore, manè horâ circiter octavâ, veſperi quartâ. Notandum tamen, quod ipſi Celeb. Wagnero editâ jam *Hiſtoriâ Helv. Curioſ.* retulit Rev. D. *Henricus Becklinus* Bernenſis, Paſtor Haslenſis, qui ſingulis annis locum hunc frequentare ſolebat; *curſum fontis hujus maximè inæqualem eſſe, ſæpe aquas ejus veſperi præſtò eſſe, & fluxum earum per integram noctem durare, manè ſequenti autem ceſſare, mox manè; aliquando aquas profluere, ſæpe interdiu fontem curſum redintegrare; ſæpe aquas ejus tres, imò quatuor dies integros perennare, ſæpe aquas aliquot diebus non apparere; fabuloſum autem id planè eſſe, manè ſaltem, meridie & veſperi ſingulis diebus fluere, quando armenta accedunt, potum hauſtura.* In uſum Pecoris ſolum hoc Naturæ Miraculum fluere vix vero eſt ſimile, ſunt enim in vicinia ex utroque Fontis hujus latere plures alii, ipſe etiam Lacus Engſtlenſis, rivuſque, ut Aquarum nulla penuria adſit. Falſum eſt etiam, & ad fabulas relegandum, quòd Fons hic ceſſet, ſi quid immundi vel temerè, vel malignè in eum projiciatur, & veluti indignabundus aliquot diebus aquas neget. Hæc ὡς ἐν παρόδῳ, & percurſoriè inſerere volui, ut veritati ſuus redderetur honos, &, quæ ſuperſtitionem, falſitatemve redolent, ex Hiſtoria Naturali auferrentur. Superſedeo hâc

vice plura de hoc Fonte recenſere, Textus ipſos ex Authoribus citare, imò & ratiocinia de illius periodico fluxu immiſcere, ad aliud tempus illa reſervans, imò differens ad commodiorem fluxum ipſum per aliquot dierum ſucceſſum videndi, omniaque exactiùs ponderandi occaſionem.

In Monte Pilati. In reditu ex Alpibus Bernenſibus & Subſylvanis conſcendimus *Fractum* illum in plures Scopulos, ſeu *Pilati Montem*, prope Lucernam ſitum, de quo non habeo plura, quæ referam. Peculiari Libello eum deſcripſit *Conradus* noſter *Geſnerus*, Vir nunquam abſque honoris prologo mihi nominandus. Spicilegium poſt Geſnerianam Meſſem eſto ſequentium Obſervationum Syllabus.

Lacus. *Lacûs*, Lacunæ potiùs, vel Paludis *Pilati*, effectus in Fulminibus, Tonitrubus ac Tempeſtatibus ciendis mirabiles olim crediti, metum incuſſère integræ περιχώρῳ, nunc refutatione deriſoriâ digniores ſunt, quàm ſolidâ Philoſophicâ.
TAB. II. *Fig.* 3. Ichnographicam hujus Lacûs Delineationem ſiſtit TAB. II. *Fig.* 3. ubi quæ punctulis circumſcribitur Lacûs portio, profunditatis creditur eſſe immenſæ.

Altitudo. *Montis* ipſius *Fracti* altitudo ſurgit ſupra Lucernæ Urbis planitiem ad 280 perticas, ſi fidem damus Barometro. Dabitur autem alia fortè & commodior occaſio, Trigonometrico Calculo hoc Experimentum Phyſicum vel confirmandi vel corrigendi.

In editiſſimâ fermè Montis parte, quam *Widerfeld* vocant, *Conchæ Lapideæ.* Scopuli ſunt compacti ex meris *Concharum Lapidearum* teſtis, tam lævibus, quàm ſtriatis, omnibus tamen confractis, ut vix ſummo labore & patientiâ integram quis inde avellere, aut matrice ſuâ ſolutam invenire poſſit. Sic quoque, quod ſuprà jam memoravi, reperiuntur ibidem Saxa referta *Lentes ſtriatæ.* *Lentibus ſtriatis*, *utrinque convexis*, deſcriptis in *Specim. Lithograph.* p. 31.

I N-





Sumptibus D. Hans Sloane, M.D. Coll. Med. Lond. Socii, et Societatis Regiæ Secretarii.

INDEX PLANTARUM RARIORUM ALPINARUM, in Itinere hocce collectarum.

A. ABſinthium Seriphium montanum candidum C. B. *Abſinthii genus, in Valeſia Herba alba dicta, & Abſinthium Seriphium fœmina* Geſn. Hort. *Abſinthium album è Valleſia* Eid. App. *Abſinthium Valleſianum tenuifolium candidum, ſive Herba alba* J. B. *Radice* nititur fibroſâ albâ, ſaporis calidi amariuſculi, ex qua oriuntur *Cauliculi tomento albo & denſo pubeſcentes*, tenues, *lignoſi*, *foliis* veſtiti tenuiſſimè diviſis, atque inſtar ſerici ex albo ſplendentibus, quæ inſident pediculis uncialibus & biuncialibus, ſemuncialibus item, ubi è caule ipſo prodeunt, & altiorem occupant ſedem. *Cauliculi* accedunt altitudine ad tres quatuorve uncias. Verſus horum ſummum, è foliorum alis, oriuntur pediculi ſemunciales, & breviores, tenues, qui ſuſtinent *Capitula ſquamata, ut in Stœchade lutea, ſed minora, luteos flores continentia*, calyce polyphyllo tomentoſo ſplendido ſuſtentata. *Rajo*, Phytographo celeberrimo, ſubſcribo, qui *Hiſt. Plant.* p. 369. pro eodem cum hoc Abſinthio Valleſiano habet *Abſinthium Alpinum incanum* C. B. *Abſinthium* item *marinum* ſeu *Seriphium*, quibus inſuper aſſocio *Abſinthium Alpinum candidum humile* C. B. Prodr. Horum ſanè omnium Deſcriptiones ab Abſinthio Valleſiano non abludunt. Iconem exhibet TAB. III. *Fig.* 1. TAB. III. *Fig.* 1.

Acetoſa rotundifolia Alpina C. B. deſcript. in Prodr. p. 55. *Ageratum Pyrenaicum villoſum flore purpuraſcente* Tourn. Ab Agerato ſerrato glabro flore purpuraſcente non differt, niſi piloſâ hirſutie, quæ totam hanc plantam, præcipuè autem caules veſtit. Inveni in montibus Uriorum & Angelimontanorum.

Alchimilla Alpina pentaphyllos Raji. *Alchimilla Alpina Quinquefolii folio ſubtus argenteo* Tourn. *Tormentilla Alpina folio ſericeo* C. B. *Pentaphyllum ſive potiùs Heptaphyllum argenteum flore muſcoſo* J. B. *Tormentilla argentea* Park. In celſioribus Alpium jugis ubique creſcit. Enneaphyllon inter plantas ſiccas Herbarii mei aſſervo.

Allium montanum ſphærocephalon purpureum. Dubius hæreo, an debeam referre ad *Allium ſphærocephalon purpuraſcens* Raji Hiſt. Pl. p. 1118. vel ad *Allium montanum capite rotundo* C. B. ſeu *Allium ſphærocephalum*

purpureum ſylveſtre J. B. vel diſtinctam ab his, quibuſcum in aliquibus notis convenit, conſtituat ſpeciem. Deſcriptio hæc eſt: Ex bulbulo oblongo albo ſurgit Planta ſemipedalis, pedalis & ſeſquipedalis, caule cavo, non geniculato, viridi, cujus tertia pars obvolvitur *folio* vaginato latiuſculo, ſpithamam longo: Caulis ſummum occupat capitulum *florum* dilutè purpuraſcentium, ſtriis purpureis pictorum, monopetalon, marginibus ſextipartitis; *ſtamina* floris ſunt alba, *apices fuſci*.
TAB. III. Fig. 2. Vid. TAB. III. *Fig.* 2.

Androſace Alpina perennis anguſtifolia villoſa & multiflora Tourn. *Sedum Alpinum hirſutum lacteo flore* C. B. *Chamæjaſme Alpina* J. B. quòd *floſculus, dum recens eſt, Jaſmini inſtar odoratiſſimus exiſtat*. Deſcriptio J. B. exacta ſatis eſt. Ad radices montis Tittliaci copioſè creſcit.

Aquilegia montana magno flore C. B. Creſcit pulcherrima hæc planta ſupra Alpinam vallem *Waldnacht* in jugis editioribus.

Aſter Alpinus cæruleus magno flore Park. *Aſter montanus cæruleus magno flore, foliis oblongis* C. B. *Aſter purpureus montanus* J. B. cui, uti & Rajo ſubſcribo, referentibus huc *Aſterem Atticum minorem* Camer. adeòque etiam *Aſterem Atticum Alpinum alterum* C. B. Deſcriptio eſto ſequens: Ex *radice ſatis craſſa, longa, nigricante, fibrata*, oriuntur ſtatim initio caulis *folia* multa, *piloſa, unciam unam, duas, aut tres longa, ſemunciam* (vel tertiam quartamve unciæ partem) *lata*, nervo per medium decurrente inſignita. *Caulis* ipſe *palmaris, dodrantalis*, etiam *pedalis*, prope radicem plerumque purpuraſcit, & pilis albis brevibus veſtitur, verſus ſummitatem tamen hirſutior eſt, *foliis* & ipſe ornatur anguſtis, alternis, aſperis. Summo cauli inſidet *Flos* pulcher, *major quàm vulgaris purpurei Aſteris*, cujus corona conſtat ex longis & anguſtis ſemifloſculis purpuro cæruleis, diſcus autem componitur ex floſculis luteis. *Calyx* floris conſtat ex multis foliis oblongis, acuminatis, piloſis, haud raro purpurâ dilutâ tinctis: *Floſculos oculi medii ſequitur appenſum in pappis ſemen*. In collibus Alpinis paſſim creſcit.

Aſteri montano purpureo ſimilis, vel Globulariæ J. B. Lib. XXIV. p. 1047. Dubito, an ſit *Aſter Alpinus flore purpuraſcente* Raji Hiſt. Plant. 268. cum *caules* non ſunt *ramoſi*, ſed *flos* ſummo cauli inſideat *unicus*. Deſcripſit, & ſatis bene quidem J. B. hanc plantam ex ſicca. Nos eam ita interpolamus ex recenti: Ex *radice* fibroſa ſubfuſca, *craſſa* ſatis *pro proportione puſillæ herbæ*, oriuntur *caules* piloſi, & verſus ſummum ſæpe villoſi, unciales & palmares, qui veſtiuntur *foliis alternis, latiuſculis, unciam & ſemis longis, inferioribus ex longioribus pediculis quibuſdam uncialibus, aliis duobus & ſemis, culmo paulò latioribus, in obtuſam extremitatem deſinentibus*, ſimilibus ferè foliis *Aſteris montani purpurei*,

purei, *ſed anguſtioribus & delicatioribus*, ad marginem piloſis: Cauli ſummo inſidet *flos unicus*, cujus corona conſtat è petalis anguſtiſſimis ex dilutiſſimâ purpurâ albicantibus, vel etiam prorſus albis; diſcus ex floſculis luteis, interſperſâ copioſâ papporum lanugine. In Alpinis vallibus, Surenenſi & *Waldnacht*.

Aſtragalus Alpinus foliis Viciæ anguſtioribus, *flore ochroleuco* Tourn. Planta hæc, ſi bene eam nominavi, *Radicem* habet cubitalem fere, digiti minimi craſſitie, cortice nigro tectam, intus albam, fibris lignoſis donatam, *quæ*, *antequam è terra erumpat*, *dividitur in aliquot portiones*, *ſive capita*, dimidium & integrum digitum *longa*, *ut niſi quis profundè fodiat*, *plures eſſe plantas exiſtimet*, ſicuti de *Aſtragalo Monſpeſſulano* ſcribit J. B. Ex hiſce capitibus, ſeu Radicis ramis prodeunt *folia* Viciæ anguſtiora, acuminata, ſubhirſuta, per conjugationes 10. coſtæ mediæ adnata, uno impari claudente extremo. E foliorum medio ſurgit *Caulis* palmaris, vel ſpithamæus, foliis nudus, dilutè viridis, leviter hirſutus, ſuſtinens ſpicam *florum* ſemuncialem, vel uncialem, glomeratam fere: Flores ſinguli ochroleuci ſunt, ſeu coloris luteo-pallidi, ſive ſubalbidi. In carina obſcuriori reconditur ſtylus lingulâ apice luteo tectâ veſtitus; *Calyx* floris tubus eſt membranaceus quinquepartitus, fere pellucidus, ſubhirſutus: *Siliquulis* brevibus membranoſis cinereis inſunt *ſemina* parva lutea. Ab hac differre videtur magnitudine & odore *Aſtragalus perennis foliis hirſutis*, *caule recto aphyllo*, *flore ochroleuceo odoratiſſimo* Moriſon. cujus deſcriptio extat in *Raji Hiſt. Plant.* p. 940. Creſcit in Alpibus Surenenſibus, aliiſque Vallis Angelimontanæ.

Auricula Urſi carnei coloris, *foliis minimè ſerratis* J. B. *Sanicula Alpina rubeſcens folio non ſerrato* Eid. Phytop. In ſaxis humidioribus altiſſimis montium *Joch* & *Sureneneck*.

Bellis Alpina minor C. B. Prod. *Bellis Alpina alba minor* C. B. Pin. B. *Bellis Alpina minor rigido folio* Park. In vallibus Alpinis paſſim, iis ſpeciatim, quæ à Torrentibus ſunt irriguæ. *Leucanthemum* erit Tourneſortio.

Bupleuron montanum gramineo folio Tourn. *Perfoliata Alpina anguſtifolia minima* C. B. Prod. *Perfoliata montana minor folio acutiſſimo* Eid. Phytop. Cæſalpinus vocat *Seſeli Æthiopicum parvum foliis gramineis* Lib. VII. c. 34. Ex *radice* longa nigricante vel *rufeſcente* cortice tectâ, *fibris capillaceis* terræ affixâ, ſurgunt *caules* palmares, imo & ſemipedales ac pedales, infernè *foliis* cincti gramineis, anguſtis, oblongis, glabris, & lineis pellucidis ſtriatis; folia hæc anguſta ſequuntur alia, quæ caulem baſi latiore amplectant, ex lato acuminata. Color purpuraſcens, qui ſæpe caulis imam partem tingit, communicatur etiam nervis per mediam foliorum partem decurrentibus. Ad caulis ſummum,

mum, ubi prodeunt pediculi aliquot tenues, adſunt folia quatuor vel quinque inæqualia, uti & ad pediculorum extremum. His innaſcuntur *flores* ſaturè lutei, vel rubentes cum ſtaminibus, & apicibus luteis, quorum *calyx* abit in bina *ſemina* invicem juncta. In ſummis Alpium Helveticarum jugis reperitur.

Bupleurum minimum anguſtifolium H. R. Monſp. *Perfoliata minor anguſtifolia Bupleuri folio* C. B. *Perfoliatum anguſtifolium minimum* Col. *Perfoliata anguſtifolia Alpina minima* Park. *Auriculæ leporis affinis Odontitis lutea Valerandi & Dalechampii* J. B. Deſcriptio atque Icon Columnæ meliùs quadrant noſtræ plantæ, quàm J. B.

Burſa Paſtoris montana Globulariæ folio Tour. *Thlaſpi Alpinum Bellidis cœruleæ folio* C. B. Pin. *Thlaſpi foliis Globulariæ* J. B. *Thlaſpeos albi ſupini varietas* Ger. *Thlaſpi montanum Glaſti folio minus* Park. C. B. App. Cluſius in declivi montis urbi Badenſi imminentis quarto à Vienna Auſtriæ milliari invenit; nos in monte Legerio ſupra Badam Argoviæ, & paſſim in Alpibus.

C. *Cacalia foliis craſſis hirſutis* C. B. *Cacalia quibuſdam* J. B. *Cacalia incano folio* Ger. *folio rotundo incano* Park. Ab hac non differre ſpecie *Cacaliam tomentoſam* C. B. ſuſpicatur *Rajus Hiſt. Plant.* 291. *cum imperfectè ab eo deſcripta ſit, ut qui folia tantum videret, cùmque paucis, iiſque non magni momenti notis à præcedentibus differat.* Aſt Bauhini Authoritatem & fidem ſalvare videtur Tournefortius, qui in Alpibus, fortè Pyrenaicis, vidit *Cacaliam Alpinam foliis utrinque denſo & candidiſſimo tomento obſitis.* Creſcit noſtra Cacalia in omnibus Alpibus.

Cacalia foliis cutaneis acutioribus & glabris C. B. *Cacaliæ alterum genus*, quod ſub titulo *Cacaliæ quibuſdam* locat. J. B. *folio glabro* Ger. *glabro folio acuminato* Park. Creſcit hæc in ſummo Montis Legerii jugo, retro Speculam, ſed & in Alpibus.

Campanula foliis Anchuſæ, floribus oblongis, C. B. *Rapunculus montanus, ſive Trachelium montanum* J. B. *Trachelium montanum majus* Park. Non dubito, quin hæc eadem ſit cum *Campanula minore foliis Succiſæ flore magno* Raji *H. Pl.* p. 735. In editioribus montium partibus humilior eſt hæc Planta, quemadmodum id in genere obſervare eſt circa Plantas Alpinas, ex rationibus traditis in *Stoicheiol. Helvet.* Theſ. 25. Quibus adde Teſtimonia bina, unum *Johannis Fabricii*, Miniſtri Eccleſiæ Curienſis quondam clariſſimi, qui in Literis d. 26 Jun. 1559. ad Conradum Geſnerum datis, atque *Aretii deſcriptioni Stocchornii & Neſſi* ſubjunctis, ita ſcribit: *Chriſtophoriana, quo in loco naſcitur editiore, tanto eſt exilior, & preſſior, ut & reliquæ pleræque omnes herbæ.* Alterum Geſneri ipſius Hort. German. p. 243. *b. Abſinthium commune naſcitur in quibuſdam montibus Bernenſium, ſed multò minus, frigore aut alimenti inopia, ita ut ſpecies diverſa videri poſſit. Sicuti & aliæ multæ Her-*

Plantarum Alpinarum parvitas.

Herbæ in montibus altis natæ, iis, quæ humilius naſcuntur, minores, ſolidioreſque & craſſiuſculis foliis ſunt, ut Violæ nigræ, Bechium, &c. Dum autem l. c. debiliorem ſucci nutritii in caules Plantarum propulſionem pro cauſa agnovi tum parvitatis, tum ſaporis aromatici Plantarum Alpinarum, non excluſi alias, uti certè in cenſum venire poſſunt allabentes continuò venti, & aëris ipſius circumſtantis major Frigiditas, unde pori Plantarum conſtringuntur, Succi nutritii progreſſus retardatur, altiora petentibus mobilioribus duntaxat & ſpirituoſioribus partibus, quæ ob ipſum hoc ambiens Frigus avolare haud facilè poſſunt. Audiamus Joſiam Simlerum *Comment. de Alpibus*, p. 126. *b. Ex his, quæ montibus cum planis communia habentur, campeſtris materia mollior, & tenuior plerumque eſt, montana autem proprium adepta locum melior, pulchriorque provenit, nam montium ſiccior & aridior habitus lignum magis durat & adſtringit, & ventis ibi ad ſoliditatem & firmitatem tunduntur arbores, itaque apud Poëtas, ut Doctiſſimus Turnebus adnotavit, montana materia, ut haſtilibus aptior, commendatur, unde etiam Homerus cæſam fuiſſe ait Haſtam Achillis è vertice Pelii montis, bonitatem materiæ demonſtrans, &* ἔγχυς ἀνεμοτρεφὲς *nominat, Criticis rigidum & durum Haſtile interpretantibus. Apud Latinum quoque Poëtam Itali milites*

Duo quiſque Alpina coruſcant geſa manu;

Alpina enim dicuntur, non ſolum, quod Alpini populi geſis uterentur, verùm etiam, quòd ex Alpina materia facta eſſent, ϗ ταῦτα μὲν ὡς ἐν Παρόδῳ. Pergimus.

Campanula minor rotundifolia Alpina C. B. *Rapunculus Alpinus minor rotundifolius* Moris. flore niveo reperi in Valle Angelimontana.

Caryophyllata Alpina Chamædryos folio Moris. *Chamædrys Alpina Ciſti flore* C. B. *Chamædrys Alpina flore Fragariæ albo* J. B. *Spuria montana Ciſti flore* Park. *Teucrium Alpinum Ciſti flore* Ger. Frequens eſt hæc Planta in omnibus Alpium jugis.

Chamæmelum Alpinum inodorum C. B. *Leucanthemum Alpinum* Cluſii, radicem habet ſaporis acris, unde fortè *Pyrethri Alpini* cognomen mutuò ſumpſit Geſnerus: Ipſi certe Pyrethro pro Maſticatorio ſubſtitui facilè & tutò poſſet in Medicina. Forte eſt hoc *Chamæmelum montanum Millefolii folio* Tour. Collegimus in valle Alpina *Waldnacht*, *auf Eck*, & ad radicem montis Tittliaci copioſe.

Chamænerion anguſtifolium Alpinum flore purpureo Tour. *Lyſimachia Chamænerion dicta anguſtifolia*, C. B. & *Lyſimachia Chamænerion dicta Alpina* C. B. Park. Non enim video, præeunte Rajo, aliam inter duas haſce Caſparo-Bauhinianas differentiam, quàm magnitudinis, quæ non variat ſpeciem. *Lyſimachia ſiliquoſa ſpecioſa auguſtifolia* J. B. *Lyſimachia ſiliquoſa auguſtifolia, Chamænerion Geſnero dicta* Park. *Chamænerion alterum auguſtifolium* Ger. ad ripam Aa fluvii, qui vallem Ange-

limontanam permeat. Ultra pedem hæc non aſſurgit.

Chamærhododendros Alpina glabra Tour. *Ledum Alpinum foliis ferreâ rubigine nigricantibus* C. B. *Nerium Alpinum quibuſdam, aliis Ledum glabrum* J. B *Chamærhododendros Alpigena* Ger. *Ledum Alpinum, ſive Roſa Alpina* Park. Saxoſis innaſcitur in valle Engſtlana & paſſim alibi.

Chamærhododendros Alpina villoſa Tour. *Balſamum Alpinum* Geſn. Lob. *Ledum Alpinum hirſutum* C. B. *Nerium Alpinum quibuſdam, aliis Ledum hirſutum* J. B. *Ledum Alpinum, ſive Roſa Alpina* Park. *Ciſtus Ledum Alpinum* Cluſ. Ger. Creſcit, & lætè floret in apricis Alpium Collibus ubique.

Chamærhododendros Alpina ſerpillifolia Tourn. *Chamæciſtus ſerpillifolia floribus carneis* C. B. *Anonymos fruticoſa foliis Ericæ bacciferæ* J. B. Non dubito, quin eadem hæc ſit cum *Chamærhododendro ferrugineâ ſupinâ Thymi folio Alpinâ* Bocc. Muſ. p. 64. Tab. 53. Per ſaxa Alpium ſummarum reptat.

Chamærubus ſaxatilis C. B. *Rubus ſaxatilis* Ger. *Alpinus ſaxatilis* Park. *Alpinus humilis* J. B. Ad radicem montis Tittliaci.

Circæa minima Col. *Circæa Lutetiana minor* Park. *Solanifolia Circæa Alpina* C. B. Iconem exactam habet Columna. In umbroſis ad radicem montis *Aubrig*.

Coralloides flava Tourn. *Fungus ramoſus flavus* J. B. *Fungus ramoſus & Imperati* C. B. *An Fungus digitatus major, atque etiam minor* C. B. Non finditur hic in ramos ſemper minores, minoreſque, creberrimos, ſed in paleæ craſſitudine ſubſiſtit. In umbroſa ſylva hunc Aurantii coloris Fungum reperii, Lucernam inter & pagum *Ebikon*; item in nemore ſylvoſo, *das Keferholz* dicto. Vid. TAB. III. *Fig.* 3.

TAB. III. *Fig.* 3.

Coronilla minima Tourn. *Ferrum Equinum Gallicum* Park. *Ferrum Equinum Gallicum ſiliquis in ſummitate* C. B. *Polygalon Cortuſi* J. B. In locis ſaxoſis Vallis Angelimontanæ.

Cynogloſſum minus J. B. C. B. *minus flore cæruleo* Park. *Cynogloſſa minor montana ſerotina altera* Plinii Col. *Cynogloſſum pumilum Auſtriacum alterum* Cluſ. Columnæ deſcriptio optimè convenit noſtræ plantæ, quam pedalem & ſeſquipedalem invenimus in Torrente *Spreitenbach*, qui prope pagum *ad Lacum* defluit, item ad muros extra vicum Altorffum. Eſt forſan *Anchuſa parva foliis piloſis incanis floribus Bugloſſæ parvis*, quam circa Piſas in Hetruria vidit, & in *Pugillo Plant. Rar.* commemoravit *Mentzelius*.

D. *Daucus Alpinus multifido longoque folio, ſive montanus umbellâ candidâ* C. B. In Alpibus Surenenſibus locis petroſis innaſcitur; eſtque, quod Joh. Bauhino atque Rajo ſubſcribo, ipſe *Daucus foliis Fœniculi tenuiſſimis* ipſius C. B. item *Daucus Creticus ſemine hirſuto* J. B. *Daucus Alpinus Cretico ſimilis* Park. nec non *Creticus verus Dioſcoridis* Ejuſd.

Lu-

Lubet hîc obſervare, quòd denominationes Plantarum à loco Natali vel ſolo patrio deſumtæ, minus ſint congruæ, & ipſis ſæpe Botanicis offundant nebulas, ut plantas in Germania naſcentes non facilè pro Creticis agnoſcere audeant, licet harum deſcriptionibus prorſus conveniant. Subſcribit noſtræ huic de Daucorum ſynonymis ſententiæ Lobelius Adverſ. p. 323. *Nec tamen, inquit, id ſola Creta fert, quippe Germanicæ Alpes non modò, ſed etiam Genuenſium Colles, & Genevenſium circa Juram rupes hoc Cretico abundant.* Et mox: *Huic, quò ſit minùs Creticum, ſi quid deeſt, ſolum cœlumve erit. Sane effigie nihil, viribus autem perparum abeſt.* Quid hoc emolumenti afferat Medicis atque Pharmacopolis, judicare facilè licet. Intereſt plurimùm Botanicis, omnibuſque aliis Hiſtoriæ Naturalis Scriptoribus, obſervare canonem illum Logicum de Conjunctis conjungendis, & Disjunctis disjungendis, quò ſic ab una parte prohibeatur Entium multiplicatio haud neceſſaria, ab altera verò promoveatur Naturalis Hiſtoriæ Incrementum. Hinc eſt, quòd pollicem premam Rajo, qui *Hiſt. Plant. p.* 463. *Daucum Tiburtinum quibuſdam* J. B. pro differenti à Cretico, vel Alpino noſtro non habet. An ſufficiens fuerit ratio accuratiſſimo Tournefortio dividendi *Daucum multifido longoque folio* C. B. quem vocat *Liguſticum Alpinum multifido longoque folio*, à *Dauco foliis tenuiſſimis* C. B. quem cum Moriſono nuncupat *Myrrhidem annuam ſemine ſtriato incano villoſo*, peritioribus aliis judicandum relinquo. Deſcriptio Plantæ hujus Alpinæ, quam ipſo in loco natali exaravi, & Johan-Bauhinianæ atque Lobelianæ accommodavi, eſto ſequens. Ex *radice longa* foris ſubfuſca, intus alba, *digitum craſſa*, ſapore acri prædita, oriuntur *caules teretes, ſtriati, hirſuti*, geniculati, è quorum ſingulis geniculis prodit folium, vaginæ inſtar caulem amplexans. Ubi hæc vagina terminatur, dividitur folium in tres ramos, quorum quilibet rurſum in tres alios, & hi plerumque in tres alios diſpertiuntur. Cauli ſummo, ſemipedalem, vel pedem unum alto, ejuſque ramis inſidet *umbella mediocris magnitudinis florum exiguorum candidorum, pedicellis caneſcentibus hirſutiſque hærentium*, quorum calyx abit in bina *ſemina longa, incana, villoſa, acria*, in filamenta duo, veluti cornicula terminata. Tota fere planta odorem habet Carui, cujus ſuccedaneum, uti ipſius Dauci Cretici, fieri poteſt. In rupibus Surenenſibus, *Lauberſgradt*, & Tittliaci Montis.

Delphinium perenne montanum villoſum Aconiti folio Tourn. *Aconitum cœruleum hirſutum flore Conſolidæ Regalis* C. B. *Aconitum Lycoctonum cœruleum calcari magno* J. B. *Aconitum Lycoctonum hirſutum flore Delphinii* Ger. *Aconitum flore Delphinii majus* Park. *Aconitum Lycoctonum flore Delphinii* 1. *Sileſiacum* Cluſ. In Alpibus Surenenſibus.

Dens Leonis Alpinus minimus glaber Tourn. *Hieracium alterum minus* IV. Col. *min. cogn. Stirp.* p. 29. *Hieracium pumilum* III. Eid. *Fig.*

 p. 31.

p. 31. *Huic ſimile*, inquit C. B. Prodr. p. 66. *Hieracium pumilum ſaxatile aſperum radice præmorſâ*, ſolùm in eo differens, quòd hoc hirſutum ſit, illud glabrum. In Paſcuis Alpinis paſſim.

Doronicum radice dulci C. B. *Doronicum folio ſubrotundo ſerrato* J. B. *Doronicum brachiatâ radice* Park. *Huic ſimile, ſi non idem* judicat Rajus *Hiſt. Plant.* p. 275. *Doronicum radice Scorpii brachiata* C. B. Creſcit paſſim in Alpibus, copioſè autem ad radicem montis Tittliaci, & in *Jugo.*

Doronicum Helveticum incanum C. B. Park. Idem forte eſt cum *Doronico folio longo ſerrato* J. B. quod ſuſpicatur etiam Rajus. Imò idem forſan cum *Doronico Helvetico humili craſſis foliis* C. B. quod à priori non aliter, quàm magnitudine differre videtur. Invenitur autem haud rarò ipſum Doronicum Helv. incanum, quod craſſis etiam eſt foliis, caule ſatis brevi. Deſcriptio hæc eſt: *Radice* nititur validâ, *geniculatâ, & quaſi ſquamatâ*, validis fibris donatâ, ſaporis Aromatici, coloris albi, ex qua oriuntur *Caules palmares, pedales*, & cubitales, albâ mollique lanugine incani, & *Foliis* alternatim veſtiti nullo ordine, inferioribus pediculis uncialibus & biuncialibus nixis; folia ipſa *uncias* quinque vel *ſex* ſunt longa, *ſeſquiunciam lata, quæ caulem ambiunt* pediculis carent, & gradatim ſunt anguſtiora ac breviora; omnia ſunt *craſſa* & *denſa, dentata & ſerrata, supernè ſaturatè viridia*, & lanugine albâ rarâ aſperſa, *infernè ob incanam lanuginem mollia, & nervo albicante* per medium decurrente inſignita. In ſummo caule ex alis foliorum oriuntur pediculi, vel *ramuli* unciales & *biunciales, quorum ſinguli ſuſtinent florem mediæ magnitudinis* pulchrum, cujus corona conſtat ex ſemifloſculis *longiuſculis* in extremo leviter ſinuatis, aureoque ſplendore fulgentibus; diſcus autem medius componitur ex floſculis fiſtuloſis, inſtar ſtellæ expanſis, quoque aureis: *Calyx* conſtat è pluribus foliolis tenuibus acuminatis, apicibus nigris, eſtque, uti tota planta, albâ lanugine incana. Copioſè creſcit ſupra Vallem Alpinam *Waldnacht.*

Doronicum Plantaginis folio alterum C. B. *Doronicum Germanicum foliis ſemper ex adverſo naſcentibus villoſis* J. B. *Doronicum Germanicum* Park. *Calendula Alpina* Ger. In Pratis Alpinis montis *Hacken*, aliiſque copioſè.

E. *Euphraſia Helvetiorum parva luteis floribus*, cujus inter varietates *Euphraſiæ Officinarum* meminit C. B. Pin. In Alpibus paſſim reperitur. Vocatur *Euphraſia lutea minima Alpina ſubrotundo folio nigricante* Boccon. Muſ. p. 64. *Euphraſia minima lutea* Tab. 60.

G. *Galeopſis Alpina Betonicæ folio, flore variegato* Tourn. *Pſeudoſtachys Alpina* C. B. Exactè congruit Deſcriptioni, quam ex Prodromo mutuò petiit Rajus. Deſcriptio *Salviæ Alpinæ* Tab. eſt equidem jejuna, talis tamen, quæ huic noſtræ Plantæ meliùs congruit, quàm *Hormino*

lu-





Sumptibus D. Tancredi Robinson, M.D. Coll. Med. Lond. et Societ. Reg. Socii.

luteo glutinoſo C. B. ad quod dubitanter retulit J. B. Creſcit in dumetis Alpinis paſſim, ſed & in monte *Uetliberg* prope Tigurum.

Gentiana Alpina latifolia magno flore C. B. Pin. *Gentianella Alpina latifolia magno flore* Eid. Prod. *Gentiana Alpina latifolia magno flore* Eid. Prod. *Gentiana Alpina pumila latifolia magno flore* Tourn. Deſcripta eſt in Prodromo. Ab hac non differt ſpecie *Gentianella Alpina anguſtifolia magno flore* C. B. In montibus *Regio* & *Jugo*.

Gentiana Alpina pumila verna major Tourn. *Gentianella Alpina verna major* C. B. *Gentianula, quæ Hippion* J. B. Hinc inde in Alpium herbidis jugis, copioſè in *Ochſenſtock* & *Sureneneck*.

Gentiana cœrulea Calyce turgido Raji. *Gentiana utriculis ventricoſis* C. B. *Gentiana cœrulea cordata* Col. *Gentianella æſtiva cordata* Park. *Hæc ſpecies*, verba ſunt Raji Hiſt. Plant. p. 721. *ab aliis Gentianellis in eo differt, quòd floris Tubus non eminet omninò ſupra calycem, ſed foliola tantùm, in quæ ſumma parte dividitur, expanduntur ſupra eum, ut in Caryophyllis.* Deſcriptionibus Columellianæ & Rajanæ adde, quòd nervus foliolorum caules veſtientium ſit atro-purpureus, ipſeque calyx pentagonus, purpureis lineis ſæpe variegatus, vel ſtriatus. In montibus *Jugo* & *Ochſenſtock*.

Geum paluſtre minus foliis oblongis crenatis Tourn. *Cotyledon aquatica hirſuta* Raji. *Saniculæ Alpinæ aliquatenus affinis* J. B. *Sanicula montana minor* C. B. Prod. *Sanicula montana rotundifolia minor* Eid. Pin. *Saniculæ montanæ alterius ſpecies ſecunda* Cluſ. Has omnes, præeunte Rajo *Hiſt. Plant.* p. 1046. 1047. pro una eademque Planta agnoſco. Deſcriptionibus Bauhinianis, Rajanis & Cluſianis unicum hoc addo, petala florum candida eſſe punctulis plerumque duobus luteis, ſive maculis flavis notata, quâ notâ ſpeciatim ſignatur *Cotyledon aquatica hirſuta* Raji. In locis à Rivis vel Torrentibus irriguis Alpium Surenenſium, & ad *Lacum Trüplenſem*, quà itur ad montis *Joch* verticem; & alibi paſſim ad Alpium imas radices humidas.

Globularia montana humillima repens Tourn. *Bellis cœrulea montana frutescens* C. B. *Aphyllanti affinis Scabioſa quinta Cluſii*, *Bellidis affinis* J. B. *Scabioſa minima Bellidis folio* Ger. *Scabioſa Globulariæ Bellidis foliis* Park. In ſaxoſis Alpium; in valle Angelimontanâ ad viam, quâ aditur caſa Alpina *die Herrenrüti*.

Gramen avenaceum ſpica ſimplici, locuſtis denſiſſimis candicantibus & lanuginoſis Tourn. Vid. TAB. IV. *Fig.* 1. Epitheton hocce do Gramini ſpecioſo, quod è muris hortorum dependens collegi Altorffi in vico, cujuſque facies eſt ſequens: *Radix* conſtat è pluribus bulbulis exiguis invicem adjunctis, è quibus demittuntur fibræ multæ capillares, vel etiam fuſcæ, bulbuli ipſi obvolvuntur foliis quibuſdam aridis ſtriatis anguſtis, quæ aliquouſque etiam caulem ipſum inveſtiunt. *Caulis* cubi- TAB. IV. *Fig.* 1.

 talis

talis eſt, & ſeſquicubitalis, tenuis, geniculatus, è cujus ſingulis geniculis naſcitur *folium* unicum, caulem aliquouſque inſtar vaginæ involvens, anguſtum, ſtriatum, glabrum, marginibus in ſe convolutis, unde cylindricum fere videtur. Summo cauli inſidet *Spica* palmaris, pulchra, tota candicans, & ob plumoſam lanuginem, quâ veſtita eſt, aſpectu tactuque jucunda. Compoſita hæc eſt ex plurimis locuſtis, quæ ſingulæ conſtant duplici ſerie foliolorum acuminatorum, albidorum, glabrorum, pellucidorum & ſtriatorum, quas ſequitur lanugo tenerrima alba, foliolis albis anguſtiſſimis inſiſtens, quæ quaquaverſum ſe ſpargit. In medio locuſtæ continetur ſemen oblongum, utrinque acuminatum, ex ſubflavo pellucidum. An hoc ipſum ſit Gramen Tournefortii Avenaceum, vel aliud, quod novum mereatur Titulum, judicabit ex collatione ſuorum Graminum ipſe hic Celeberrimus Botanicus, vel qui opus Herbarium poſſident.

TAB. IV. *Fig.* 2. *Gramen montanum ſpicâ foliaceâ gramineâ* Raji Phyt. Britt. TAB. IV. *Fig.* 2. Simile prorſus eſt *Gramini arvenſi paniculâ criſpâ* C. B. ſive *Gramini cum paniculâ molli rubente* J. B. ſed Spicam habet laxiorem & ſpecioſiorem. Obſervavi hanc Graminis ſpeciem in omnibus Alpium paſcuis herbidis.

Gramen cirroſâ & villoſâ ſpongiâ ad ſingula genicula donatum, paniculatum minimum, Alpinum Bocc. Muſ. p. 70. *Gramen cirroſis & villoſis*
TAB. V. *ſpongiolis ad ſingula genicula donatum* Eid. Tab. 69. Vid. TAB. V. *Fig.* 1.
Fig. 1. Quod invenit Bocconus in opacis nemoribus Montium Mutinenſium & Bononienſium, palmum Geometricum altum, hoc offendi ego in Valle Angelimontana, prope cavernam metalliferam *Bruderloch*, in ſolo lutoſo, vitriolico ſucco imprægnato, terrâ item pingui & nigrâ aliâ, pedem & ultra altum. Deſcriptio hæc eſt: E *radice* filamentoſa alba ſurgunt *cauliculi* plures prætenues, graciles, debiles, geniculati, è quorum geniculis ſingulis prodit *folium* anguſtum, tenue, palmum circiter longum, quod tertiâ longitudinis ſuæ parte intervallum dimidium vaginæ inſtar obvolvit. *Genicula* aliqua, non omnia, firmare quaſi vel vincire videtur nodus albicans cirroſus. Cauliculorum extremum occupat *panicula* tenuis, delicata, cujus *Locuſtæ* exiguæ, dilutè virentes inſident pedicellis capillaribus tenuiſſimis.

Gramen foliolis junceis brevibus minus C. B. *Gramen exile durius* Lob. à *Gramine foliolis junceis brevibus majore, radice nigrâ* C. B. in Prodr. deſcripto, non differre videtur, niſi magnitudine. Ex *radice capillatâ nigrâ folia juncea, rariùs duas treſve uncias ſuperantia, prodeunt*, quæ in Alpino hoc noſtro Gramine ſunt copioſiſſima, capillorum inſtar tenuia, *inter quæ culmus tenuiſſimus lævis*, uno alterove folio veſtitus, cujus ſummo glumi minimi alternatim diſpoſiti ſunt. *Auf Sureneneck.*

Gramen Sparteum juncifolium C. B. *Spartum parvum* Lobelii J. B. *Spar-*



Sumptibus D. Jacobi Petiver, Societatis Regiæ Londinensis Socii.

Spartum noſtras parvum Lob. Ger. emac. App. *Spartum parvum Batavicum & Anglicum* Park. Alpium quoque eſt incola, Alpicolis *Netſch* dici ſolitus.

Gramen capillaceum locuſtellis pennatis, non ariſtatis Raji Hiſt. Plant. p. 1288.

Gramini cyperoidi ex monte Ballon ſimile, ſpicâ totali è pluribus ſpicis compoſitâ Raji. An *Gramen cyperoides elegans multiferâ ſpicâ* Park. *Radices* ſunt flaveſcentes & ſubnigræ fibroſæ, è quibus ſurgunt *caules* triquetri, enodes, aſperis foliis carinatis, quæ culmis ſæpe ſunt longiora, infernè & ad medium uſque, aliquando ad ſpicam uſque, veluti totidem vaginis obvoluti, ſemipedales & cubitales. *Spicam habet è ſpicis multò pluribus & denſiùs ſtipatis compoſitam, nec ejuſdem magnitudinis omnibus, ſed ſurſum verſus cacumen minoribus, donec tandem in unam ſimplicem majuſculam ſpicam terminentur, coloris eſt ferruginei, & initio ad tactum mollis.* In paluſtribus ad Lacum Felinum.

Hedyſarum Alpinum ſiliquâ lævi flore purpuro-cœruleo Tourn. *Onobrychis ſemine clypeato lævi* C. B. Pin. *Onobrychis clypeata lævis* Eid. Prodr. In herboſis montis Pilati jugis, & ad radicem montis Tittliaci. II.

Helleborus niger Ranunculi folio flore globoſo majore Tourn. *Ranunculus montanus Aconiti folio flore globoſo* C. B. *Ranunculus flore globoſo, quibuſdam Trollius flos* J. B. Petala in quibuſdam ſunt multiplicata, ut flos plenus videatur. In omnibus paſcuis Alpinis creſcit, nec unquam à pecore tangitur.

Hieracium Alpinum villoſum latifolium magno flore C. B. *Hieracium Alpinum hirſuto folio 5. Cluſii quodammodo incanum* J. B. Deſcriptioni, quam habent ex Cluſio J. B. & Rajus, ſatis bene reſpondet. Quæ ego obſervavi, Cluſianis ita immiſceo: *Radix* eſt fibroſa, *fibris* validis, longis, ſubfuſcis *prædita*, ex qua ſurgit *caulis* ſpithamæus & pedalis, ad radicem purpuraſcens, ſupernè viridis, totus albâ lanugine pubeſcens; pili ipſi oriri videntur ex nigra quadam brevique calyptra, vel vaginula. Caulem ipſum veſtiunt nullo certo ſervato ordine *folia* alterna, inferiora palmum plus minus longa, unciam vel ſemunciam lata, acuminata, & denticulis paucis ſerrata, quorum medium percurrit vena inſignis, ab exortu folii lævi purpura tincta; ſuperiora breviora & latiora, omnia caulem latâ baſi amplectuntur, & *molli criſpâque lanugine admodum* ſunt *hirſuta*, imò *quodammodo incana:* Summo cauli inſidet *Flos* pulcher, conſtans ex floſculis plurimis ſemifiſtuloſis, ex quorum vagina ſeu fiſtula prodit filamentum in duos cirros convolutos deſinens; floſculorum horum, ſeu petalorum extremitas in aliquot denticulos, haud tamen profundè, ſecatur: *Calyx* floris conſtat ex plurimis foliolis longis, acuminatis, denſâ albâque lanugine pubeſcentibus. *Flos ipſe in pappos cum ſuo brevi, & nigro ſemine evaneſcit.* In Alpium herbidis creſcit. *Hie-*

Hieracium Dentis Leonis folio obtuſo minus C. B. Deſcriptioni convenit, niſi quòd *folia* non ſint *craſſa & aſpera*, ſed tenuia, glabra, nec *caulis* per totum *lævis* & *nudus*, ſed ad calycem, ſicuti hic ipſe, hirſutie aſper, & foliolo oblongo, haud longè à radice veſtitus, ſtriatus, *flores* denique non *pallidè lutei*, ſed *ex flavo ferrugineo holoſericeam telam fere imitantes*, uti in *Tanaceto* ſeu *Flore Africano minori* C. B. ut hinc forte poſſit Alpina hæc in Pratis & Paſcuis altioribus paſſim obvia Planta ad differentiam aliorum Hieraciorum nuncupari, *Hieracium Dentis Leonis folio obtuſo minus Alpinum flore ferrugineo.*

Hieracium latifolium montanum Genevenſe folio Conyzæ majoris Monſpeſſulanæ J. B. Ad radices Alpium, in Valle Angelimontana. Idem forſan eſt cum *Hieracio montano Cichorii folio* Raji, ſeu *Hieracio Alpino aſpero Conyzæ facie* C. B.

Hieracium montanum majus latifolium J. B. *latifolium montanum* Ger. emac. *montanum latifolium glabrum majus* C. B. Park.

J. *Jacobæa Alpina foliis rotundis ſerratis* C. B. *Conyzæ Alpinæ genus* Geſn. Hort. & Deſcr. Fract. *Conyza montana* Geſ. Col. *Jacobæa latifolia altera* Cluſ. Pann. *Jacobæa* 4. *vel latifolia* 2. Eid. Hiſt. Alpicolis *Böne*, *Böni*, *Goldkraut*, *Höpfen* dicitur. Vulgatiſſima eſt ad radices Alpium, ad vias ubique & ſtabula in terra pingui lætè creſcens, Bobus, Vaccis & Capris ob venenoſam ſuam qualitatem intacta, de qua referunt Alpicolæ, eam Pſilothri ad inſtar Ovium pilos, ſi forte quædam ſuper hanc herbam decubuerint evellere, cutimque denudare. Retulit aliquando Montem Pilati conſcendenti Avo meo paterno piæ memoriæ ὁδηγὸς, famulum ſuum hauſto vino, cui Radices haſce infuderat, ad necem ferme perpurgatum fuiſſe. Referri huc, ni fallor, debent *Jacobæa montana integro* {*rotundo* / *ſublongo*} *folio* Barr. Boccon. & *Jacobæa montana Betonicæ folio* Eorund.

TAB.V. Fig. 2. *Juncus Alpinus capitulo glomerato è nigro ſplendente.* TAB. V. *Fig.* 2. E *radice* fibroſa ſubfuſca plures ſimul veluti è ceſpite exeunt ſcirpi ſeſquipalmares, ſemipedales & altiores, quos inter ſeſe erigunt *folia* paulo minora, in acutum mucronem deſinentia, juncea, rigida, medullâ albâ farcta: Caules floriferi & folia ad radicem inveſtiuntur vaginis fuſco-pallidis. Seſcunciam circiter vel unciam à caulis ſummo eſt geniculum, quod obvolvitur folio vaginali, mucronem caulis ſuperante ad unciam unam vel duas. Scirpi ipſius ſummum occupat capitulum è pluribus folliculis glomeratum, atro-ſplendens. Formetur, rogo judicium ex deſcriptione hac & Figura, annon ſit idem hic cum *Junco Lithoſpermi ſemine* Hort. Reg. Blæſ. & Pariſ. quem deſcribit atque depingit Magnol. *Plant. circa Monſpel. naſcent.* Fratris judicium hoc eſt: Juncus hic à *Junco Lithoſpermi ſemine* notabiliter differt, & quidem 1. radice repente ex rufeſcente fuſca, fibris validis firmata, quæ

in

in altero fibroſa, valida & nigra eſt, 2. foliis junceis lævibus, quæ in altero rigidiuſcula, triangula & deorſum ſtricta ſubaſpera ſunt. 3. florum glomere, qui unciali fere ſcirpi continuati ex ala folii ſupra glomerem ad ſeſcunciam circiter producti pediculo inſidet, qui in altero ipſi ſcirpo adnatus in ala duorum foliorum, quorum alterum in acutum mucronem ſupra glomerem 2. 3. lineas ſemunciam & unciam nonnunquam unam extenditur. 4. Floſculis ipſis hexapetalis in glomerem denſè ſtipatis, Junci floribus ſimilibus, qui in Junco Lithoſpermi ſemine ſolummodo ſunt Locuſtæ, è ſquamis aliquot ſeu glumis alternatim ſitis & imbricatim poſitis compoſitæ, inter quas ſemen Lithoſpermi ſplendens album. Figura (quod notandum) malefacta, debuiſſet enim Radix repræſentari, ut repens, quæ ſaltem ut fibroſa adumbrata, ſcirpi cum ſuis ſquamis verſus Radicem benè ſe habent, ſed deſunt folia, quæ juxta ſcirpos ſurriguntur, altitudine iiſdem quaſi paria: Scirpi ipſi nimis craſſi facti: in florum etiam glomere quædam veluti axis, cui floſculi adhærent, adumbratur, cui ſimile nihil in ipſa planta conſpicitur; cæterum benè ſe habet Icon. Addi debet deſcriptioni ſuperiorem tam ſcirporum, quam foliorum vaginam in filamentum tenuiſſimum unam vel $1\frac{1}{2}$. lineas longam terminari, quod & in figura omiſſum. In ſummo montis *Ochſenſtock.*

Juncus parvus calamo ſupra paniculam compactam longiùs producto Raji Hiſt. Pl. p. 1305. Noſtras ultra 3. vel 4. uncias non aſſurgit, cæterùm cum Rajano convenit. In ſummis Alpibus Surenenſibus.

Juncus acumine reflexo trifidus C. B. Prod. & Theat.

Juncus acumine reflexo minor vel trifidus Eid. Pin. *Juncus trifidus* J. B. Reſpondet prorſus Deſcriptionibus Bauhinianis. In ſaxorum rimis in monte Jugo.

Juncus Alpinus cum cauda Leporina J. B. *Juncus Alpinus capitulo lanuginoſo, ſive Schœnolaguros* C. B. *Gramen Juncoides lanatum alterum Danicum* Park. *Radices* habet *parvas, fibroſas*, fragiles, albas ſi recentes fuerint, *ſubnigras* ſi adultæ. E radicibus ſurgunt *folia juncea* trigona, *propter terram ſtipata, plurima, longitudine diſparia, quorum longiſſima* non duntaxat *palmaria*, ſed & pedalia, & cubitalia, aliquando ipſum caulem ſuperantia, quæ vaginatim ſeſe ad exortum *involvunt*, ibique *rufeſcunt.* Inter folia ſurgunt *culmi* non *ſpithamæi* duntaxat, ſed & pedales, & cubitales, tribus quatuorve geniculis diſtincti, quorum ſingula obvolvit folium vaginale. *Faſtigiantur culmi ſinguli in turbinatam caudam, caneſcentibus tomentoſis ſquamis compactilem, mollitie holoſericum provocantem, quæ haud multùm Leporum caudæ eſt diſſimilis*, & inde σχοινολαγέρυ nomen plantæ dedit. Cultro Anatomico ſubjecta cauda hæc exhibet ſquamas numeroſas è lata baſi in acutum mucronem terminatas, colore nigricantes, & diaphanas, quarum ſingulis ſubeſt

ſemen oblongum, foliaceo margine cinctum, & in capillare filamentum ſubflavum terminatum, nec non lanugine candidâ lanæ ſimili cinctum. Circa Lacum Felinum Agri Tigurini altior, circa Lacus montanos, locis uliginoſis, humilior creſcit.

L. *Leucanthemum Alpinum foliis profundè inciſis* Tour. Hoc nomine digna mihi videtur plantula palmum circiter alta, è cujus radice fibroſa prodeunt ſtatim foliola plura, è pediculo longiori in 4. ac 5. lacinias profundè diviſa, reliqua foliola cauli ſunt immediatè adnata; caulis ipſe maxima ſui parte eſt nudus, hirſutus, & ſuſtinet florem, cujus coronam conſtituunt petala longiora, in extremo in tres denticulos diviſa, unguibus flavis, candida; diſcum autem floſculi fiſtuloſi; calyx ſeſe habet ut in aliis Leucanthemis. Videtur mihi Leucanthemum hocce idem cum *Bellide minima erecta, foliolis ad caulem adnatis* Boccon. Muſ. p. 162. quam vocat *Bellidem foliolis ad caulem adnatis.* Tab. 116. *Bellidem foliolis lacinatis ad caulem adnatis.* Tab. 124.

Lichen pyxidatus & corniculatus prolifer. Pertinet ad *Lichenes pyxidatos, ac tubulatos* Tournefortii, *Muſcumve corniculatum fiſtuloſum candidum* Bocc. Muſ. p. 149. Tab. 107. annexa Tabulæ 128. Variant enim hi multis modis. Aliquando ſunt Tubuli ſimplices, in apices acutos terminati, aliquando ramoſi. Nunc aperiunt ſeſe corniculi in pyxides, majores minoreſve; nunc, ut in præſenti ſpecie, ex ipſis pyxidum marginibus prodeunt corniculi alii, qui vel in acutum mucronem, vel novas, ſed prioribus minores pyxides deſinunt. Vid.
TAB.V. Fig. 3. TAB. V. *Fig.* 3. Saxis innatum vidimus in Alpibus Surenenſibus.

Liguſticum, quod Seſeli Officinarum C. B. *Seſeli, ſive Siler montanum vulgare* J. B. *Siler montanum Officinarum* Lob. Ger. *Siler montanum, vulgò Siſelios* Park. In locis Alpium ſaxoſis; ex ipſis etiam petris ad Lacus, Rivarium, & Quatuor Civitatum Sylveſtrium procreſcit.

Liliaſtrum Alpinum minus Tour. *Phalangium magno flore* C. B. *Phalangium flore Lilii* J. B. *Allobrogicum* Park. *Allobrogicum majus* Cluſ. *Phalangium Antiquorum* Ger. emac. In via montoſa quâ ex Alpe *Waldnacht* conſcenditur Alpium Surenenſium ſummum faſtigium. Deſcriptio extat apud Scriptores.

Linaria quadrifolia ſupina C. B. *Linaria purpurea parva* J. B. *quadrifolia Alpina* Park. Paſſim hæc in Alpibus Helveticis reperitur, & apud Auctores Botanicos exactè deſcribitur. Invenimus nos in ſaxoſis *auf Sureneneck*, in *Waldnacht*, *auf dem Joch*, *und an dem fuſs des Tittlibergs.*

Lonchitis aſpera C. B. *Lonchitis altera cum folio denticulato, ſive Lonchitis altera Matth.* J. B. *Lonchitis aſpera major.* Ger. *aſpera major Matthiolo* Park. Deſcriptionibus reſpondet. Ad radices Alpium præſertim *auf Trüppenſee.*

Lych-



Sumptibus D. Guilielmi Cowper Chirurgi, Societatis Regiæ Socii.

Lychnis Alpina glabra Caryophylli Holoſtei flore Moriſ. *Lychnis Alpina Lini folio multiflora peramplâ radice* Tour. Confero hanc cum *Caryophyllo Alpino, craſſo Linariæ folio, calycibus variegatis* Bocc. Muſ. p. 23. Tab. 5. In montibus *Tittlisberg, Joch,* & *Ochſenſtock.*

Matricaria Tanaceti folio, flore minore, ſemine umbilicato Tour. *Tanacetum montanum inodorum minore flore* C. B. *Tanacetum inodorum* 2. Cluſ. In umbroſis nemoribus ac ſylvis Vallis Angelimontanæ. M.

Muſcus paluſtris, terreſtri ſimilis Raji *Hiſt. Plant. p.* 123. *Muſcus ſquamoſus paluſtris candicans molliſſimus* Tour. *Hiſt des Plant. aux environs de Paris. p.* 505. Inveni hunc Muſcum in nemoribus umbroſis & udis, conſcendendo montem *Aubrig,* in locis paluſtribus prope *Eremum Virginis,* in nemoribus & ſylvis inter *Hinweil* & *Goſſau,* Agri Tigurini; creſcit etiam copioſiſſimè circa Lacum Felinum, ubi Roris Solis eſt veluti baſis & habitaculum. Obſervant bene Rajus & Tournefortius, eſſe hunc *Muſcum paluſtrem* Dod. licet non villoſum, tactu tamen mollem & delicatum, ſed non confundi debere cum *Muſco Terreſtri vulgari,* licet revera Icon Lobelii, quam Muſco huic terreſtri dat, Muſco paluſtri magis conveniat. Deſcriptiones hujus Plantæ adſunt nullæ, uti nec Icones exquiſitæ, ut proin non abs re fuerit, Muſci hanc ſpeciem vivis coloribus depingere TAB. V. *Fig.* 4. In montoſis & ſylvoſis vegetiùs creſcit hic Muſcus, altiùſque ſurgit, quàm in planis paluſtribus, ut primo intuitu unus ab altero differre videatur, & prior ille montanus ſub nomine peculiari *Muſci ſtellati & caudati, caule alato præditi* venire queat. Surgit ad uncias duas ac tres viticulis craſſiuſculis, nunc ſimplicibus, nunc ramoſis, & per totam caulis longitudinem tæniis albidioribus veluti alatis. In ſummo fert ſtellulas diluti viroris plures, qui corymbum fere efformant. Folia per totam caulis longitudinem alterno ſitu diſponuntur numeroſa, ſpicata vel caudata, ubique terna, ab exortu craſſiuſcula, mox gracilescentia, tandemque in acutum deſinentia, unciam dimidiam longa, ſquamulis ſeu foliolis exiguis ſquamoſis conſtantia. TAB. V. *Fig.* 4.

Muſcus terreſtris cupreſſinus nanus Styrienſis Bocc. *Muſ.* 161. malè expreſſus *Tab.* 108. Deſcribitur ita: *Queſta pianta manda i ſuoi brevi ſurculi ſtrati per terra, complicati, e ammucchiati inſieme; alza da terra eſſi ſurculi due onzie Geometriche, & imitano la dentatura, é la ſtruttura delle foglie di Cipreſſo; e quando invecchia, acquiſta un colore cineritio cangiante verſo le eſtremità dè ſurculi.* Non dubito, quin Muſcus idem hic ſit cum *Muſco clavato foliis Cupreſſi* C. B. *clavato cupreſſiformi* Park. *terreſtri ramoſo pulchro* J. B. *Sabinâ ſylveſtri* Tragi. Reperitur in via, quâ aditur vertex montis *Joch.*

Muſcus terreſtris repens clavis ſingularibus folioſis erectis Raji Hiſt. Plant. p. 121. Vid. TAB. VI. *Fig.* 1. Deſcriptioni Rajanæ adde, quòd TAB. VI. *Fig.* 1.

 folia

folia ſæpiſſimè ſint minutiſſimis ſpinulis marginata. Inveni hunc Muſcum in Valle Angelimontanâ, Cœnobium inter, & caſam Alpinam, *Herrenrüti*, locis ſterilibus inter gramina clavas ſuas erigentem. Forſan eſt hic *Muſcus ſquamoſus repens tenuiſſimis foliis* Tour. ſeu *Muſcus terreſtris repens humilior, tenuiſſimis foliis, clavis folioſis erectis* Moriſon.

TAB. VI. *Fig.* 2. Exhibet TAB. VI. *Fig.* 2. *Muſci terreſtris*, quem modo deſcripſimus *ſpeciem alteram* à Rajo commemoratam, *in montibus Galliæ Narbonenſis repertam*, quæ *craſſiores* priori habet cauliculos, *non* eſt *repens*, *ramulis ab eodem pede plurimis confertis enaſcentibus, quorum ſummitates conſimiliter* (ac in repente) *in clavas folioſas extumeſcunt*. Accuratior deſcriptio hæc eſto: Ex una radice fibroſa, nigricante, ſurgunt *Surculi* aliquot craſſi, plerumque recurvi, foliis undique veſtiti creberrimis, è ſaturo virore ſplendentibus, inſtar Abietinorum vel Juniperorum acutis. Ex foliorum intervallis prodeunt hinc inde *floſculi* flavicantes, petalis inſtructi etiam rigidioribus, & inæqualibus, longioribus ſcilicet aliis, aliis brevioribus: Surculi ſive cauliculi omnes fere ſunt bifidi, & hi rurſus in binos, rariùs ternos ramos ſubdiviſi. In foliorum alis latent veſiculæ ſubluteæ reniformes, pulvere minutiſſimo luteo refertæ, quæ maturitate ſuâ per dorſum dehiſcunt, & pulverem contentum in aëra ſpargunt. *Clavæ nec pediculis longis tenuibus inſident, nec Julos ſeu nucamenta referunt, ut in Lycopodio, ſed reliquo cauli ſimiles, & foliis ſimilibus cinctæ ſunt, in majorem duntaxat craſſitudinem intumeſcentes, ob ſemina in alis foliorum contenta.* In fiſſuris ſaxorum hæret, in montibus *Fracto*, & *Jugo*.

Muſcus Coralloides apicibus coccineis Raji, & *altera* quidem *ſpecies*, *cujus ſummitates non cornutæ ſunt aut rigidæ, ſed potius molles, apices etiam coccinei obtuſi* Hiſt. Plant. p. 113. *Muſcus multiformiter pyxidatus apicibus coccineis* Plot. *Lichen pyxidatus Acetabulorum oris coccineis & tumentibus* Tourn. Cinereus eſt totus, digitum unum, vel dimidium, altus, cujus ſummo inſidet capitulum tumidum, pulchro coccineo colore tinctum. Hunc Lichenem aliquando reperias ramoſum, ramulorum extremitatibus ſingulis in coccineum capitellum terminatis. Naſcitur paſſim in uliginoſis, ad arborum putrefactas radices, & circa Lacum Felinum.

X. *Naſturtiolum Alpinum tenuiſſimè diviſum* J. B. *Naſturtium Alpinum tenuiſſimè diviſum* C. B. *Cardamine puſilla ſaxatilis* διανθειδὴς Col. qui optimè hanc plantulam deſcribit, & iconem addit p. 274. *min. cognit. Stirp.* Invenitur in omnibus Alpibus, locis ſaxoſis, & irriguis.

Naſturtium Alpinum Bellidis folio minus C. B. *Sinapi pumilum Alpinum folio Bellidis Cluſio* J. B. *Cardamine pumila Bellidis folio Alpina* Ger. emac. *Plantula Cardamines alterius æmula Cluſii* Park. Ex *radicula* lignoſa, longiuſcula, fibroſa, alba, ſurgunt *cauliculi* unciales, biunciales,

les, & *palmares*, circa quos ad radicem *folia* ſunt multa oblongo-rotunda, *Bellidis foliolis non diſſimilia*, pediculis ſuffulta ſemuncialibus & uncialibus; caules ipſi etiam ſepiuntur talibus foliolis, ſed paucioribus, & pediculo breviſſimo hærentibus: In ſummo caulis ſunt *flores* veluti in umbellâ diſpoſiti, tetrapetali, albi; *calyx* tetraphyllos quoque eſt, foliorum apicibus nigricantibus; ſtylus abit in *ſiliquam*, ſive *corniculum*, *ſemen continens exiguum, planum, rufeſcens, nonnullâ acrimoniâ præditum.* In monte *Joch ſcopulis inhæret.*

O.

Onobrychis floribus Viciæ majoribus cœruleo-purpuraſcentibus, vel foliis Tragacanthæ C. B. *Aſtragalus quidam montanus, vel Onobrychis aliis* J. B. Hujus deſcriptioni ſatis bene convenit noſtra planta, non item figuræ, quod de ſua *in altiſſimo vertice montis Juræ Thuiri dicto* quoque obſervavit Rajus Hiſt. Plant. p. 937. Confero *Aſtragalum Alpinum, foliis Viciæ, ramoſum & procumbentem, flore glomerato oblongo cœruleo* Tourn. Locum natalem præbent Alpes Surenenſes, montes *Joch* & *Tittliberg.*

Orchis palmata anguſtifolia Alpina nigro flore C. B. *Orchis palmata minor odoratiſſima purpurea, ſive nigra* J. B. *palmata anguſtifolia Alpina* Park. Ab odore Alpicolis quibuſdam *Brendle*, *Brändlin*, aliis ex colore *Möhrlin*, *Mohrenköpflin* dicitur, nec niſi in Editiſſimis Alpium jugis communiter reperitur.

Orobanche radice dentata major C. B. *Dentaria major Matthiolo* Ger. *Orobanche radice dentatâ, ſive Dentaria major Matthiolo* Park. *Anblatum Cordi, ſive Aphyllon* J. B. Deſcriptioni Johan-Bauhinianæ, quæ optimè quadrat noſtræ Plantæ, addo, quòd *radix* non tam ſit dentata, quàm *mira ſquamarum denticulatarum congerie ſtipata*, tali ſcilicet, quæ conſtat ex ſquamis ſucculentis ſemicircularibus, Soleæ equinæ ferro deſtitutæ ſimilibus, binis ex adverſo, ſed alternatim ſemper oppoſitis, eidem trunco radicali affixis. Eſt *caulis* totus hirſutus, ut & *calyx*, iſque in ſegmenta quatuor inæqualia, bina ſuperiora majora, & inferiora minora, ſectus, coloris non herbacei, ſed carnei, prout ipſi *flores*, de quibus notandum, eſſe carnei coloris potiùs, quàm *ex ruffo* vel *purpuro candicantes*, quamvis non negaverim, poſſe variare colorem prò diverſitate Soli. *Vaſculum ſeminale* ſeſe aperit nunc in bina, nunc in terna loculamenta, ſepto nullo intermedio diſtincta, quibus ſingulis ineſt placenta botryoides, ſeminibus fœta non minutiſſimis, ſed grandioribus nigris, aſperiuſculis, veluti ſtriatis; aliquando in eodem caule aperiunt ſeſe Vaſcula ſeminalia inferiora in tria, ſuperiora in bina ſegmenta. Cœterùm notari volo, eſſe hanc noſtram Plantam ipſiſſimam illam, quam ſub peculiari *Orobanches radice dentatâ altius radicatâ foliis & floribus albo-purpureis* nomine deſcripſit atque depinxit Mentzelius in *Pugillo Plantar. rarior.* Invenitur apud nos in ſylva *das Käferholz* dicta.

F 3 *Oſmun-*

Oſmunda foliis lunatis Tourn. *Lunaria racemoſa minor & vulgaris* C. B. *Lunaria Botrytis* J. B. *Lunaria minor* Ger. Park. In ſaxorum ſuperficiebus herbidis *auf Ober Trüppenſee.*

P. *Pedicularis bulboſa* J. B. *Filipendula montana flore Pedicularia* C. B. *Filipendula montana major albida* Park. *montana* Ger. *Alectorolophos Alpinus major* 1. Cluſ. Dubitat J. B: an ſit Geſneri *Herba foliis Aſpleno ſimilis* deſcript. Mont. Fract. adeòque & *Pedicularis Alpina folio Ceterach* C. B. Non aliam ego unam inter & alteram invenio differentiam, quàm quòd Pedicularis folio Ceterach raro palmum altitudine exſuperet, cæterùm ratione florum, foliorum, radicum & vaſculorum ſeminalium conveniunt; ut hinc utraque venire poſſit ſub uno *Pedicularis Alpinæ Aſphodeli radice purpuraſcente flore* Titulo apud Tournef..

Pedicularis Alpinæ Filicis folio major C. B. *Pedicularis major Dalechampii* J. B. *Pedicularis major Alpina* Park. In monte *Joch.*

Polygalon Geſneri J. B. *Onobrychis foliis Viciæ fructu echinato major* C. B. *Caput Gallinaceum Belgicum* Lob. Adv. Floribus eſt dilutè rubentibus. Ad radicem Montis Tittliaci, ſupra caſam Alpinam Cœnobialem, *die Herrenrüti.*

Q. *Quinquefolium montanum erectum luteum hirſutum* C. B. Prod. *Pentaphyllum montanum* Park. Ex *radice longâ*, *nigricante* & fibroſâ oriuntur *caules* tenues, *ſeſquipalmares*, *in ſummo multifidi*, *& molli lanugine pubeſcentes*; *folia* ad radicem multa, *pediculis* uncialibus & biuncialibus *donata*, in quinque lacinias, per oras *ſerratas*, & piloſas, ad pediculum uſque diviſa. *Caules* ipſi ſunt geniculati, adſtatque geniculis ſingulis folium, etiam in lacinias aliquot diviſum. Extremis ramulis inſidet *flos aureus*, pentapetalos, *parvus*, petalis ſingulis cordatis, ſeu ſinuatis; medium floris occupat *capitulum aliorum* (pentaphyllorum) *more ſtaminulis* luteis vel *croceis*, & apicibus concoloribus, vel etiam nigricantibus onuſtis obſitum. *Calyx*, ut in aliis Quinquefoliis, conſtat ex foliis decem, quinque majoribus, totidemque minoribus, alternatim diſpoſitis, villoſis. Tota planta reptat, & humi procumbit, multùmque convenit, imò forſan eadem eſt cum *Quinquefolio minori repente aureo* C. B. *Pentaphyllo*que *parvo hirſuto* J. B. In herboſis Alpium jugis, ſpeciatim *auf Joch.*

R. *Ranunculus ſaxatilis magno flore* C. B. Prod. E *radice* craſſâ, *ex oblongis fibris capillaribus compoſitâ*, prodeunt primò *folia* viridia, infernè ſubhirſuta, craſſiuſcula, ſubrotunda, *in tres lacinias, & hæ in binas vel ternas acutas*, *diviſa*, *oblongis pedicellis nonnihil lanuginoſis donata*; *inter quæ cauliculus palmo minor*, *tenuis*, *lanuginoſus*, *cujus ſummo flos magnus aureus*, *ſplendens*, pentapetalus, *multis in medio ſtaminibus* flavis vel *rufeſcentibus præditus*, & calyce ſubflavo pentaphyllo ſuſtentatus. Variant in hac planta foliorum inciſuræ & laciniæ. In montium Surenenſium, Jugi, & Lauberſgradt ſummis faſtigiis. *Ra-*

Ranunculus Alpinus humilis rotundifolius flore majore C. B. *Ranunculus montanus minimus* Geſ. Hort. *Ranunculi montani primi ſpecies* 2. Cluſ. E *radice* craſſiuſculâ, & fibris longis albis præditâ, per terram ſparguntur folia pediculis uncialibus & biuncialibus nixa, craſſa, ſucculenta, *in lacinias* profundas *tres*, & hæ rurſum in alias, ſubdiviſa, guſtu acri cauſtico prædita, in diviſuris ſuis laciniofis multùm variantia, ita ut lacinia media aliquando in tres quatuorve alias inciſuras ſit ſubdiviſa, alibi in longum protenſa Linguæ inſtar integra: *Cauliculus* eſt glaber, palmo minor, ſuper medietatem foliolo veſtitus, ſuſtinetque *florem* niveum magnum pentapetalum, petalis ſingulis cordatis: *Stamina* ſubflava ſuſtentant *apices* croceos: *Calyx* floris pentaphyllos eſt, albus, pellucidus, & ſubinde verſus apicem purpuraſcens. J. B. hunc cum antecedente, imò & cum *Ranunculo Alpino humili rotundifolio flore minore* C. B. conjungit, omneſque hos comprehendit ſub uno *Ranunculi minimi Alpini albi & lutei* Titulo Hiſt. Plant. T. III. App. p. 845. Omnes autem hos, & recte quidem rurſus ſeparat Rajus Hiſt. Plant. p. 590. Copioſe repéritur in Alpibus Surenenſibus, & Tittliaco monte.

Ranunculus montanus lanuginoſus foliis Ranunculi pratenſis repentis C. B. Prod. Idem mihi videtur cum *Ranunculo magno valde hirſuto flore luteo* J. B. Ad radices Tittliaci montis.

Ranunculus montanus hirſutus purpuraſcente flore C. B. *Ranunculus montanus albus hirſutus* J. B. *montanus Pennæi* Park. *montanus hirſutus purpureus* Ger. emac. Deſcriptionem vide apud Bauhinos. Creſcit in ſaxoſis Alpium verticibus.

Rapunculi genus folio ſerrato rotundiore J. B. Deſcriptioni prorſus convenit, etiam in hoc, quòd *flores exeant ſingulares è foliorum ſinubus*, prouti eos repræſentat figura J. B. non autem *tres quatuorve ſimul in eodem communi pediculo*, quemadmodum adnotavit Rajus. Forſan huc pertinet *Rapunculus Alpinus Teucrii folio rhomboidalis* Bocc. Muſ. p. 75. & *Campanula Alpina Teucrii folii angulato* Tourn.

Rapunculus umbellatus folio gramineo C. B. *Rapunculus folio gramineo* Tour. *minimus folio tenui gramineo* J. B. *Rapuntium alterum anguſtifolium Alpinum* Col. Iconibus atque deſcriptionibus reſpondet. In montibus *Joch*, *Ochſenſtock*, & Alpibus Surenenſibus.

Salix pumila folio rotundo J. B. *Round leaved Dwarf Willow of the Mountains* Raji. Deſcriptionem J. B. exæquat. Ad radicem Tittliaci. S.

Salix latifolia, folio utrinque glabro, ſupernè ſplendente Raji. *Salix pumila latifolia prior* Cluſ. *Salix pumila repens* Lob. Eſt inſuper *Salix pumila folio utrinque glabro* J. B. videturque *Salicis Alpinæ pumilæ rotundifoliæ repentis*, quæ *infernè* eſt *cinerea*, C. B. varietas. Ad radicem Tittliaci.

Sa-

Salix Alpina minima repens, retuſo Serpilli folio lucido Bocc. Muſ. p. 18. *Salix Alpina Serpilli folio lucido* Eid. Tab. 1. ubi figuram exhibet ſatis exactam. Pro Synonyma habet Tournefortius *Salicem ſaxatilem minimam* C. B. nec abſque ratione: Convenit quippe hujus deſcriptio, ſi magnitudinem excipias; noſtra enim Salix non emittit ſemper *caudicem ſemuncialem*, ſed ſemipedalem, atque etiam majorem, *qui in* plures *ramulos terræ incumbentes dividitur*, cortice tectos viridi luteo, vel obſcuriori colore: *Folia ſunt parva, oblonga, ſubrotunda,* ſupernè *atrovirentia*, ſeu ex ſaturo virore ſplendentia, infernè dilutiora, *venoſa*, plura ſimul ex una gemma exeuntia, ſemunciam longitudine, & ſcrupulos duos vel tres latitudine vix ſuperantia: *Medium foliorum* occupat *Julus*, ex floſculis non denſè ſtipatis compoſitus, *floſculus* autem quilibet pediculo breviſſimo, aut planè nullo nititur, conſtatque ex tribus foliolis, quorum inferius latiuſculum eſt, in ſummo obtuſum, vel leviter ſinuatum, reliqua duo exilia ſunt, brevia & gracilia, inter quæ ſurgunt Stamina albida, apicibus luteis nigro puncto notatis onuſta. Obſervat optimè Bocconus, quòd folia non ſemper & ubique ſint parva, Serpillo ſimilia, ſed in montibus, lociſque pinguioribus quadruplo ampliora. Per ſaxorum ſuperficies prorepit in montibus *Joch*, *Lauberſgradt*, & Surenenſibus.

Salvia montana maxima foliis Hormini, flore flaveſcente Tour. *Horminum luteum glutinoſum* C. B. *Galeopſis ſpecies lutea viſcida odorata nemorenſis* J. B. Odorata, & viribus Balſamica eſt planta, Salviæ hortenſi facilè ſubſtituenda; cum ſucceſſu imponunt Alpicolæ folia tumoribus maturandis.

Saxifraga Alpina Ericoides flore purpuraſcente Tour. *Sedum Alpinum Ericoides purpuraſcens* C. B. In Prodr. deſcribitur. Innaſcitur ſaxis humidis *im Horbis*, aliiſque locis Vallis Angelimontanæ.

Scabioſa montana glabra, foliis Scabioſæ vulgaris C. B. *glabra carnoſis foliis virentibus, flore ex cœruleo purpureo* J. B. *Scabioſa montana glabro folio* Park. In noſtra hac *caulis* aſſurgit ad pedalem altitudinem, & ultra; *folia* ſunt carnoſa, glabra, tenuiter inciſa: In reliquis deſcriptioni convenit. Ad radicem Tittliaci montis.

Sedum ſaxatile atro-rubentibus floribus C. B. Deſcriptioni, quæ in Prodromo extat p. 132. adde, plantulam hanc binas uncias raro excedere, foliola eſſe craſſa, teretia, caulem denſè ſatis, ſed alternatim cingentia, viridia & ſubflava, punctis croceis & rubentibus conſperſa, *floſculos atro-rubentes* ſtellatos, quaſi in umbellâ diſpoſitos, qui mihi videntur potiùs ſeminum receptacula. Saxis & ſcopulis ſiccioribus innaſcitur. In Alpibus Surenenſibus eandem reperimus plantam, cujus capitula ſtellata non ſunt coloris atro-rubentis, ſed ſubviridis, vel pallidi. Vid. TAB. VI. *Fig.* 3. & 4. Plantam hanc, ſi attentiùs examino,

TAB. VI. *Fig.* 3. & 4.

no, obſervo eſſe ipſiſſimum *Sedum minimum montanum flore purpuraſcente parvo ſemine ſtellato* Raji Hiſt. Plant. p. 692. nec non *Sedum annuum minimum ſtellatum rubrum*, quod Magnol deſcripſit atque depinxit in *Indic. Plantar. circa Monſpel. naſcent.*

Sedum majus montanum foliis non dentatis, floribus rubentibus C. B. *Sedum montanum latifolium flore purpureo* J. B. Crediderim, quod ſubolfecit J. B. eſſe hoc ipſum *Sedum Alpinum* 14. C. B. ſive *rubro magno flore.* Deſcriptioni Johan-Bauhinianæ, & Cluſianæ adde, quòd caulis veſtiatur creberrimis foliis oblongis acuminatis, ex dilutè viridi & rubro colore egregiè, præſertim verſus ſummitatem, variegatis, & lanugine vix conſpicuâ hirſutis: Caulis ipſe plerumque verſus ſummum purpuraſcit, ubi in aliquot breves diſpeſcitur ramulos, ſeu pediculos, qui duos, tres, pluresve flores ſuſtinent, & pulchrè è diluto purpuraſcunt. Floris Calyx componitur ex plurimis foliolis longis, anguſtis, acuminatis, totis pene rubris. Flos ipſe conſtat è plurimis petalis oblongis, acuminatis, dilutè purpureis, obſcuriore colore carinatis, intra quæ conſpiciuntur plura ſtamina incarnata, verſus apicem obſcuriora, onuſta apicibus parvis, ſubnigris, per albidas lineolas diſtinctis. Umbilicum floris occupant plures ſiliquæ ſtellatim diſpoſitæ, albæ, & in filum terminatæ. Planta integra amœna viſu eſt, & paſſim è Scopulorum fiſſuris effloreſcit. Invenimus eandem hanc Sedi ſpeciem floribus lætè incarnatis prope *Lacum Engſtlanum.*

Sedum tridactylites Alpinum minus C. B. *Sedum Monſpelienſe, & Pyrenæum laciniatum* Park. *Sedum* eſt *Alpinum* III. *Fr. Gregorii Rhegienſis* Col. *ſecunda varietas*, pulchrè inter *minus cogn. Stirpes* depicta. In deſcriptione notandum, hanc noſtram plantam non eſſe villoſam, ſed glabram, viridem, adeòque potiùs pro Synonymo aſſumi debere, *Saxifragam tridactylitem Pyrenaicam pallidè luteam minimam* Tour. quàm *Saxifragam tridactyliten Alpinam minorem & villoſam* Ejuſd. Creſcit in ſuperficie ſaxorum Alpium Surenenſium *Jugi* & *Ochſenſtock.*

Sedum Alpinum minimum, foliis cinereis, flore candido J. B. *Sedum Alpinum album foliolis compactis* C. B. *Sedum minus* 9. *Cluſii*, *minimum Alpinum Muſcoides* Park. *Sedum Alpinum* 3. Cluſ. Ger. emac. Folia ſi aſpicio cinerei, vel cæſii coloris omnia fere recurva, ſive in extremitate ſuâ reflexa, non dubito, quin hoc noſtrum Sedum idem ſit cum *Saxifraga Alpina minima foliis cæſiis deorſum incurvis* Tour. In Saxis *auf Joch* & *Ochſenſtock.*

Sedum Alpinum floribus luteis maculoſis C. B. *Sedi minoris genus floſculis luteis, vel croceis ſplendidis maculoſis pulcherrimis* Geſn. Fract. Invenimus utrumque, floribus ſcilicet luteis & croceis, imò etiam croceis non punctatis vel maculatis. Relegavit Rajus hoc Sedum ad illa C. B. quorum deſcriptiones nimis breves, & generales, nec Iconibus illu-

ſtratæ, cognoſcet autem facilè hanc noſtram plantam, in omnibus Alpibus obviam, ſi contulerit illam cum *Sedo minori Alpino luteo Anglico*, quod deſcribit Hiſt. Plant. p. 1042.

Sedum muſcoſum J. B. *Sedum montanum perpuſillum luteolis floribus* Park. an *Saxifraga Pyrenaica minima Muſco ſimilis* Tourn. In editiſſimo Alpium Surenenſium vertice.

Sedum majus vulgare C. B. J. B. *Sempervivum majus* Ger. In montibus inter petras ſponte oritur. E Saxis in Lacum Rivarium, & IV. Civitatum Sylveſtrium propendentibus, lætè effloreſcit.

Soldanella Alpina rotundifolia C. B. *Soldanella montana* Lob. *Soldanella Alpina minor* Cluſ. *montana* J. B. In altiſſimis omnium Alpium jugis ad nivis liqueſcentis radices floret.

Sonchus cœruleus latifolius J. B. *lævis laciniatus cœruleus*, *ſeu Alpinus cœruleus* C. B. *Alpinus cœruleus* Park. Bicubitali & tricubitali invenimus caule.

T. *Teucrium Alpinum inodorum magno flore* C. B. *Alpinum inodorum* Park. item *Teucrium foliis Scorodoniæ* C. B. ex ſententia ejuſdem Parkinſoni. Exiccata hæc planta nigreſcit, ſicuti Pediculares, & pleræque aqueæ, & paluſtres. Creſcit in Alpium ſaxoſis.

Thalictrum minus C. B. Ger. Park. *Thalictrum minus*, *ſive Rutæ pratenſis genus minus ſemine ſtriato* J. B. In Vallis Angelimontanæ montibus.

Thlaſpi Alpinum folio rotundiore carnoſo, *flore purpuraſcente* Tour. Hoc nomine mihi venit planta, è fiſſuris ſcopulorum pronata, cujus *Radix* eſt longa, craſſiuſcula, fibroſa, alba, *caules* triunciales, & ultra, ſucculenti, læves, craſſi, repentes, *foliis* veſtiti alternis, viridibus, craſſis, ſucculentis, ſubrotundis, inferioribus & majoribus leviter crenatis, ſuperioribus minoribus & acutioribus, triangularibus non item. Foliorum tam ſuperiorum, quàm inferiorum ea fere eſt conditio, quam depingit Col. *min. cognit. Stirp.* p. 276. in *Thlaſpi montano altero minori rotundifolio*, *Burſæ Paſtoris fructu*, & J. B. in ſuo *Thlaſpi Alliariæ folio* Hiſt. Plant. T. II. p. 932. Caulis ſummo inſident plurimi *flores* tetrapetali, petalis ſingulis in extremo ſinuatis, dilutè purpuraſcentes, innixi *calyce* tetraphyllo viridi; ſtaminibus viridantibus ſuſtinentur *apices* flaveſcentes: *Stylus* ſeu piſtillum floris abit in *capſulam* compreſſam, ſtricturâ ſeu ſepto medio in bina loculamenta diviſam, quibus ſingulis inſunt duo *ſemina* compreſſa. Sapor totius plantæ, præcipuè foliorum, eſt acris. Forſan eſt hoc *Thlaſpi folio rotundo* C. B. Phytop. *Thlaſpi* ve *rotundifolium Thuringiæ* Camer. Hort. In monte *Joch*.

Thlaſpidium Monſpeliacum Hieracii folio hirſuto Tourn. *Thlaſpi biſcutatum aſperum Hieracifolium*, *& majus* C. B. *clypeatum* Lob. Ger. *clypea-*

peatum Hieracifolium majus Park. *Lunaria biſcutata* J. B. *Leucoium Alyſſoides umbellatum montanum* Col. In Valle montoſâ *Waldnacht*, montibuſque *Joch*, & Surenenſibus.

Tormentilla Alpina vulgaris major C. B. *Tormentilla Alpina major* Park. *Tormentilla Alpina* Cam. *Radix huic odoratior, rubicundior, & major vulgari, folia etiam majora, in reliquis conveniunt.* Raj. Ad radicem montis Tittliaci.

Trifolium Alpinum flore magno, radice dulci, C. B. Pin. *Trifolium Alpinum minimum flore magno* Phytop. (non *flore luteo*, ut legit J. B.) *Trifolium Alpinum Rhæticum Aſtragaloides* J. B. *Trifolium anguſtifolium Alpinum* Pon. Deſcr. Bald. Deſcriptionibus Ponæ & Bauhinianis ita quadrat, ut addi nîl poſſit. In Alpibus Surenenſibus copioſe creſcit.

Valeriana Alpina J. B. *Valeriana Alpina prima* C. B. *Alpina latifolia* Ger. emac. *Alpina major, ſive latifolia* Park. *Valeriana Trachelii folio* Hort. Patavin. Diſtincta eſt à

Valeriana Alpina Scrophulariæ folio C. B. J. B. uti ex Iconibus C. B. in Prod. patet, foliis in hac integris, nec crenatis nec ſerratis, in illa non item. Ad radices Alpium paſſim.

Veronica Alpina Bellidis folio hirſuto C. B. Prod. *Veronica minima Bellidis folio* Park. convenit deſcriptioni C. B. quam habet Prodr. p. 116.

Veronica parva ſaxatilis cauliculis nudis Raji Hiſt. Plant. p. 846. *Veronica Alpina pumila caule aphyllo* Boccon. Muſ. p. 17. Tab. 1. 9. Dubitanter Rajus, confidentiùs ego pro Synonymis habeo *Chamædryn Alpinam minimam hirſutam* C. B. Prod. & *Teucrium minimum* Cluſ. Hiſt. 350. quamvis hæc peculiari *Veronicæ Alpinæ minimæ villoſæ*, & ſeparato quidem à *Veronica parva ſaxatili cauliculis nudis* Raji Titulo veniat Tournefortio. Deſcriptionibus Bauhinianæ & Rajanæ non eſt quod addam, ut nec Iconibus Bocconianis. In montis *Joch* vertice.

Veronica Alpina fruteſcens C. B. *Veronica ſaxatilis* J. B. *minor Alpina* Park. *Serpillifolia omnium minima* Pon. *fruteſcens Serpillifolia* Ger. emac. Refero huc *Veronicam Alpinam glabram rotundo Alſines Plantaginis folio* Bocc. Muſ. p. 18. item *Veronicam Alpinam glabram minimam Nummulariæ folio* Ejuſd. l. c. quarum priorem naſci ſcribit in Alpibus Mutinenſibus, alteram in Corſicanis. Noſtram inveni in monte *Joch*.

Viola montana lutea grandiflora C. B. *Violæ nigræ perſimilis montana lutea* Geſ. Hort. *Viola flammea lutea* Lugd. *Viola montana tricolor* 2. Cluſ. *Viola flammea lutea maxima* Park. Deſcriptionibus adde, quòd *flos* ſit magnus, flavus, lineis *nigro-purpuraſcentibus* verſùs umbilicum notatus, umbilico ipſo exiſtente croceo, calcar floris eſt atro-purpurei coloris, & calyx idem, qui aliarum Violarum. In foliorum figura & inciſuris multùm variat, uti omninò huc trahi etiam debeat

Viola montana lutea foliis non crenatis C. B. & ipſa forſan *Viola montana lutea grandiflora* Raji. In Valle Engſtlana: *im Gämſmättlin* Montis Pilati.

Vitis Idæa foliis ſubrotundis exalbidis C. B. *Vitis Idæa magna quibuſdam, ſive Myrtillus grandis* J. B. *Idæa foliis ſubrotundis major* Ger. *Vaccinia nigra fructu majore* Park. Deſcriptioni J. B. & Cluſ. congruit. Ad radicem montis Tittliaci.

Vitis Idæa foliis oblongis albicantibus C. B. *Vitis Idæa fructu nigro* J. B. *Vaccinia nigra Pannonica* Park. *Vaccinia Pannonica, ſeu Vitis Idæa* Ger. Ibidem.

DE LACTE ET OPERIBUS LACTARIIS, Prout Præparantur in ALPIBUS HELVETICIS.

SCripſit *Conradus Geſnerus* jam ante centum & ſexaginta annos Libellum de *Lacte & Operibus Lactariis*, victu potuque Helvetiorum maximæ parti familiari, qui hinc γαλακτοφάγων ϗ γαλακτοπότων nomina merentur non minus quàm *Nomades* & *Getæ*, antiquiſſimæ Gentes. Tractavit autem Polyhiſtor Tigurinus materiam hancce *Philologicè* ac *Medicè*, ex Libris potiùs quàm ἀυτοψία, generatim potiùs, quàm applicativè ad Hiſtoriam Patriæ Naturalem, Agam ego hâc vice Hiſtoricum, deſcribendo omnis generis Lactarios Proceſſus, in Alpibus fieri ſolitos, ordine Naturali, & depingendo ad vivum Inſtrumenta Operibus Lactariis conficiendis deſtinata, quo ipſo minimè exulabit Philologia, verùm plurima Lexicographis commodabuntur vocabula, ipſis hactenus parum, vel non, cognita, & exteris Nationibus dabitur anſa, de ſua Hiſtoria, atque Philologia Lactaria aliquid inſu-

ſuper adjiciendi, ut hæc Doctrina tandem prodeat omnibus ſuis numeris, quàm fieri poteſt, abſoluta.

Lactis & *Lactariorum Operum* curam habet ὁ γαλακτοκόμος, *Sennus*, (ignoſcant rigidi Latinitatis Antiquæ exactores, ſi nova ſubinde cudam nomina,) *der Senn*, homo plerumque ἐκ δικαίου γένους ἀνδρῶν, indutus Calceo ligneo, *mit einem Holtzſchuh*, quem corrigiæ binæ plantæ pedis nudi adſtringunt, ad imitationem *Veterum Germanorum*, & *agreſtium Polonorum hodieque*, *quorum ſoleas ex arboris libro fabrefactas funiculus in planta pedis adſtringit*, referente *Cluverio German. Antiq.* Lib. I. c. 16. & figuram exhibente *Balduino Calc. Antiq.* p. 35. *Fortia namque eſſe debent Calceamenta* Alpicolarum (uti illa *Militum* apud *Flavium Vopiſcum* in *Aureliano*,) ut eò firmiùs & tutiùs per vias lapidoſas Alpium incedere queant. Conferri etiam poteſt cum Calceo hocce Alpino ligneus ille, quem *Holſchen* Weſtphali vocant, memorante *Lachmund. Oryctograph. Hildesheim.* p. 30. Senn.

Præficitur hic Sennus à Domino *Senntenæ*, *der Sennten*, (quo nomine intelligunt vicenarium, tricenarium, quadragenarium, vel grandiorem etiam numerum Vaccarum, Boum, aliorumque in Alpibus paſcendorum numerum,) his ipſis Beſtiis, quas ſub Æſtatis initium in Paſcua Alpina deducit, *wann er zu Alp fähret*, illarum ſedulam rationem habet, Caſeum, Butyrum, Recoctam, aliaque Opera Lactaria, pro variante inſtructione, colligit, Dominove ſuo fideliter apportat. *Senntnen* dicitur Patronus ipſe, quando is pecora ſua in Alpina prata, vel paſcua deducere jubet, & uſum fructum inde trahit vel quotidianum, vel hebdomadalem, vel menſtruum. An pro *Senntena*, cujus deſcriptionem modo dedi, vel pro *Senna* mox explicanda ſcribi debeat *Senta*, determinare non audeo. Non parum mehercle gaviſus fui, quando vocabulum hocce apud *Plinium*, Naturæ illum Bibliothecarium, reperi. Ita enim ille *in Hiſt. Nat. L.* II. *c.* 45. *Sine fine ventos generant jam quidam ſpecus, qualis in Dalmatiæ ora, vaſto in præceps hiatu, in quem dejecto levi pondere, quamvis tranquillo die, turbini ſimilis emicat procella. Nomen loco eſt SENTA.*

Sennten. Senntnen.

Lactarius hic homo, quem Senni nomine jam nuncupavi-
Sennhütte, mus, inhabitat *Caſam*, ſive *Sennam*, *die Sennhütte*, cujus parietes ex Trabibus ligneis non, vel ruditer exaſciatis, invicemque ſuperimpoſitis conſtant, & ſæpe corticibus Abiegnis veſtiuntur, ad arcendas tempeſtatum injurias, tectum ex ſcandulis ligneis per ſaxa aggravatis, ne ab impetu Ventorum disjiciantur, tabulatum terra nuda, vel corticibus Abietum, Pinuumve ſtrata; reliqua, vaſis exceptis, lignea omnia, ut abſit pompa omnis, ſimplicitaſque primorum hominum hîc etiamnum ſedem ſervare videatur. *Sed Lectus, culcitra, plumæ, pulvini deſunt! O mollem & effœminatum hominem! Omnium inſtar tibi fœnum erit, molle eſt, odoratum, ex variis herbis ac floribus ſaluberrimis congeſtum, longè ſuavior, & ſalubrior tibi reſpiratio fuerit. Hoc pro pulvino capiti, pro culcitra tibi toti ſubſternes, & pro ſtragulo etiam inſternes. Geſner. Deſcr. Mont. Fract.* p. m. 51. Caſæ hujus Alpinæ, ſive Sennæ, duæ ſunt partes, una nomen retinet, Græcis haud incommodè Τυροκομεῖον, *Taberna caſearia* Latinis dici poſſet, quòd in ea curentur, quæ ad Caſeum pertinent, & præter Inſtrumentorum Apparatum, Lectumve, focum habet ſemicircularem, quod Amphitheatrum rude Chymicum ex Lapidibus cæmento nullo conglutinatis componitur, & coctioni ciborum, præparationive Caſei, aliorumque Lacticiniorum dicatur, *Infernum, die Hell*, nonnulli vocant Paſtores. Partem Caſæ alteram, plerumque Septentrioni adſitam, conſtituit *der Milchgaden*; *Milchkeller*, Belgis *de Melkkelder*, *Conclave Lactarium* dixeris, quia ibi in vaſis ligneis atque rotundis aſſervatur Lac,

Quod { *ſurgente* / cadente } *die mulſere, horiſque* { *diurnis* / nocturnis. } Virg.

Haud longè à Caſâ, ſive Sennâ, Senni domicilio, diſtat
Kühegaden. *Caſa vaccaria*, ſeu *Stabulum*, *der Viehe-oder Kühegaden*, ubi ordine alligantur Vaccæ, Boves, & Capræ, ſingulæ ſuis Nominibus inſignitæ.

διακεκριμέναι δὲ ἕκασται
Ἔρχατο, χωρὶς μὲν πρόγονοι, χωρὶς δὲ μέτασσαι
Χωρὶς δ' αὖθ' ἕρσαι.

Di-






Sumptibus D. Richardi Waller, Armigeri, Societ. Reg. Secr.



Pl. 1.



Sumptibus D. Johannis Woodward, M. D. Coll. Med. Lond. & Societ. Reg. Socii, et Professoris Medicinæ Greshamensis.

Diſtant ordine certo
Privæ majores, mediaque ætate ſeorſim,
Privatimque recens nati.

Homer. Odyſſ. IX.

Omnes manè & veſperi mulget Paſtor, inſidens Sedili ſuo, ſeu *Monopodio* (*Melckſtul*) Rhætis *Scagno*, quaſi diceres *Scamnum*, Ætuatiis *Zuppe*, *A.* quod corpori accingit mediante loro, vel fune *a. b.* huicque amentat Corniculum (*ein Salbhorn*) *c.* cui Butyrum ineſt, pro facilitanda emulſione Uberibus inungendum. TAB. VII. *A.*

Emulgetur autem Lac à Bumulgo, quem πελλητῆρα vel πελλαντῆρα Græci nuncupant, in *Mulctrum* vel *Mulctrale*, (unde forte nomina vernacula, *Melkteren*, *Milchmelkteren*, & Rhætorum *Mettre.* Ætuatii vocant *Sediael.*) πέλλην, πελλίδα vocant Græci, Ἀμολγέα Theocritus, γαυλὸν alii, γαλευτήριον *media & infima Græcitas*, uti ex Gloſſis Græco-Barbaris in *Gloſſario* ſuo ad vocem γαλένειν, mulgere, annotat *du Freſne*, & ex hoc effunditur in Amphoram (*Milchtaüslin*) *C.* Mulctralium aliquot capacem, ex hac porro pro Caſei præparatione per Vas Conicum ſeparatorium, vel *Colatorium*, *Michſienem*, *Follen*, Rhætis *Alcol*, Ætuatiis *Dertiuſch*, *D.* Inſtrumento peculiari, *Follenheber* dicto, *E.* innixum in Ahenum *F. das Wellkeſſe*, *Bandkeſſe*, *Käskeſſe*, *Sennkeſſe*, Rhætis *una Caldera*, ſcandulâ perforatâ, *mit einer Keſſeſchindlen*, *G.* pro receptione Colatorii coni aliquando tectum, ex Brachio ligneo, *Thurner*, Rhætis *al turn*, Ætuatiis *tſchegnie*, *H.* circa Axem columnarem *J.* rotatili, ſuſpenſum, & ſic levi operâ foco admovendum, vel ab igne removendum. Colatorii coni Apex reſciſſus, & apertus, obſtruitur arctiſſimè ſurculis folioſis Abiegnis vel Juniperinis, ut hocce perfluens Lac impuritates vel ſordes deponat. *Lactis Emulſio. B.* *C.* *Colatio.* *D. E.* TAB. VIII. *F.* *G.* *H. J.*

Poſteaquam Lac omne τυροποιήσει deſtinatum in Ahenum ampliorem, *das Well-oder Sennkeſſe* fuit colando effuſum, exponit illud Sennus Caſeifex igni lento, ut eum incirca gradum caloris acquirat Lac, quem habuit recens mulſum, & mox ex Urnula, *dem Lupptaüſſlein*, Ætuatiis *brocca di quale*, accipit Cochleare unicum *Liquoris fermentalis*, *Lupp*, *Coactio in Caſeum, per coagulationem,*

Kaſ-

Kaſtupp, *Kaſtap*, dicti, (in Julio monte vidi in ſicca forma aſſervari hoc fermentum, & *quatſch* vocari Engadinenſium Rhæticâ linguâ, apud Ætuatios *quale*, quod forſan Originem habet à *coagulare*, vel coagulum) quo 300 vel 400 Libras Lactis Medicas coagulare, & æquabiliter quidem, valet, quem in finem totam maſſam Lactis catino ligneo, cui fermentum ineſt, in gyrum vorticoſum agitat, expectans, catino extracto, omnimodam Lactis coagulati quietem. Veteres, *Varrone de Re Ruſticâ* teſte, ſumebant coagulum Leporinum, Hœdinum, vel Agninum, vel de Fici ramo Lac & Acetum, vel etiam adſpergebant Sal foſſile, aut marinum. *Palladius* addit ſincerum Lac, pelliculam, quæ ſolet pullorum ventribus adhærere, agreſtis item Cardui flores. Rhæti quidam demittunt in Lactis calefacti maſſam Ducatum Turcicum linteo inſutum, & filo ſuſpenſum. Miræ *Effluviorum ſubtilitatis* novum argumentum inde traxerit Anglorum, imò Orbis univerſi Literati Decus, *Robertus Boyle*, & cum ipſo Experimentales Philoſophi alii. Fermentalis hic Liquor *Lup*, cui tam mira ineſt Lac metamorphozandi vis, hunc inſuper habet in Corpora humana effectum, ut ad aliquot duntaxat guttas in vehiculo Lactis, aliove exhibitus, ἄνω καὶ κάτω purget, non ſine vehementiâ. Paratur autem, recipiendo Ventriculos vitulinos numero duos, Salis communis manipulum unum, ſuperfundendo aquam communem ad ſupereminentiam, macerando omnia per duas plus minus hebdomadas. Galli Fermentum hoc coagulatorium vocant *Preſure*, & actum coagulationis ipſum exprimunt per vocem *preſurer*, *ou cailler le laict* : Harum autem vocum Radix eſt Latina *premo*, quia hoc modo premitur, comprimitur, ſive in coagulum cogitur Lac. *Olivarius Serranus Pradellus* dans ſon *Theatre d'Agriculture & Meſnage des champs*, *Liv.* IV. c. 8. parare docet hunc Liquorem ex Ventriculis vitulinis, vel agninis exiccatis, in mortario contuſis, & in aceto maceratis. Græcis vocatur Coagulum hoc πυετία, ut *Ariſtot. Lib.* II. de *Generat Animal.* c. 4. *Theocrito* Idyll. 7. τάμισος. Belgæ appellant *Lebbe*, *Libbe*, item *Kalfslebbe*, vocabulo noſtro *Lupp*, vel *Lubbe* affini. *Schoock* de *Averſat. Caſei*, cap. 3.

In



Pl. 1.



Sumptibus D. Samuelis Morland, Societatis Regalis Socii.

In ſuperficie coaguli undique æqualis, quod nunc porro conſiderationi noſtræ ſubjicitur, fluitant *Recrementa* quædam *ſpumoſa*, *der Abzug*, quæ catillo foraminoſo, *mit der Zigerkellen*, vel etiam Cochleari integro explanato, *dem Hackennapf* ſimili, quod ideo *Spimæra* Rhæti nuncupant, *K.* excepta abjiciuntur, ut porcis nutriendis inſerviant. Reliquum, & purum coagulum, cui nomen *Bulderen*, certum obtinet tenacis cohæſionis, ſed & fragilitatis gradum, ut catino mediante tota ferme maſſa indivulſa poſſit ab imo ad ſummum verti, ſed & manibus primùm, mox autem baculo abiegno decorticato, *L.* quem ideo *Käsbrechen*, Rhæti *Turſchæt*, nominant, in minutias confringi. Coagulum hocce, quia *Calci dilutæ denſiori ſimile*, Ἀσβεστότυρον vocavit Junior Græcitas, uti ex *Continuatore Theophanis*, *Scylitze*, & *Michaële Logotheta* infert *du Freſne Gloſſar. Græcit. med. & infim.* ad vocem Ἄσβεστος. Comminutio ipſa hujus Ἀσβεστοτύρου fit expoſitâ rurſum maſſâ lento igni, & per baculum prominentiis ſurculoſis veluti ſpinoſum agitatâ, habetque mox comitem ſeparationem partis *caſeoſæ* à *ſeroſa*, quarum illa *Käs* jam Ariſtoteli Lib. III. Hiſt. Anim. c. 20. ὀῤῥὸς καὶ σωματῶδες dicta, in fundo coit, hæc autem, ſeu ἰχὼρ ὑδατώδης, ſupernatat. Serum quod nondum caſeoſis omnibus, ſeu terreſtribus partibus eſt privatum, vocatur *Sirpen.* Hujus aliquot menſuræ hauriuntur catino, ſeu cochleari magno ligneo profundiori, *M. mit dem Stielnapf*, *Hackennapf*, *Gon*, Rhætis *la Cazzetta*, *Scarmæra*, Ætuatiis *Gont*, atque in vas aliud transfunduntur, quò ſic caſeus ad fundum præcipitatus poſſit tantò commodiùs accipi Alveo, ſeu Orcâ, *in die Mutten*, *Mutta* Rhætis, & *Guttaes* Ætuatiis, *Curtaer* in minori formâ *Purſchiette*, *N.* quæ inclinata aliquantum imponitur Ligno Scalari, *das Muttenholz* dicto, *O.* ut Serum à Caſeo ſeparandum defluere poſſit in aliam Orcam ſubjectam. *Nam maxime refert*, *Columellâ* teſte, *primo quoque tempore Serum percolari, & à concretâ materiâ ſeparari: Quam ob cauſam Ruſtici nec patiuntur quidem ſua ſponte pigro humore defluere, ſed cum paulò ſolidior Caſeus factus eſt, pondera ſuperimponunt, quibus exprimatur Serum.* Modum mox recenſebimus.

Deſpumationem, K.

L.

Comminutionem,

M. *Præcipitationem*, *Formationem*, TAB. IX.

N.

O.

Separationem à Sero pinguiori & Recotta, Serum à Caſeo ſeparatum omne, pingue & nutritivum, quod *Sirpen* vocamus Authoritate Sennorum fundati, de novo Aheno inditum, expoſitumque igni fortiori, exhibet ſpumoſam in ſuperficie natantem ſubſtantiam, *der Vorbruch* appellatam, guſtui valde gratam, quæ mox aufertur Catino ſeu Cochleari ampliore, nec ita profundo, ſeu patellâ planiore, *P.* *mit dem Schweidnapf, P. Roomſchotel* Belgæ vocant, quia Cremori Lactis auferendo deſtinatur, & ſeorſim ponitur, ut cibi loco vel ſola, vel aliis Lactariis Operibus miſta inſerviat. Spumoſa hæc Concretio forte eſt γραῦς illa apud *Athen.* 247. Ita ſanè explicat *Geſner. de Lact.* p. 37. *b.* & huc trahit Jocum illum, qui extat in Pluto Comediâ *Ariſtophanis*;

Καὶ μὴν πολὺ τῶν ἄλλων χυτρῶν τ' ἀναντία
Αὗται ποιοῦσι, τῶν μὲν ἄλλαις γὰρ χύτραις
Ἡ γραῦς ἔπεστ' ἀνωτάτω, ταύτης δὲ νῦν
Τῆς γραὸς, ἐπιπολῆς ἔνεισιν αἱ χύτραι.

A cæteris quamplurimum iſtæ differunt
Ollis, videre in cæteris enim licet
Anum ſupra ollas, hic modo contrario
Novoque videas, quòd ſit olla ſupra anum.

Γραῦς *enim & anum mulierem, & oleoſam in juſculis Lacteque ſuperficiem indicat; præterea lineam illam in littore aut ripa, quam ſpuma deſcribit. Pueri noſtri floccos nivium cadentes anus eſſe clamitant. Omnibus occaſionem Metaphoræ dedit Canities.* E diverticulo in viam. Reliquo Liquori fervido infunditur Serum acidum, *das Saurtrank, Saurſchotten*, Ætuatiis *Scottage*, quod ad hunc finem aſſervari ſolet *Q.* in vaſe peculiari ligneo, *Q. dem Trankfaſs, Trankbrunggen.* (cui cognatum eſt Rhætorum *Faſcera*, in Julio Monte uſitatum.) Sic mox fit nova ſecretio partium fluidiorum a ſolidioribus, quarum hæ *Ziger* vocantur, illæ ſub communi *Seri Lactis, Schotten, Lait clair, petit Lait* nomine veniunt. Ambæ invicem miſtæ appellantur *Suffy.*

Preſſionem. Redimus ad *Caſeum*, viſuri quid porro poſt defluum Serum pingue cum illo agatur. Eximitur ille vaſe ligneo ampliori, quod Alvei vel Orcæ titulo ſuprà inſignivimus, & cingitur annulo vel modiolo ligneo aut corticeo, (quem è vi-

viminibus olim contexere ſolebant, & *fiſcellam* vocare, uti conſtat ex illo *Tibulli Lib.* II. Eleg. 3.

Tunc Fiſcella levi detexta eſt vimine junci,
Raraque per nexus eſt via facta ſero.)

mit einer Käſſärbe, *R.* ut formam acquirat ſibi debitam, mox ſupra infràque tegitur, immediatè quidem panno, vel linteo rudi, ſed mundo, *mit einer Käsblechen*, mediatè autem orbe ligneo plano, cui imponitur Saxum ponderoſum, *der Käſladſtein*, Ætuatiis *Knapp*, ut hoc mediante Caſeus in gyrum moduli cogatur, ſero in poris reliquo privetur, & ad eum compactionis gradum redigatur, qui ab illo requiritur. Inde ſanè apud *Virgil.* Eclog. 1. *Lac preſſum* vocatur Caſeus in illo noto R.

Caſtaneæ molles, & preſſi copia Lactis.

ubi *Servius*, *Preſſi, emulcti, & in caſeum coacti.* Urgetur ita ponderibus Caſeus per aliquot dies ſuccedaneos, ſubinde tamen novis & mundis linteis obtegitur, ne aceſcat. *Ubi ſolidari cœperit*, verbis pergo Palladii, *loco opaco ponitur, aut frigido, & preſſus ſubinde, adjectis pro ſoliditate acquirenda ponderibus, trito ac torrefacto ſale debet adſpergi, & jam durior vehementiùs premi. Poſt aliquot dies ſolidatæ jam formulæ per Crates ita ſtatuuntur, ne invicem ſe contingant. Sit autem loco clauſo, & à Ventis remoto, ut teneritudinem ſervet atque pinguedinem.*


Alvei, vel *Orcæ*, quarum ſæpe mentionem feci, atque Iconem exhibui *Lit. N.* ſunt vaſa lignea rotunda, ampla, ſeſquipedem circiter lata, palmum alta, *Mutten* Alpicolis, Belgis *Mouden*, & *Molden* (teſte *Schoock. de Butyr.* c. 6.) cognominata. Hæ, ſi annoſæ ſint, incruſtantur *Tartaro Lactis*, *mit Milchſtein*, (quem ad Tartari vinoſi imitationem ita nuncupo) partibus Lactei coloris terreis inſipidis in Tartari duritiem concretis, & firmiſſimè ligno affixis. Vidi Tartareum hoc concrementum in Caſa Sennaria inſtructiſſima Conſulis Tigurini Ampliſſimi D. *Andreæ Meyeri*, cujus Officina Lactaria, *der Milch Keller*, hâc inſuper gaudet prærogativâ, quòd aqua illam operiens, & Alveos Lacte plenos alluens, frigidiſſima ſcaturiat intra ipſius Caſæ parietes, *Mutten.*

abſque ullo defectionis aut alterationis periculo. Ibidem loco Orcarum lignearum vidi cupreas, Stanno intus obductas, quibus Lac diutiùs conſervatur. Alibi excavant, qui opibus abundant, Cellas haſce Lactarias ex ipſa petra, & Orcis interponunt glaciem, quâ liquatâ, & per declives foſſulas defluâ, novam ſemper ſubſtituunt, atque hac ratione Lac diu conſervant. Orcarum diminutivum eſt *Nidlemüttelin*, Ætuatiis *Purſchiette*, Orcula ita dicta, quòd eâ excipiatur Cremor, ſicut Catini diminutam formam exhibet *das Suffigönelin*, *Milchnäpflin*, Rhætis *una Scudella*, *S.* quod cyathi, vel
S. poculi loco Alpicolis, atque Hoſpitibus inſervit.

Caſei pingues & macri. Notandum autem, antequam pedem ulterius promoveam, eum, quem rudi penicillo delineavi, τυροποιήσεως modum ſpectare *Caſeos pingues*, *die feiſten Käſe*, quibus caſeoſa & butyroſa Lactis ineſt pars. Pro macrorum Caſeorum confectione, *Zu bereitung der mageren Käſen*, reponitur Lac in Alveos delatum per duos treſve dies in fundum alterius Caſæ partis, quam Lactariam ideo vocavimus, aquâ limpidâ frigidâ perfuſum, quo ſic Cremor, ſummam petens Lactis ſuperficiem, poſſit abſtrahi, & Bytyrum inde parari, reſiduo Lacte pro Caſeo deſtinato.

Butyri confectio. *Butyrum* ipſum, τὸ βούτυρον, *der Ancken oder Butter*, paratur ex Cremore Lactis, *aus dem Nidel*, duplici modo; in caſis minoribus quidem in vaſe cylindrico, ſpithamam vix lato, & tres plus minus pedes alto, in quo ſurſum deorſumve agitur Cremor orbe ligneo, foraminibus aliquot pertuſo, cum baculo huic infixo; Belgæ nuncupant hoc Vas *een Kerne*, & *Boterſtande*, contum ipſum autem cum aſſere perforato *een Kernpols*. *Schoock de Butyr.* p. 31. In majoribus autem caſis utuntur Dolio capaciori, quod in gyrum actum eundem cum priori effectum in Butyri confectione producit. Serum à Butyro ſecretum vocant *Anckenmilch*, Vaſa ipſa βουτυροποιήσει dicata *Ancken Kübel*. Dolium, quod
T. *Liren* etiam dicitur, delineatur *Fig. T.* Ætuatiis *Panaglia*.
TAB.X.

Caſei ſecundarii aſſervatio. *Recocta* ſimplex, *der Ziger*, ex Lacte recocto, Butyro & Caſeo jam ſeparatis, reſidua reconditur in uſum Cibarium hy-



Sumptibus D. Johannis Gore, Armigeri.



hybernum, in vaſa cylindrica, *Zigerrumpf*, 2. vel $2\frac{1}{2}$. pedes alta, unum lata, è corticibus abiegnis per radices Abietum, filorum loco conſuta, vel etiam Priſmata lignea tetragona, ex Aſſeribus confecta, *Zigertrimmen*, porròque Saxis ponderoſis, *mit Trimmenſteinen*, *Ladſteinen*, aggravatur, & comprimitur in maſſam ſiccam, ſero per foramina hinc inde aperta effluente orbatam.

Nutrimentum Paſtorum & Porcorum.

Serum Recoctâ omni deſtitutum, *die Schotten*, inſervit cibandis Porcis, qui proin in omnibus Caſis Alpinis enutriri ſolent, unà cum Recocta autem ipſis Paſtoribus & Sennis. Huc pertinent illa *Homeri* ex *Odyſſ. Lib.* IX.

Ἥμισυ δ' αὖτ' ἔστησεν ἐν ἄγγεσιν, ὄφρ' οἱ εἴη
Πίνειν δαινυμένου, καὶ οἱ ποτιδόρπιον εἴη.

Quicquid erat reliqui vaſis bene condidit amplis,
Ut biberet, cœnæque ſibi ſervaret in uſum (Cyclops.)

Repurgatio Vaſorum.

Repurgantur, & diligentiſſimè quidem cuncta vaſa ad γαλουργίαν deſtinata ipſo ſero Lactis ferventi, & à ſordibus mundantur Scoparum genere, quod *Geſtner* vocant, atque ex ſurculis Abiegnis decorticatis parant. Hâc vaſorum expurgatione neglectâ facilè aceſcunt omnia, & minor obtinetur Caſei ac Butyri proventus. Extendit ſe eouſque Alpicolarum munditiés, ut etiam mulſuri Vaccas manus priùs aquâ limpidâ lavent.

Nôrunt Alpini Paſtores, Senni vulgò dicti, vel ſibi ipſis, ſi lautè vivere velint, vel Hoſpitibus, parare Lacticinia ſuavia, & palato etiam delicatulo maximè grata.

Nydelbrot.

Commemorat *Geſnerus* in *Montis Fracti Deſcript. Cremam Lactis, quâ fervefactâ panis offas, aut ſegmenta perfundunt, Nydelbrot.* Parari etiam poteſt Lactarium hoc opus ex Butyro recenti, coquendo id, & miſcendo probè cum Lacte.

Stunckenwerne.

Stunckenwerne, item *ein feiſtes Mues*, q. d. juſculum pingue, conficitur ex Cremore Lactis & farina invicem coctis, additis inſuper, ſi ad manus fuerint, ovis. Recipiunt alii Butyrum jam excoctum, farinam & Recoctam, ſeu Caſeum ſecundarium, *Ziger*. Dum Lactarium hoc opus igni expoſitum fervet, induit Cremor Butyri formam, & quia tepi-

 dum

dum duntaxat eſt, abſque ullo ambuſtionis periculo cochleatim hauriri poteſt, dum interim reliquæ Lacticinii partes in ſummo ſunt fervoris, Linguam & Viſcera adurere valentis, gradu. Mirum Phænomenon, & Phyſico examine dignum.

V. Honoratior in Caſis Alpinis Sedes.

Exhibet tandem *Fig. V.* Vaſis immundi genus, *die Seümelkteren* dictum, quia eo mediante Porcis affunditur Serum, ſaginandis ipſis ſepoſitum. Infimum quidem obtinet in Caſis Vaccariis locum hoc Inſtrumentum, ſed primum, ubi de Hoſpitibus commodè locandis ſermo fit, ſcandulâ rudi tectum. *Es iſt diſs der vornemſte Sitz bey den Sennen, oder in Sennhütten.*

F I N I S.

JOHANNIS

JOHANNIS JACOBI SCHEUCHZERI,

Tigurin. Med. Doct. Math. Prof. Acad. Leopoldino-Carolin. & Socc. Regg. Anglic. ac Pruſſic. Membr.

ΟΥΡΕΣΙΦΟΙΤΗΣ HELVETICUS,

S I V E

ITINERIS ALPINI

Deſcriptio Secunda,

ANNI MDCCIII.

Editio Noviſſima, Auctior & Emendatior.

Iter. 2.



...Tigurina fec. *Sumptibus D. Isaaci Newton, Equitis Aurati, Societatis Regalis Præsidis, &c.* Jos. Nutting Sculp.

ITER ALPINUM SECUNDUM,

ANNI MDCCIII.

PERILLUSTRES VIRI NATURÆ SUMME CONSULTI.

Dedicatio Commendatoria.

Secundâ nunc vice ſeſe ſiſtit Aræ Veſtræ omni Scientiarum, Naturalis in ſpecie, fulgore ſplendenti ΟΥΡΕΣΙΦΟΙΤΗΣ *Helveticus, non vel ſui fiducia ſubnixus, vel præcipiti Famæ cupiditate allectus, ſed Veſtrâ comprimis Benevolentiâ ſuffultus, cujus non Signa tantum, ſed* ἀναμφισβήτητα *mihi comparent* τεκμήρια. *Hæc eſt, Illuſtres Naturæ Conſulti, Veſtro Studii, quod profiteor, Patrocinio juncta, quæ audentiorem tantò me efficit, quò imbecilliores ſunt meæ vires, minora erga Rem Literariam Publicam merita, imò erga Inclytam Veſtram nulla, remotiores à Vobis, iique obſcuri, Natales. Animum addunt bina Clariſſima REGIÆ SOCIETATIS Veſtræ Membra,* Guilielmus Aglionby, *Sereniſſ. ac Potentiſſ. Reginæ ANNÆ Ablegatus ad Reſpp. Helveticas & Rhæticas Excellentiſſimus, cujus favore & ſtimulo incitatus quotidianos in Hiſtoria Naturali Patriæ, ſed & in acquirenda Veſtra Benevolentiâ, facio progreſſus; &* Johannes Woodwardus, *Phyſices in Collegio Greshamenſi Profeſſor, Vir de Hiſtoria Naturali Novantiquâ optimè meritus, cujus Amicitiâ & Favore impenſe gaudeo. Extimulat me proprium meum Naturam noſcendi Deſiderium, quo magis magiſque flagro,*

atque ulteriores, Divino favente Numine, quæro & paro, in vaſtiſſimo, nec unquam emetiendo, rerum campo profectus. Omnem ſolvit metum, lenitque laborem, quòd

Ὀυχ᾽ ἅπασιν εἰς Κόρινθον ἔσθ᾽ ὁ πλοῦς.

Non omnibus, imò pauciſſimis, aut penè nullis placeat laborioſiſſimum hoc ſtudii genus, quod à pane lucrando eſt admodum alienum; non omnibus volupe ſit anhelos aerioſque conſcendere, vel etiam ſuperare Montes, multa pati rerum, ipſius quoque Sanitatis & Vitæ diſcrimina, vincere famem, frigus, æſtum, pluviam, nivem, glaciem, ſaxa, laſſitudinem, quæ omnia uno ſæpe eodemque die ſunt obvia, & in hac ipſa Excurſione mihi ſeſe exhibuerunt haud ſemel guſtanda. Hinc etiam eſt, Τρισπόθητοι Φιλόμουσοι, *quòd eò confidentius ſcopas variarum Obſervationum diſſolutas in Illuſtri Veſtro conſeſſu depono, firmâ ſpe fretus, tantò gratiores fore, quò plus conſtiterunt Laboris & Sudoris. Sic gratiam, qua deſtituuntur reculæ meæ, compenſabunt Laboris difficultas, & Veritatis ſtudium, adorandæ in nivoſis Alpium Jugis, ubi velut in Throno Regio multis hactenus inacceſſo ſedet, Coronâ cincta ſaxeâ, mento lanugine cano, crinibus autem & amictu veſtita viridibus.*

—— —— Di Nevi e di Pruine
Sparſa ogni ſtrada ivi ha poi Fiori ed herba:
Preſſo al canuto mento il verde crine
Frondeggia, e'l ghiaccio ſede a i gigli ſerba
Et a le Roſe tenere. Taſſ.

Pergo protenus ad ipſam Excurſionis meæ Relationem, ne in Rhetorica ſubſiſtere, nec ad Phyſicam progredi videar.

Die 9. Aug. Ann. 1703. Tigurino Portu ſoluti Domini Jacobus Guiſius, Arovienſis, Medic. Candid. ſubtilis Ingenii Vir, Chriſtophorus Haabius, Jacobus Oerius, Felix Ottius, Henricus Scheuchzerus, & ego, Tigurini omnes tendebamus *ad Lacum (Lachen,)* qui Vicus eſt unus ex Agri Suitenſis præcipuis, ubi & veſperi appulimus, bonis ſanè Avibus, Boreâ ſub finem navigationis inflante vela, & nos Portui feliciter inferente.

Vicus ad Lacum.

Pro-

Protendit ſe hic *Lacus*, qui *Tigurini* cognomine venit, ſpatio decem circiter horarum à Septentrione verſus Meridiem, ſed aliquantum verſus Ortum, præcipuè quoad Cornu ſuperius, ſtipatus ab Occidentali latere *Albio* (*Albeſo*, *Albiſo*, *Albis*) veluti in extremitate Alpium Helveticarum ſito (quemadmodum fuit olim *Albius mons* in Japodibus, Liburniæ Populis, de quo *Strabo Geogr. Lib.* IV. ὄρος ὑψιλὸν συνάπτων πῶς τῇ ἄκρῃ, καὶ ταῖς Ἄλπεσιν, Ἄλβιον λέγεσθαι, ὡς ἂν μέχει δεῦρο τῶν Ἄλπεων ἐκτεταμένων; *Montem ſublimem*, *extremitate quodammodo Alpes attingentem*, *Albium vocari*, *quaſi eò uſque porrectis Alpibus*) monte ſatis alto, ab Orientali autem jugis aliis depreſſioribus, ſed magis frugiferis. Eſt utraque Lacûs ripa culta racemiferis agris, & viridantibus pratis, exonerata pomariis amœnis, viridariis lætis, ædibus item ſuperbis, & caſis vilioribus, pulchrè variegata; magis tamen quæ Ortum ſpectat, quàm quæ Occaſum, quandoquidem Vina ibi creſcunt præcellentiora longè & flaviora, hic albidiora, ſeu viridiora, & auſteriora. Cujus Phænomeni cauſam reputo duplicem. Ob Juga Orientalia minùs elata fit, ut utrumque latus mox, ſeu bono manè, blando Solis calore recreetur, quo quidem gaudet diu Orientale, donec ſcil. Sol caput ſuum poſt Albium condat, maturè autem deſtituitur Occidentalis ripa. Non autem ſola hæc à ſitu locorum deſumpta ratio ſatisfacit: præcipuum momentum ſuppeditat Boreas ventus, qui Occidentali ripæ eſt admodùm infenſus, vites illius plagæ, quæ verſus Ortum ſimul porrigitur, afflatu ſuo conſtringit, & ſæpè eouſque uvas, harumque racemos a maturitate revocat, ut non inferri poſſit doliis vinum, niſi indomitum & acerbum, quod *Bendliconenſe* (*Bendlikumer wein*) à pago *Bendlikon* ibi ſito vulgò per jocum vocamus: Addo Nives in Albio Monte tardiùs in Vere liqueſcere, & citiùs in Autumno, præviis pruinis, cadere, unde hanc Nivis præſentiam inopportunam cum damno non modico experiuntur Agri vicini. In Orientali ripa è contrà vinum naſcitur generoſum, quale præprimis eſt *Meilanum* (*der Meilikumer wein*) ſulphure expanſo fœtum, quod aliis ſpirituoſis, aqueis & ſalinis particulis contemperatum gratam

Lacus Tigurinus.

Albius Mons.

largitur, & generoſam dulcedinem, & aureum fere Nectari conciliat colorem, præſertim ſi 30 & plures annos, quorum decurſu ſenſim majorem cocturæ gradum acquirit, in cellis aſſervetur. Dignum quippe notatu eſt, quòd vina Tigurina, ea præſertim, quæ vineæ Lacui adſitæ ferunt, *annuatim auſteritatem ſuam deponant, ac mitiora reddantur, diuque durent. Wagn. Helv. Cur. p.* 293. Pulchrè non minus quàm doctè hanc in rem diſſeruit *Felix Malleolus*, Civis, Cantor & Canonicus Tigurinus, qui claruit ante duo & dimidium ſecula in Tractatu ſatis raro *de Arbore Torculari ducendo in die Feſto.* Verba Viri preclarè docti Hiſtoriæ huic inſerere haud piget, ſed nec pigebit Lectorem Philoſophemata optimis Naturæ ipſius fundamentis nixa è barbara Antiquitate percipere. *Satis convenienter quærere poſſes*, inquit Felix noſter Philoſophus, *quare Comitatûs Thuricenſis diſtrictibus ſunt majores ad torquendum homini vinum conatus, & cum horribilibus Lignorum, Arborum ac Machinamentorum & Inſtrumentorum compagationibus. Reſpondetur, & apparet, quia Ars imitatur Naturam, in quantum poteſt, ut ff. de Adopt. l. adoptio. & Uſus & Ars docuit, quod ſapit omnis homo, ut dicit* Pamphilus, *& quod Natura negat, nemo feliciter audet, dicit* Iſopus. *Unde naturaliter in illis Climatibus videntur talis Terræ, Glebarum, Vinearum, Vinetorum quoque ſitus, quibus perpetuò ſunt altiſſimi Montes ibidem vicini verſus Meridiem uſque ad Lombardiam ſe protelantes, & in aciebus Aquilonem haurientes, & ad Terram plagæ noſtræ reverberantes, & hi in verticibus ſunt ſemper conſperſi Nivibus, Algoribus, Gelu quoque & Frigoribus; & nunquam per aliquam Anni particulam etiam in æſtivis fervoribus, caumatibus, aut imbribus ſe talibus nivibus calvantes, & ab illis tanquam a montibus Helboe perpetuò reſplendent, & è contrà montes candore nivium de ſuis cacuminibus relucent, in tantum quia vineta, vites & vitium ſarmenta quoque palmites cum racemis, uvis, botris, ſeneciis & acinis duriores habent & auſteriores admodum labruſtarum cervices; & in hoc noſtrarum Vinearum fructus omne genus vini in duricia videntur excedentes, un-*

de

de videtur experienter, quod homini vina noſtra rarò vel nunquam in ſuis vitibus matureſcunt, ſed contra naturam aliorum vinorum in umbra & vaſis, & cellaribus profundioribus, ad annos triginta vel ultra mundè conſervata continuò decoquuntur, & demum cruditate repulſa dulcoreſcunt; particulis ſcil. Tartareis terreſtribus ad fundum & latera præcipitatis, & reliquis arctiùs invicem unitis. *Et igitur his & aliis ſincerè perpenſis dixit quidam Magiſter Ambroſius Lombardus, pro tunc Incola Terræ noſtræ, Medicus peritiſſimus, & hoc dudum ante Concilium Baſileenſe, quod infra centum annorum ſpatio in loco noſtro deficiant omnes vineæ: Et quis expectabit eventum? Attamen quia fuit Aſtronomus, & fortaſſis multos futuros agnovit eventus, & qui propter prædictiones prædictas, & alias ſibi notas judicavit vineas noſtras algore frequenter deficere; & per experientiam modernam patroni colonique fructuum & impenſarum penſato moderamine minus ſolito videntur proficere, & in veritate plus ſolito diſſipantur frigore.* Si terminum mille annorum præfixiſſet Lombardus, fortè non adeo aberrâſſet à Scopo, Phyſicis autem rationibus magis quàm Aſtrologicis innixus. Creſcunt etiamnum per Dei gratiam apud nos Vites, imò in tantum magis & magis plantari ſolent, ut conſilium duxerit Ampliſſ. Magiſtratus noſter Decreto d. 12. April. hujus Anni evulgato ulteriorem Lyæi germinum propagationem inhibere. Hoc tamen experimur, quòd in effœtâ hac Mundi Senectâ, frigeſcente magis magiſque tum Amore DEI, tum Proximi, frigidiora etiam ſint pleraque Annorum tempora, Hyems protractior, Æſtas retractior, Vites hominibus porrigunt pallidum Vinum & acerbum, quòd hi Labruſcis ſimiliores ſint, Virgultis omnis generis vitiorum denſis, quàm palmitibus, foliis ſimul & fœtibus bonorum operum graveſcentibus. Miſſis hiſce ex Theologiâ petitis præſagiis, quæ nobis omnia mala patrantibus omnia mala portendunt, ad Hiſtoriam Naturalem, ejuſque Fontes, redeo. Obſervant Alpicolæ, quod & nos ſentimus, augeri in annos Nivium Alpinarum moles, ut ubi hominum memoriâ Nix Hyeme delapſa omnis per Æſtatis decurſum fuit ſoluta, ſolatio

Anni tempora frigidiora magis & magis.

non

non modico Beſtiis, harumque Dominis, nunc adeò altis collecta ſit cumulis, qui nunquam liqueſcunt, imò verò magis magiſque augentur quotannis. Adnotant hoc Alpicolæ, quod alibi reddam teſtatum, & frigoris invaleſcentis ſenſum ipſi inde deducunt. Quid mirum igitur, ſi ſuccedentibus Annis, vel Annorum ſaltem Luſtris, eò nobiſcum deveniat res, ut ad incitas redigamur, niſi Cœli benigniorem auram ob vitæ noſtræ emendationem largiatur Clementiſſimus Deus? Vinum hocce Tigurinum, quartum (Aquæ) Elementum nonnullis per contemptum appellatum, (cujus Apologiam dedi ante Annum, occaſione Colicæ Spaſmodicæ, quæ Angelimontanum Cœnobium excruciabat) non ante deſero, quàm Hiſtoriam ſatis curioſam memoravero. Donavit me Nobiliſſimus Genere & Doctrinâ Dn. *Joh. Erhardus Eſcherus*, qui Lacum Tigurinum peculiari Tractatu deſcripſit Ann. 1692 edito, fruſto Tartari, qui non ad latera dolii, fundumque fuit præcipitatus, ſed in ipſâ Vini ſuperficie concrevit, hancque ita incruſtavit, ut Vino, eoque generoſiſſimo, extracto, fornicem hunc Tartareum, parietem velut intergerinum Dolii confringere neceſſe habuerit Doliarius. Vinum illud fuit aurei coloris fere, defæcatiſſimum, quod generoſitate ſuâ Alſaticum quodvis, vel ipſum Toccajano-Hungaricum provocare poſſet, per 15 Annorum decurſum, ab Anno 1676. ad An. 1693. immotum, Meilæ primum natum. Tartarus ipſe tenuior & ſubtilior eo, qui concreſcit ad parietes. Arguit hoc Vinum Tartareâ cruſtâ undique clauſum, fluidarum particularum motum fieri in omnia latera, ſolidas autem illarum vehiculo ferri non deorſum duntaxat, ſed & ſurſum. Addi inſuper poſſet, quòd carceribus adeo firmis retenti fuerint ſpiritus, quò minùs avolare potuerint, & vis Meri inde facta fortior.

Tartarus in ſuperficie concretus.

Præmiſi gratum hoc Οἰνολογίας Schema, ut Veſtra, Illuſtres Viri, prius demulcerem Palata, quàm guſtandos exhibeo Laborum graviſſimorum fructus, mihique ipſi animum pararem ad ſuperandos minori cum tædio Montes.

Herrliberg.

Aſt enimverò Vina ſola convivium non abſolvunt. Hoc & nos judicavimus. Invitati proin *Herrlibergam* (*Herrliberg*,)

berg,) qui Pagus bihorio ab urbe diſtat, ut Cereris quoque delicias guſtaremus, appulimus in Prædio Nobiliſſimi Ducentum Viri Dn. *Rodolphi Haabii*, ubi mirè fuimus delectati tum eruditâ converſatione Viri in rebus Naturalibus præclarè verſati, tum aſpectu pulcherrimorum Fructuum Arboreorum, qui ex Gallia allati, & Gallico quoque more, quem *en eſpaliere* vocant, palis ad muros ſunt alligati, tum denique contemplatione Dolii Vinarii admodum rari, quod in inſtructiſſima ſuâ Cellâ poſſidet Nobiliſſ. Inventor. Eſt id Parallelepipedum merè Saxeum 150. circiter Amphorarum capax, in tria diſtincta conceptacula diviſum (pro triplici Vinorum genere recondendo,) quæ ſingula 5 pedes ſunt lata, 7 longa, totidemque alta, Omnia Vinum conſervant optimè, nec ullo alieno ſapore imbuunt, quemadmodum nec cibos Lebetes ex Lapide Comenſi tornari ſoliti, quos ſiſtam, ubi Clavennam devenero. *Dolium vinarium ſaxeum.*


Verùm enimverò hiſce Bacchi deliciis non capiuntur omnes: Sunt Hydropotæ, qui Lyæo nulla ſacra ſolvunt, ſed quidem Themidis flagrant deſiderio. Inveniunt & hi in Patria noſtra, quod quærunt, ubivis locorum Fontes tenui pellucidos undâ, fluentes placidè ſed & fugientes ſonoro murmure. Eſt hoc Aquarum Helveticarum beneficium, ΘΕΟΥ Δῶρον, nunquam ſatis deprædicandum, quod Montes noſtri largâ copiâ non nobis duntaxat, ſed & exteris Regionibus diſpenſant. Habent id Aquæ noſtræ proprium, ut præ aliis notas poſſideant deſideratæ ab omnibus bonitatis. Ἄριστα, inquit Divus Senex *de Aër. Aquis & Loc.* ὕδατα, ὁκόσα ἐκ μετεώρων χωρέων ῥέει, καὶ λόφων γεηρῶν, ἀυτάτε γάρ ἐστι γλυκέα καὶ λευκά, καὶ τὸν οἶνον φέρειν ὀλίγον οἷάτε ἐστι. τοῦ δὲ χειμῶνος θερμὰ γίνεται. τοῦ δὲ θέρεος ψυχρά. οὕτω γὰρ ἂν εἴη ἐκ βαθυτάτων πηγέων. *Optimæ aquæ ſunt, quæ ex ſublimibus locis, & terræ tumulis profluunt. Hæ enim dulces ſunt & albæ, modicumque Vinum ferre queunt: per Hyemem calidæ, per Æſtatem frigidæ. Tales enim ex profundiſſimis Fontibus proveniunt.* Cogitavi ſæpe de Aquarum Helveticarum, præcipuè Alpinarum levitate, quâ ſæpe ne minimam ſtomacho, aliâs ab Aquæ potu affici ſolito, inferunt gravitatem, copioſè licet hauſtæ; quod idem de Fonte quodam altiſſimi *Aqua in Helvetia optima.*

K cu-

cujuſdam Montis in *Hoja Orcadum Inſula* deprædicat *Robertus Sibbaldus Prodr. Hiſt. Natur. Scot. Part.* I. *Lib.* I. *cap.* 9. p. 21. Nec aliam hactenus invenio cauſam præter eam, quam obſcuris verbis ſub finem citati Textûs inſinuare videtur *Hippocrates*, ego ita explano. Ex Hydrophylaciis ſubterraneis, quorum in Montibus Helveticis Exiſtentiam alibi demonſtrabo, ſublevati Vapores quò altiùs evehuntur in Cavitatibus ſubmontanis, eò depurantur magis, quatenus ſcil. relinquuntur ponè craſſiores, graviores, terreſtribus fœti particulis, leviores autem colliguntur in Fontes & Rivos. Teſtimonio ſuo comprobabunt hoc Ratiocinium Chymici, qui ſubtiliores magis deſtillant Spiritus, aut Aquas, quo altiori loco ponunt Alembicum, & hâc quoque viâ rectificationes ſuas inſtituunt. Comprobat hoc ipſa Aqua pluvialis, quæ Experientiâ teſte eſt κȣφωτάτη, καὶ γλυκυτάτη, καὶ λεπτοτάτη, καὶ λαμπροτάτη, *leviſſima, & dulciſſima, & tenuiſſima, & limpidiſſima*, quibus Epithetis cluet *Hippocrati l. c.* unde & baſis loco nobis ſubſerviet, quoties ad illius pondus, veluti ad Cynoſuram, alias Aquas in Itinere obvias examinabimus. Hiſce inſuper addo, quòd propter circumſtans Aëris frigus, & minorem Atmoſphæræ preſſionem, retineantur particulæ fluidi hujus Elementi (quas utique differre puto in magnitudine & pondere) leviores; aliàs avolare in auras aptæ, quæ reliquis grandioribus viam per anguſtiores vaſorum & tubulorum corporis noſtri poros parant, ut hæ illarum vehiculo tantò faciliùs, Acidularum ferè in modum, pertranſire valeant.

Fontes in Vico ad Lacum.

Primæ, quarum pondus examinavi, Aquæ Fontanæ ſunt in Vico *ad Lacum* (*Lachen*); habentur ab Incolis pro Mineralibus, ſuperior quidem, *der Mezgbrunnen* dicta, pro Aluminoſâ, quòd cocta lacteſcat, & album pulverem ad fundum præcipitet, quod plurimis Helvetiæ Fontibus eſt commune; inferior pro Chalybeatâ, quòd aciduli inſtar Fontis facilè pertranſeat, nec quemquam aggravet; vix autem utraque aliâ, quàm communi puritatis & levitatis prærogativâ gaudet; niſi forte prior ſit particulis terreſtribus alcalinis fœta, quas major gravitas præter viſûs teſtimonium indicat, unde



Sumptibus Reverendi admodum Viri D. Henrici Aldrich, S.T.P. Ædis Christi Oxoniæ Decani, &c

unde & uſurpatur à Scabioſis pro Balneo. De eadem narrant, quòd verno tempore ſpumam ſupernatantem habeat ſulphuream illi ſimilem, quæ ſimul in Lacu Tigurino conſpicitur, de quo tunc dicere ſolemus, eum *florere*, *der ſee blühe:* De hoc autem Phænomeno dabitùr alibi commodior diſſerendi locus. Ponderandis Aquis deſtinavi Globum vitreum, qui capit pluvialis Aquæ ℥ii. ʒvi. gr. xvii. ſuperioris Aquæ, quæ pro Aluminoſa habetur, ℥ii. ʒvi. gr. xxxiv. inferioris ℥ii. ʒvi. gr. xxi. unde infero, illius Menſuram [Libram] Medicam, ſive ℥xii. continere partium heterogenearum ʒi. gr. xiii. hujus verò Menſuram duntaxat gr. xxi.

Obſervationum Barometr. cum

Horâ 6. pomeridianâ, Tempeſtate pluvioſâ, quam Tiguri ſenſerunt impetuoſam Tonitrubus ſtipatam, aſcendit Argentum Vivum in Barometro ad Scrupulum 1. Notandum hîc, per Scrupulos intelligi decimas Tigurini Digiti Geometrici partes, (quas exhibeo in TAB. I. *Fig.* 1.) numerationem autem inchoare à ſummâ, quam Mercurius hactenus Tiguri attigit, altitudine, porro autem tendere deorſum, eo modo quem exhibet *A. B.* in *Fig.* 3. Eadem die domi fuit altitudo Argenti Vivi Scrup. 5. unde inferre quis poſſet, fuiſſe nos 400: pedibus inferiores Tiguro, quod paradoxon prorſus, quum non fluat Tiguro ſurſum Lacus, ſed à Vico *ad Lacum* deorſum. Sed ſcrupulum ſolvit, quòd Tiguri fuerit Obſervatio facta eodem quidem die, ſed ante quàm Cœlum tonitru tremuit, & imbres verberârunt Agros, atque ſic eo tempore, quo Aër fuit admodum rarefactus, & vaporibus gravidus, ut altiùs quàm ad locum ſupra notatum ſuſtinere non valuerit Mercurium; nos autem Experimentum fecerimus poſt effuſas jam pluvias, ſereniori reddito aëre, & elaſticitate reſumptâ.

TAB. I. *Fig.* 1.

Modus exponitur & ratio.

Abſolvunt Experimenta Barometrica circa reſpectivam Locorum, Vallium & Montium altitudinem inſtitui à me ſolita haud minimam, imò forte curioſiorem Obſervationum in hac Excurſione collectarum partem. Haud proin ingratum erit illuſtriſſimæ Societati, diſtinctiùs paulò percipere, quâ methodo & circumſpectione uti ſoleam. Parare in hunc finem jubeo Baculum teretem *Fig.* 2. ſed per mediam longitudi-

TAB. I. *Fig.* 2.

 tudi-

tudinem diſſectum, ſive in binos hemicylindros diviſum, quibus inciſa eſt crena pro recipiendo vitro *C. D. Fig.* 3. corrigiolis duobus vel tribus in *E. F. G.* inſuper agglutinando, ut eò firmiùs hæreat, nec vacillet. Baculi extremitates, ſummam *A. Fig.* 2. & imam *B.* claudo Operculis cavis, ex Cornu tornatis, & per Cochleas *a. b. c. d. e. f. g. h.* firmiter adaptandis, ſuperiori *A.* globoſo magis, inferiori *B.* cylindrico, ut figuram Baculi ambulatorii longitudine tripedali circiter, & totâ facie externâ propiùs æmuletur, atque ſimul uſibus meis inſervire poſſit. Baculi ſcapum, ne forte dehiſcat, conſtringo annulis binis etiam corneis. Præter Baculum hunc Tubo Torricelliano inſtructum, quem ipſe ſecuritatis majoris ergò geſtare ſoleo, famulis atque comitibus trado inſuper Argenti Vivi libram unam, vel duas, phialâ vitreâ probè clauſas, & præterea Pyxide ligneâ opertas; porro filum ferreum tenue, cum Infundibulo exiguo corneo, & corio mundo ad depurandum Mercurium. Quoniam autem vitrei Tubi non ejuſdem ſunt omnes diametri ſeu orificii, tenuiores alii & ſenſibiliores, alii contrà ampliores & magis inſenſibiles, neceſſe omnino puto, ut ante deceſſum, domi in Turribus vel Montibus Urbi vicinis fiant Experimenta iterata eodem, qui in Itinere adhiberi debet, Tubo, ut innoteſcat, quantum delabatur Mercurius in altitudine pedum 50, 100, 200, &c. Ita comperi, antequam Iter Anni 1702. & hoc ipſum Anni 1703. aggreſſus fui, ſcrupulum unum, ſeu decimam Digiti Tigurini partem reſpondere 8 perticis, ſive 80 pedibus, & huic Obſervationi per iterata Experimenta confirmatæ poſtea ſuperſtruo computum. In omnem Tubi vitrei fracturam patientis eventum mecum portare ſoleo bina vel terna alia vitra capſulâ ligneâ probe clauſa, ejuſdem cum priore diametri & effectûs, ut uno fracto aliud ad manus eſſe poſſit. Apparatum hunc Barometricum ad radicem proximi Montis, vel in cujuſvis Pagi Diverſorio evolvo, partes baculi diſſolvo, annulis & cochleis libero, Tubum, filo prius ad fundum uſque intruſo, Mercurio repleo, cavendo probè, ne bullulæ quædam aëris remaneant; hoc facto, hemicylindricum baculum cochleato O-

per-

perculo connecto, firmatum inverto, atque locum vel gradum, quouſque Mercurius aſcendit, adnoto. *Vid.* TAB. I. *Fig.* 3. In ſummo Montis vertice idem Experimentum eâdem curâ repeto, obſervans rurſus, ad quot digitos & ſcrupulos deſcendat nunc Mercurius. Intervallum illud, quod radicem & cacumen Montis intercedit, ad ſcrupulos quàm exactè fieri poteſt (erecto prius ad perpendiculum baculo) numero, & per Regulam auream, De Tribus dictam, infero TAB. I. *Fig.* 3.

I. *Scrup. facit* 80. *pedd*, *quot Intervallum à me obſervatum?*

Sic prodit altitudo loci, vel Montis perpendicularis in quarto termino proportionali. Quòd ſi eodem die eâdem viâ ex Monte rurſus deſcendam, in Valle idem, quod ante feci, Experimentum reitero, ut obſervem, num eodem cum priori loco hæreat Argenti Vivi Liquor, vel aliquam ſubierit mutationem Aër. Quòd ſi verò in oppoſito Montis latere in aliam à priori Vallem deſcendero, ſoleo hîc rurſum inſtituere Experimentum, & duplici computo invenire tum altitudinem Montis reſpectu hujus Vallis, tum etiam binarum Vallium reſpectivum, elevatiorem ſcil. aut depreſſiorem, ſitum. Non vacat nunc fuſiùs immorari Ætiologiæ, quam ex majori, minorive Atmoſphæræ, quæ imis Vallibus, & ſummis Montibus ſuperſtat, altitudine leviſſimâ operâ deducunt Phyſici, nec etiam diſcutere difficultates, quæ bonitatem Operationis infringere valent, & deſumi poſſunt ex diverſâ aëris, imi & ſummi, conſtitutione, compreſſiore ibi & calidiore, hîc rariore & frigidiore, ex tempeſtatum continuâ variatione, &c. Imo nec prætendo Veritatem omnibus dubiis plenè liberatam adhuc dum ſiſtere, quæ operta Nubium involucris mihi ipſi videtur.

Die 4. Iduum Aug. Equis vecti *Veſenam*, (*Weſen*,) pertranſivimus Loca ſequentia in Provincia *Ad Fines* (*March*) dicta, ſita: *Galgenen*, *Sibnen*, *Schübelbach*, *Reichenburg*, ſed & Pagos duos *Glaronenſium*, *Bilten* & *Nider Vrnen*. *Ad Fines.* *Glaronenſium Territorium.*

Supra *Biltenam ſuperiorem* (*Ober-Bilten*) erigitur Mons, cui nomen *Hirtzli*, cujuſve inferior pars vocatur *Nideren*.

Medios inter *Biltenenſes*, & *Inferiores Vrnenſes* eſt *Balneum Inferiorum Vrnenſium* (*das Nider Vrnen Bad*,) quod *Balneum Nider Urnen.*

 ſca-

ſcaturit ex radice *Rubri Montis*, *des Rohten Bergs*, à colore ita dicti, & mox in Domo viciná coquitur, atque ex ipſo Aheno in Lavacra diſpeſcitur, ut Balneantium uſui inſerviat. De hoc Balneo notari meretur, quòd nec à Pluviis exundet, nec exareſcat ſummâ Æſtate, atque ſic eundem per totum annum, & perennem habeat fluxum, hyeme tamen tepeſcat admodùm. Mineralia, quibus imprægnatum hoc Balneum, ſunt ex mente *Jodoci Pfendleri*, Med. quondam Doctoris, & Landammanni, Æs, Ferrum, Vitriolum, Alumen, & Aurum; cui ſubſcribunt *Jacobus Zieglerus*, & *Rodolphus Gygerus*, Archiatri Tigurini, & proin Fontem hunc Naturâ ſuâ calidum, ſiccum, & adſtringentem externè & internè uſurpandum volunt in Affectibus Arthriticis, Paralyticis, Colicis, Aſthmaticis, Leproſis & Scabioſis, Ictericis, Phtiſicis, in Ventriculi Imbecillitate, Hæmoptyſi, Menſium, omnibuſque aliis Sanguinis fluxibus nimiis; Ulceribus inveteratis, Ophthalmiâ humidâ, Febribus Intermittentibus. Limum ex Aquâ in Aheno præcipitatum, uti & Tartarum ſeu Tofum pulveriſatum jubent inſpergere Ulceribus fiſtuloſis, & Vulneribus dyſepuloticis. Hoc inſuper obſervant, qui Balneum poſſident, quòd qui curam Thermarum Piperinarum, aliarumque celebriorum non abſolverunt, hîc veluti in ſuccedaneo ad optatum finem perducant. Nos quæ in loco ipſo circa has Aquas obſervaverimus, paucis tangemus. Vitro acceptam pellucidam vidimus, & guſtui gratam, frigidamque imò & levem ſenſimus, quæ Stomachum non aggravet. Pondus fuit ℥ij. ʒvj. *gr.* xxxiii. ut Libra Medica contineat ʒi. *gr.* ix. materiæ heterogeneæ, quæ limus eſt ſubtilis terreſtris cinerei coloris, qui ſeſe mox inter coquendum præcipitat. Per infuſiones Syrupi Violarum, Tinct. Tornæſol. Merc. ſublimat. Vitriol. Olei Tart. per deliq. Spir. Sal. Armoniac. Urinoſ. & Vinoſ. examinata hæc Aqua nullam ſenſibilem oſtendit mutationem, niſi quòd ex infuſione Merc. ſublimat. comparuerit Cuticula varicolor Iridi non abſimilis, & ab Ol. Tart. p. d. paulùm fuerit lacteo colore turbata.

Ad Radices Montis *Wallenberg*, qui ad Meridionale *Lacûs*

cûs Rivarii latus erigitur, ſcaturit *Aqua Sulphureo-bitumi-noſa*, viſcidis concretionibus referta. Examinata hæc per injectionem diverſorum, & ſupra jam nominatorum, Liquorum nullam fere ſubiit mutationem, niſi quòd ex Ol. Tart. p. d. paulùm lacteſceret, & ex Merc. ſublimat. apparuerit etiam Cuticula, Sulphuris index, juxta odorem gravem, qui ſtatim ſeſe naribus obvium ſiſtit. Ejuſdem prorſus eſt Naturæ, Odoris, eorundem etiam contentorum viſcidorum (quibus hîc & ibi involvitur *Erucula miniati coloris* TAB. I. *Fig.* 4.) Aqua in Territorio Tigurino, ſupra Pagos *Rüſchlikon* & *Kilchberg*, de qua ſequentia commemorat ὁ πάνυ *Conradus Geſnerus*. *Balneum, quod aliqui a Lactis crema nominant das Nijdelbad, paulò ſupra Pagum, cui nomen à Templo in Monte ſito Kilchberg, oritur ex puteo quodam in Sylva uliginoſa effoſſo. Aqua Sulphur olet, ſatis fœtida, & qua fluit, rubiginem quandam relinquit. Hoc aliquamdiu intermiſſum, nuper autem à Ruſticis ejus loci accolis frequentari cœpit, tanquam adverſus Scabiem & Febres utile; an verè Sulphur contineat, incertus ſum: pleræque enim Aquæ locis uliginoſis ortæ, præſertim in puteis, ſimilem odorem ſulphureum & fœtentem reddunt.* Adnotat inſuper *Joh. Erhardus Eſcherus Beſchreib. des Zurichſee*, p. 252. quòd vicina Fonti huic, quæ uliginoſa admodùm ſunt, Prata, ab ipſo Odore, quo imbuuntur, & Aquâ, quâ irrigantur, *Zum Schwebelbrunnen* nuncupentur. Ego, quæ Menſe Junio An. 1701. circa hanc Aquam in ipſo Loco natali obſervaverim, huic etiam Tractationi immiſcere non gravabor. Alvei, cui includitur hic Fons, parietes incruſtantur materiâ mucilaginoſo-bituminoſâ, coloris ſubviridis & obſoleti, craſſitudine dimidii pollicis, quæ etiam huic Aquæ inſtar Spermatis Ranarum innatat. Hæc in Extracti ſpiſſioris formam ad ſiccitatem ferme coacta odorem ſpargebat fœtidum ſulphureum, etiam accenſa. Prolecta per Diſtillationem Aqua ſulphureum quoque & fœtidum ſpirabat odorem, volitantibus ſparſim in ipſa diſtillata filamentis tenuibus, quæ, ubi reſiderit Aqua, per mutuam adhæſionem in ipſam rurſus mucilaginem bituminoſam abeunt. Eſſe autem materiam hanc viſcidam mucila-

Aquæ ſulphureo-bituminoſa.

Erucula miniata. TAB. I. *Fig.* 4.

cilaginoſo-bituminoſam vel inde patet, quòd in Aqua communi ſolutum materiæ illius Extractum Tincturam det citrinam, & in Spiritu Vini intenſè croceam, vel Aurantii coloris. Rubiginem, quam *Geſnerus* annotavit, relinquere hanc Aquam, quà fluit, non obſervavi, nec facilè obſervare potui, quia uno alveo quadrato fons eſt incluſus, nullius hodie uſûs. Guttas oleoſas Aquæ innatare non vidi. Commota baculo Aqua ſulphur manifeſtè olet, quod abſque agitatione non ita eſt ſenſibile. Pellucida inſuper eſt, & fontanæ ad inſtar clara. Ex tredecim Libris Medicis Aquæ, evaporationi expoſitis ad ſiccitatem uſque, remanſerunt nonniſi *gran.* vi. Croci ſubflavi ſubtilis. Mutationem ex affuſo Ol. Tart. p. d. & Spir. Sal. Armon. nullam ſenſi. Extractiones etiam cum Aquâ & Spiritu Vini factæ ex infuſis variis Liquoribus nullam ſenſibilem ſubierunt mutationem. Specificas gravitates ſequenti modo expreſſi:

Aqua Fontan. comm. ℥i. ʒvii. ℈i. *gr.* viii.
Aqua Sulphurea diſtillat. ℥i. ʒvii. ℈ii. *gr.* xviii.

Judicavi inde, continere ℥i. *Aq. ſulph. diſtillatæ gr.* xv. *vel* xvi. prope materiæ heterogeneæ, & *Libram Medicam* ℈ix ad minimum.

Aqua Fontana in Veſena. Aquæ Fontanæ prope *Veſenam im Lochbrunnen* Gravitas Specifica eſt ℥ii. ʒvi. *gr.* xxv. ut in una *Libra Medica* contineantur partium terreſtrium *gr.* xxxiv. Habetur & hæc pro Minerali, nullas tamen ab infuſis variis Liquoribus paſſa eſt mutationes, niſi quòd à Merc. Sublimat. cuticulam repræſentet varicolorem, & ab Ol. Tartar. p. d. paulùm fuerit turbata.

Crypta Æolia. Ad Radices Montis *Blättlisberg*, qui *Lacum Rivarium* à Septentrione claudit, eſt *Crypta Æolia*, Sclopeti jactu diſtans à *Veſenâ*.

Rivarius Lacus. In *Rivario Lacu*, qui aliâs etiam *Rivanus*, *Ripanus*, *Ripenſis*, *Walenſtadenſis*, (communiter *der Wallenſtatter See*) *Veſenius*, ab Oppidis *Valenſtadio*, *Wallenſtatt*, *Wahlenſtäd* (quod *Riva* etiam vocatur, & *Ripa*,) & *Veſenâ* (*Weſen*) Lacui adſitis, audit, & circa eum, porro obſervavimus res ſatis curioſas, quarum Relatio erit omnino præſenti loco maximè apta.

Per

Per univerſam Helvetiam Venti ſunt irregulares, aſt *Rivarium* hunc *Lacum* ſolent, tempore conſtanti & ſereno, perflare *Venti periodici*, quibus poſſunt Nautæ *Veſenâ Vallenſtadium*, & viciſſim *Veſenam* tendentes commodè uti. Hiſtoria ſequentem in modum ſeſe habet. Mane ſummo, ante Solis Exortum incipit *Eurus*, & ſpirat, tempore ſcil. ſereno & æſtivo cum primis, unde & communi nomine Ventus hic *der Heüwetterwind* vocatur, (quòd eo regulariter flante Fœnum & ſecari & exſiccari commodè poſſit,) ad horam circiter decimam; à decimâ ad duodecimam eſt (ſit venia verbo) Ventiſtitium, quo Aër eſt tranquillus. Poſt horam duodecimam agere incipit *Zephyrus*, ſeu Occidentalis, & pergit regnare uſque ad veſperam: Poſt occaſum autem Solis reſpirat *Orientalis*, *der Oberwind.* Ordinatos hoſce motus interturbare quandoque ſolet *Bŏreas*, ingratus Nautis hoſpes, quem hic loci vocare ſolent *den Blättliſſer*, & *Kalchtharler-wind*, à locis, quæ perflat, monte *Blättlis*, & *Kalchtharen* ad ejus radices ſito. Rationem Phænomeni hujus claram reddet Conſideratio Sitûs. Jacet *Rivarius Lacus* ab Ortu verſus Occaſum aperto ſatis cœlo, quod radios ortivi Solis mox admittit, ſed & occidui efficaciam ad ſeram uſque veſperam concedit. Aſt ſeptentrionem verſus, & Meridiem altiſſimi exſurgunt Montes, qui in cauſa ſunt, ut æſtuantes Lacûs hujus fluctus, ſaxis alliſi, in ſeipſos reſilire cogantur, navigantibusque boatu ſuo, & vehementiâ, ſæpenumerò non leves incutiant terrores. Facilè hinc judicare licet, quòd Atmoſphæra ab Oriente Sole rarefacta, vel aliqualiter ſaltem expanſa, non undique æqualiter ſeſe poſſit in omnes diffundere plagas, & ſic diffuſa auram ſuam diſpenſare ex æquo, vel prorſus amittere, ſed incarcerata veluti inter alta Glaronenſium, Toggiorum, & Sarunetum juga fluere cogatur verſus Occaſum. Durat autem hic flatus ad horam uſque decimam matutinam, qua incipit Sol culminare Meridiem Lacûs, & Atmoſphæram totam, quæ huic incumbit, æqualiter afficere: Verùm enimverò ab horâ duodecimâ ad quintam uſque, vel ſextam veſpertinam expanditur magis Atmoſphæræ ea portio, quæ Veſenæ adſtat, & ex-

Ventiſtati.

expanſa pellitur Vallenſtadium eodem prorſus modo, quo ſupra explicuimus geneſin Venti Orientalis. Quòd autem reſpirare ſoleat horâ circiter ſeptimâ, vel tardiori aliâ, Eurus, inde deduco, quòd Aëris ſphæra à Solis calore expanſa, & Ripam verſus pulſa, occiduo jam Sole, in anguſtius ſpatium redire ſoleat, imò Veſenam verſus proprio veluti pondere, & reſumto elaſticitatis priſtinæ niſu refluere.

Montes ad Rivarii Lacûs ripas erecti, & alia ibi notatu digna.

Quòd ſi Venti hujus periodici beneficio cymbam *Veſenâ Ripam* verſus promoveo, occurrunt ex Latere ſiniſtro ſeu Septentrionali Montes *Fiderſchen* ſeu *Blättlisberg*, de quo ante; *Mattſtock*, huic contiguus; *Auf Ammon*, ubi Parochia eſt ejuſdem nominis: Judicat *Gulerus Ræt. p.* 213. *b.* dictum fuiſſe hunc Montem, vel Pagum ipſum, à Rhætis *au Munt*, indeque venire nomen *Ammon*; alii tamen interpretantur hanc vocem per *amœnum Montem*, ut *Räbmann. Geſpräch von Berg. p.* 256. Amœnitatem huic Monti conciliat non ſola fœcunditas Pagi, ſed & Rivus *Muſlen*, qui ex hoc Monte præceps ruit in Lacum, & prænavigantibus jucundum ſuo lapſu ſpectaculum præbet. Ad Montis radices ſita olim erat Arx *Straleck*, nunc reſtat Sacellum. Sequitur Mons *Seren*, cui initium dat *der Bejerbach* rivus. Huic putant Accolæ communicare aquas ipſum Rhenum, qui tamen longe abhinc Rhenanam Vallem perfluit; conjecturam inde ſumunt, quòd accreſcente hoc Fluvio ſimul exundet hic rivus, & decreſcente areſcat. *Quintnerberg*, ita dictus à vicino Pago *Quinta*, *Quinten*, qui Romanam Antiquitatem adhuc in nomine ſervat. *Joſ en* cujus baſis *die glatte wand* vulgò nuncupatur, quòd perpendicularis aſſurgat ſupra Lacum, qui hîc loci ſummæ dicitur eſſe profunditatis, ad trecentas circiter orgyias. Porro ſeſe invicem excipiunt alii Montes: *Schwalbis*; *Schrynen*; *Tſchinglen*; *Büntz*; *Tſcherler Alp.*

Latus *Rivarii Lacûs* Meridionale claudunt *Glaronenſium* & *Sarunetum* Montes ſequentes: *Wallenberg*; *Britterwald*, de quo ſciendum, fuiſſe Helvetiæ Antiquæ, & Tigurini Pagi in ſpecie, Epiſcopatuum item, Curienſis & Conſtantienſis terminum limitaneum, adnotante *Tſchudio in Helvet. Antiq.*

tiq. MSC. Pars ejus eſt *Goffelſtalden.* Ad radices Montis hujus incipit *Via nova*, *der neüe weg*, magnis ſumtibus hinc inde petris inciſa, in gratiam eorum, qui navibus vehi vel nolunt, vel propter ventorum ſævitiem non poſſunt; cujus elaborationem obtulerunt jam A. 1571. certis conditionibus Glaronenſes, uti videre eſt ex *Abſcheid. Bad. Ann. cit. in Januar. §. 1. Mürtſch Stock*, *Mortſchen*, quem inter & præcedentem defluit rivulus *Filsbach*; Montis hujus ſummum fere, idque ſaxoſum & ſterile, cacumen perforatum eſt cavo, quod navigantibus mox ſeſe offert, & eminùs perſpiciendum præbet. In oppoſito ejuſdem Montis latere, quod Glaronam reſpicit, fuit olim *Argentifodina* celebris. Ad radices eſt Pagus *Müllihaar*, & *Mullithal* vallis. Sequitur *der Kijretzerberg*, cui adjacet Pagus *Kijretzen*; *Murgen*, ubi eſt Officina Ferri fuſoria. *Quartum*, *Quarten*, & Pago huic adſtans Mons *Tertenſium*, *der Tertznerberg*, *Molſerberg*, cum Pago *Mols*; *Roüſchyben* monticulus, juxta quem effluit in Lacum Rivarium fluvius *Aa*. His imminet Mons Glaronenſium præaltus *Spitzmeil*, cui forte Etymologiam fecit cacumen ferme faſtigiatum.

Die 3. Iduum Aug. Equis vecti devenimus in Pagum *Flumbs*, cui Latinum *Fluminis* nomen eſt. Excoquitur hîc Vena præcellens *Chalybis*, cujus locus natalis eſt in altiſſimo *Sarunetum* Monte *Gunzen*. Eſt hæc Vena triplex, *Schwartz Ertz*, *Meliwerk*, & *Roth Ertz*, quæ vix niſi à peritis ab invicem diſtinguuntur, & ex diverſis Fodinarum partibus advehuntur. Harum mixtura proportionata dat immediatè *Chalybem*, minùs exacta *Ferrum*. Qui venas haſce incruſtant Lapides rubri, vocantur *Leberberg*, à colore Hepatis, & indices ſunt Venæ Chalybis, tum incipientis, tum deſinentis. Elocantur nunc à VII. Helvetiæ Pagis veteribus Fodinæ & Officinæ fuſoriæ Dominis Gaadiis Sarunetibus, ante quinquaginta autem & plures annos fuêre in manibus Tigurinorum. Notum eſt iis, quibus Hiſtoria Metallorum eſt perſpecta, raras admodùm eſſe *Chalybis nativi*, qui *Stabelſtein* & *Kernſtahel* vulgò dicitur, venas, quandoquidem omnis fere Chalybs conficiatur ex Ferro, qui hinc *Eiſen-Sta-*

Chalybis vena Sarunetana, quæ excoquitur in Pago Flumbs.

 hel

hel ad diſtinctionem prioris nuncupari ſolet. *Effoſſus olim eſt Chalybs naturalis penes Chalybonem, celebre Aſſyriæ Emporium, & celebrabatur illa ut præſtantiſſima, quamvis juxta Chalybdicum Stomoma Græci veteres meminerint etiam* τοῦ Σινωπικοῦ, τοῦ Λυδίου καὶ τοῦ Λακωνικοῦ. *Salmaſ. Exercit. in Solin.* p. 763. In Europa non eſt mihi cognita ulla vera Chalybis fodina, niſi forte hac prærogativa gaudeat in Tyrrheno Mari *Ilva*, *Elba*,

Inſula inexhauſtis Chalybum generoſa Metallis.

Et *Ferrum Noricum*, cui ob tenacitatem & optimam duritiem Amaſiam obſtinatam comparat *Ovidius:*

Durior es Ferro, quod Noricus excoquit Ignis.

Sarunetum Comitatus. *Vallenſtadio*, quod olim *Statio* fuit *Rhætorum*, itur *Ragazium* (*Ragaz*) per *Tſcherlen*; *Bertſchis* (*Berſis*, *Perſinios*); *Flumbs* (*Fluminis, ad Flumina*); *Halbmeil*; *Sargans* (*Sarunetum*, *Sarunegaunum*, *Sarunegaunis villa*,) quæ Præfecti totius Comitatûs eſt Sedes, & nomen fert totius Regionis; accipit autem nomen à præterfluente fluviolo *Sara*, *Saren*, cui ſcaturiginem præbet tractus montanus *Ragazio* & *Filtris* (*Vilters*) interjectus. *Gul. Ræt.* p. 211.

Aëris Alpini puritas. In Diverſorio Ragazienſi fuit tempore ſereno, horâ tertiâ pomeridianâ, *Mercurii* altitudo in *Barometro* 5. *Scrup.* Tiguri eodem die 7. Ex Barometricis hujus & præcedentis diei (quo fuit *Ripæ* horâ 9 pomeridianâ, cœlo ſereno, 1. *Scrup. Tiguri* 4.) imò & ſubſequentium, obſervationibus colligo, Aëris Elaſticitatem eſſe in altioribus, ſeu Inalpinis Regionibus, longè majorem, quàm apud nos, quum altiori loco conſiſtat Mercurius hîc, contrarium autem effectum experiri oporteret, ob altiorem hîc, depreſſiorem ibi Atmoſphæram. Cauſam hactenus adſcribo majori Aëris in Regionibus Alpinis puritati, unde fit, ut Aëris ſpirulæ faciliùs poſſint Elaſticitatis ſuæ vires in hæc inferiora premendo exerere, quàm ubi ſunt à particulis vaporoſis & halituoſis variis impeditæ, uti apud nos. De his autem aliorum, expertiorum quidem, judicia audire malo, quàm proprias conjecturas cuiquam obtrudere.


Ragazio relicto conſcendimus montem, cui inædificatum eſt



Vuë du Bain de PFEFFERS, *en Suiſſe*.



1. *Le Vieux Bain.*
2. *Logis.* 3. *Chapelle.*
4. *Fontaine Fraiche.*
5. *Chemin et Pont par ou l'on deſcend au Bain.*
6. *Le Nouveau Bain.*
7. *Canal qui conduit l'eau dans le Bain avec le Pont.*
8. *Le Nouveau Logis.*
9. *La Riviere Taminna.*
10. *Chemin de Ragatz.*



Abbaye de PFEFERS.

eſt *Fabarienſe Monaſterium Benedictini ordinis* (*das Kloſter Pfäfers*) circa A. C. 720. fundatum, cui nunc præeſt Rev. Princeps & Abbas Dn. *Bonifacius Schupp*, Surſeenſis. Templi Monaſterialis, quod ante paucos Annos eſt extructum, Columnæ ſunt partim ex *Marmore Fabarienſi* (quod haud longè à Cœnobio foditur) cinereo nigro, partim ex *Sarganſienſi* nigro teneriori, utroque Venis albis interſtincto, fabricatæ. *Cœnobii Fabarienſis*

In Cœnobio *Fabarienſi Mercurius* delapſus eſt in *Barometro* ad $13\frac{1}{2}$ *Scrup.* unde judicavi, Cœnobium elevatum eſſe ſupra *Ragazienſem* planitiem 680 *pedd.* *Altitudo.*

Sub veſperam deſcendimus in Thermas, & invenimus ibi altitudinem *Mercurii* $9\frac{1}{2}$ *Scrup.* unde conjectavi illas altiores eſſe *Ragazio* 360. *pedd.* & depreſſiores Cœnobio 320. *Thermæ*

Pridie Iduum Aug. horâ meridianâ *Mercurii* altitudo fuit 10. *Scrup.* & eodem tempore Tiguri 6. unde inferre quis poſſet, qui difficultates Calculi ante propoſitas non attendit, Thermas haſce elevatas eſſe ſupra Tigurinam Urbem 320 *pedd.* & Monaſterium ipſum 640.

Hunc diem, & ſequentis magnam partem impendimus Examini Aquarum, quæ *Thermæ Favarienſes*, *Favariæ*, *Favarianæ*, *Favorinæ*, *Piperinæ* vulgò nuncupantur, nobis communiter *Pfeffers bad*, *Pfäfers waſſer*, & Europæis celebrioribus palmam vel auferunt, vel ſaltem diſputant, in profundis Montium faucibus locatæ, Auro ſimiles & nobilioribus Gemmis, ad quas difficillimos paravit Natura aditus; hinc & Scriptorum plurium exercuerunt calamos, ex quibus ſingulares Tractatus ſcripſerunt *Joh. Kolweck*, Cœnobii Secretarius; *Matthæus Zimmermannus*, M. D. Poligrammateus Raperſuilanus; *Auguſtinus Stöcklin*; *Joh Abiſs*, Medicus Curienſis; *Mich. Raphael Schmuzius*, &, quem primùm nominare debuiſſem, *Theophraſtus Paracelſus*; paſſim verò Aquarum Favarienſium ſitum & Virtutes deſcripſerunt in ſuis Operibus *Guler. Ræt. Lib.* VI. *Sprecher Pallad. Rhæt. Lib.* III. *Stumpf. Chron. Helv. Lib.* X. *Tſchud. Rhet. Alpgeb. cap. de Fabar. Wagner. Helv. Cur.* p. 91. & plures alii, quorum nomina recenſere non vacat, nedum contenta *Favariæ.*

conciſæ huic deſcriptioni inſerere. Magni Voluminis res foret, ἐκ ἐπιςολικῆς ὑποθέσεως. Ne tamen inſalutatis à ſalutaribus his Lymphis diſcedam, lubet ὡς ἐν ἐπιτομῇ præcipua, quæ dici poſſunt, & ipſe expertus ſum, heîc ſiſtere. Inventæ fuerunt caſu hæ Thermæ A. 1240. ſub Regimine *Hugonis à Willingen*, qui tunc Cœnobio præfuit, ab Aucupe quodam ex Alto-balcanorum Familia (*Carlinen von Hohen Balken*) de qua ultima propago, *Bartholomæus Carlet*, obiit Valentiæ, in Pago Thermis proximo, A. 1616. d. 12. Jun. Scaturit Aqua in horribili Antro, quod inacceſſum fere eſt Solis radiis, imò & hominibus, niſi projectæ ſint audaciæ, nec Vertigini obnoxii. Hanc quippe ſummo cum Vitæ periculo inducere poſſet anguſtia viæ ſive ponticuli, qui ubique fere è ſaxis pendet, vel miro artificio adaptatis fulcris innititur, porrò Taminnæ Torrentis aſpectus, qui infra me tranſeuntem ſpumans, & citò, cum horrendo ſtrepitu ſaxeis parietibus incluſus perfluit; imminentia item, & ruinam quovis momento minitantia, imò ſæpe cadentia Saxa, quæ naturales efformant Arcus, centum, & ultra, pedes altos, paſſim licet diſruptos, ut Solis radiis aliqualis pateat aditus, inde autem loci diſcrimen pateſcat tantò magis. Protenditur autem Aquæ ductus, & præcitati ponticuli longitudo ad 600. & quod excurrit paſſus. Scaturigo non eſt una, ſed multiplex, primaria tamen, quæ peculiari portâ reſeratur, adeo abundans, ut molæ circumrotandæ ſufficeret; aliæ laterales origines, quæ ejuſdem claritatis & bonitatis Aquas vehunt, nulli reſervantur uſui, ſed poſtquam è ſaxorum fiſſuris, & Terræ limoſæ poris profluxêre, lymphas ſuas rapidæ Taminnæ infundunt. Id præ aliis Thermis ſingulare habent hæ Aquæ, ut Majo menſe communiter prorumpant, & cum impetu quidem, præeuntibus Faginis foliis, Pomis, aliarumve Arborum ſylveſtrium fructibus, Septembri autem menſe, vel Octobri rurſum ſeſe ſubducant, Majalibus adeo, ſeu Temporariis Fontibus accenſendæ, uno tamen anno copioſiùs fluant, parciùs alio. Ingredientia hujus Aquæ Mineralia quod ſpectat, ſunt ea ad hunc uſque diem, ſi verum fateri velimus, ita abſcondita, ut nîl dicere liceat, quod vel à priori

poſſit

poſſit certò probari, vel à poſteriori demonſtrari. Eſt limpidiſſima, colore omni & ſapore, imò & odore deſtituta, omnium palato ex æquo grata, unde judicavit *Paracelſus*, Medicus & Chymicus ſua laude non fruſtrandus, eſſe Aquam puriſſimam, ſimplicem, & verè Elementarem, nec Sulphure, nec Minerali alio impprægnatam. *Fuchſius*, *Rulandus*, & alii, adſcribunt Thermis hiſce Sulphur, Nitrum, Æs, Ferrum, & Aurum. *Thurneiſſerus* Magnetem, Aurum, Æs, Sulphur, in Vehiculo Aquæ communis ſoluta. *Bruſchius* Aurum & Æs. *Abiſius* Ferrum, Terram ſigillatam, Nitrum, & Aurum puriſſimum; cui etiam ſubſcribit *Zimmermannus*, Auri ſulphuri prædominium tribuens. Certum hoc eſt, quòd Sulphur contineat ſubtile; certum item hoc, quòd ſi diu ſteterit, ſponte præcipitetur nunc Terra quædam pinguiuſcula, Auri bracteolis fœta, nunc etiam Cryſtalli pellucidæ. Mineralium præſentiam indicat quoque pondus, quod ad Scaturiginem comperi ℥ij. ʒvi. *gr*. xxx. & inde ſubſumſi, in Libra Medica contineri *gr*. 51. partium alienarum. Comperi etiam hoc, quòd ex affuſis variis Liquoribus, acidis & alcalinis Spir. Sal. Armoniac. Vinoſ. & Urinoſ. Ol. Tart. p. d. Spir. Vitriol. Solut. Merc. Sublimat. Tinct. Tornæſol. Solut. Vitriol. nulla ſubſecuta fuerit præcipitatio, aliave mutatio, ſaltem non illicò, diu enim commorari in Antro horrido ſimul & ſquallido non licuit. Solus Violarum Syrupus videbatur induere colorem vireſcentem. Invenit *Joh. Franciſcus Vicarius Piperinas has Aquas uno tempore præcipitabiles, alio non item. Hydrophylac. p.* 87. Inferre hinc licet, eſſe, quæcunque tandem fuerint, Thermarum harum Ingredientia, in ſubtiliſſimas particulas diſcerpta, relictis in Terræ Saxorumque poris craſſioribus, inſuper adeo arctè invicem, & cum Aquæ vehiculo unita, ut haud facilè ab infuſis Menſtruis, vel Ignis Diſtillatori ope ſejungi ſe patiantur. De viribus Aquæ hujus multa dici poſſent, ſi per tempus id, & chartæ anguſtiam, liceret. Afferam tamen, quæ in exiguam pagellam contraxit *Wagnerus Helv. Cur. p.* 95. *Laudatiſſimæ & ſaluberrimæ hæ Aquæ*, inquit, *Sanitatis Theſaurus ſunt præſtantiſſimus, quippe quæ*

tum

tum potæ tum Balnei loco adhibitæ proſunt Cerebri & Nervorum Obſtructionibus, Epilepſiæ, Apoplexiæ, Capitis Doloribus, deperditæ Memoriæ, Viſûs-obſcuritati, Auditûs gravitati, Paralyticis, contractis, convulſis, Artuum tremoribus, Membrorum Laſſitudinibus, Jecoris, Lienis, Meſenterii obſtructionibus, Melancholiæ Hypochondriacæ, Podagricis, Iſchiadicis, Chiragrâ & inveteratâ Febre correptis, Membris fractis, contuſis, ſugillatis, malignis & malè curatis Ulceribus, Renum & Veſicæ Calculis, variis & inveteratis Uteri affectibus, Scabiei, Impetigini, Elephantiaſi; Cancris item & Fiſtulis, Mammillarum Ulceribus, Menſium Intemperiei, &c. Hujuſmodi Virtutes ſexcentas habent alias, quas ſcientes jam præterimus. Sibi autem ab iis caveant Hydropici, Phthiſici, Hectici, Icterici, Lue Venereâ infecti, Leproſi, Dyſenterici; Mulieres gravidæ: Summatim

Eſt DEUS & clemens miruſque Favarii in undis,
Qui morbo afflictis millia mira facit.

Die eodem reliquimus Thermas, ut nos conferremus in Pagum *Vättis*, qui ultimus eſt in Comitatu *Sarunetum*. Pertranſivimus autem Pagos *Valentz*, *Valens*, & *Sin*, cui à ſiniſtris adſtat Mons *Munton*, à dextris autem alius *Findels* & *Alplein* dictus. Mox à ſiniſtris comites habuimus *Galandæ* (*Calandæ*, *Caland*) Montis altiſſima Juga, quæ ſeſe protendunt per integram Vallem Vettenſem, & ex hac parte prærupta ſunt valde, & altis præcipitiis horrida, ab altera autem, qua *Curiam* ſpectant & *Fagonicum* (*Feldſperg*) tractabiliora, & fœcundis paſcuis plena. Montem ipſum non conſcendimus, quas autem olim in eo collegit Plantas *Joh. Fabritius* Curienſis, has recenſet *Conr. Geſnerus in Aret. Deſcr. Stocchorn. p. 235. b.*

Valentia.

Galanda Mons.

Ad Occaſum Pagi *Vättis* ſunt Montes *Simmelberg* & *Calveiſſen*, qui Glacialia Juga per totum Anni decurſum ſervant, & Taminnæ Torrenti natales præbent; teſte *Kolweck von Pfeffersbad. p. 75.* habitati olim dicuntur ab hominibus ſtaturæ penè giganteæ, quorum reliquiæ proſtent adhuc in quodam Oſſuario.

Calveiſſen.

Vettis Altitudo.

Vettiſii erat horâ 5. veſpertinâ, aëre pluvioſo, *Mercurii* alti-



Tab. II.

Pl. 2.



Sumptibus D. Martini Lister, Medici Regij, Coll. Med. et Societ. Regal. Socij.





Sumptibus Reverendi D. Arthuri Charlett, S.T.P. Collegij Universitatis Oxon. Magistri, &c.

altitudo $17\frac{1}{2}$ *Scrup.* unde collegi, locum hunc elevatiorem eſſe Thermis Piperinis 600. *ped.* & Tiguro 920.

Sunt in his Regionibus Alpinis propter dominans frigus *Inſecta* admodùm rara: Occurrit tamen *Valentiam* inter & *Vättis*, quem depingere ad vivum volui TAB. I. *Fig.* 5. *Capricornus ſeu* Κεράμβυξ *primus Moufeti, coloris ferè cinerei, cujus venter, crura, & cornua, dilutè*, imò elegantur *cærulea*, articulis nigris interſtincta, *ſcapulæ, cauda, & elytra, nigris quibuſdem maculis variegata: Poſtrema crura reliquis longiora creſcebant.* Conſule *Jonſton. Tab.* XV. *Capricornus.* TAB. I. *Fig.* 5.

Idibus Auguſti perambulavimus pedibus *Vallem Vettenſem* (*Vättisthal*) pratis peramœnis, fontibuſque limpidiſſimis plenam. Ante autem, quàm pedes ex Diverſorio movimus, invenimus primo mane *Mercurii* altitudinem eandem cum heſternâ.

Dimidiâ horâ à Pago proſiliunt ſummo impetu immediatè ex Petris, quæ 25. circiter pedibus ab invicem diſtant, Torrentes bini, *Gorbsbach* vel *Gorbsbrunnen* dicti, qui mox in Vallem ſeſe ſpumantes præcipitant: Diameter Scaturiginis unius eſt pedum circiter duorum, alterius penè trium. Inferre licet ex impetuoſo eorum prolapſu, eſſe in Montis illius interraneis Hydrophylacium ſatis ingens, & elevatius quidem ipſis Oſtiis, ex quibus Aqua profluit. Notari porro meretur, eſſe hos Fontes temporarios, non perennes, & cum Majalibus fluxum tum inchoare, tum terminare. Fontes ipſos ex Monte profluos ſiſtit TAB. II. *Torrentes Majales.* TAB. II.

In Monte *Gunggels*, *Gungelſerberg*, *Kunckels*, qui tranſitum præbet euntibus Rhætis ad Thermas Fabarias, & Comitatum Sarunetum, obſervavimus *Mercurii* delapſum $27\frac{1}{2}$ *Scrup.* ut hinc colligere liceat, elevatiorem eſſe hanc planitiem, in qua fuimus, montoſam Pago Vettenſi 800 *ped.* & Tiguro, quod in eodem ſtatu vidit hoc die Barometrum, atque in præcedenti, 1720. *Gunggels Montis Altitudo.*

Hîc ubi conſedimus, in obtutum venit Columna ſaxea, Statuæ ad inſtar ad pedes triginta & plures à Naturâ erecta, *der Sennenſtein* dicta, TAB. III. *Lit. A.*) juxta quam tempore ſereno perpetuò fere ſurgit Nebula (*Lit. B.*), quam ſic- TAB. III.

 cam,

Nebulæ Alpinæ. cam, *trocken*, *Heüwetter Nebel* vocant Alpicolæ; affirmantes uno ore de hoc albidarum Nebularum genere, (ex quarum apparitione ſerenitatem prænuntiant) quod ipſe poſtea his meis oculis conſpexi in deſcenſu Montis Spelugæ, & alibi paſſim, ſurgere eas ex ipſâ Terrâ, non verò aliunde advehi per aëra. Idem nobiſcum judicat *M. Joachim Fridericus Creitlovius*, Paſtor Rommeledenſis in Weſtro-Gothiâ, occaſione *Woodwardianarum* Quæſtionum, quas *Novis Maris Balth.* & *Septentr.* inſeruerunt horum Collectores, *Ann.* 1703. *p.* 83. *Ante annos* 14. inquit, & *quod excurrit, æſtivo tempore in Itinere conſtitutus manè, ad Solis Ortum, obſervavi radios Solares ſummo excelſiſſimæ cautis cacumini injectos excitaſſe, vel extraxiſſe vaporem, qui condenſatus, & per altum ſubductus, perfectam nobis ſiſtebat Nubem, quæ Vento excepta, more Nubibus ſolito etiam per Aëra ferebatur. Hoc ſpectaculo delectati Iter noſtrum tamdiu protrahebamus, uſque dum tres vel quatuor iſtiuſmodi Nubes natas & elevatas contueremur.* Ego in Speluga tot, quot integrum poſtea cooperierunt Montem. *Mirati ſummam Creatoris ſapientiam, qui & id, quod paulò ante nulli nobis eſſe uſui videbatur, maximis rebus deſtinaverat, adeòque ex illo tempore dubitare cœpi num Nubes eſſent futuræ, ſi iſtiuſmodi Montes & petræ non darentur.* Hypotheſi hâc ſtante eluceſceret permagna utilitas, imò neceſſitas, quam Helveticæ Alpes non nobis tantùm Accolis, ſed & vicinis aliis Regionibus præſtant, diſpenſando, quas gignunt, Nubes, Ventos, Aquas.

Rupicaprarum impenetrabilitas. De *Rupicapris* retulit, quem obviam habuimus, Venator, quòd ab ictu Sclopeti ſint immunes, ſicubi comedant ex Doronico-flore cœruleo; Homines ipſos hoc impenetrabilitatis jure gaudere, ſi quid ante Solis ortum ex illis radicibus aſſumant. Surdis Fabula. Doronicum cœruleo flore Alpinum eſt non ens. Forte intelligit Aſterem Alpinum cœruleo magno flore C. B. Impenetrabilitas, quam aſſignant Rupicapris Venatores, & prætendunt homines, hactenus nullam apud me invenit fidem.

Ægagropilæ. Circa *Ægagropilas* interrogatus idem Venator reſpondit, pau-

paucas admodùm reperiri in Galandæ Montis Rupicapris, quod juga nimis ſint horrida & ſterilia. Dari Ægagropilas in uno magis Tractu, quàm alio, imò in ejuſdem Vallis uno latere magis, quàm alio, aſſerunt unanimiter Alpicolæ. In Sylvæ Rhenanæ (*Rheinwald*) Montibus Septentrionalibus nullas ferunt Rupicapræ pilas, in Meridionalibus è contrà nullæ fere ſunt, à trimeſtribus uſque ad adultas, quæ iis careant.

Ex Monte *Gunggels* deſcendimus per tranſitum admodùm anguſtum, Montibus interjectum, *la Foppa*, *Fuppa* dicitur, & integro alicui Exercitui obſtaculo eſſe poteſt invincibili, ſi modò centeni aliquot armati homines Clauſuram hanc occupaverint priùs, quàm hoſtes acceſſerint; Clauſuram dico, ita enim vocàrunt Romani Clauſtra illa anguſta, Regionum Alpinarum Caſtella fortiſſima, Ἐισβολὰς & Κλεισούρας Græci. Ita enim *Suidas* ad vocem Κλεισοῦραι: οὕτω καλοῦνται τὰ ὀχυρώματα τῶν διαβάσεων τῇ πατρίῳ τῶν Ῥωμαίων φωνῇ. Anguſta Alpium, τὰ στενὰ τῶν Ἄλπεων *Herodianus Hiſt. Lib.* II. c. 11. Τέμπας Græcitatis mediæ & infimæ Scriptores, adnotante *du Freſne in Gloſſar.* Talis Clauſura præcellens eſt prope *Agaunum*, quæ aditum ad *Valleſiam* pandit, vel præcludit. De hac ita *Paradin. Chron. de Savoye. Liv.* I. *c.* 16. *Au dit lieu ſe viennent les Rochers des Alpes à clorre d'une part & d'autre, en mode d'une gorge, & embouchement, laiſſant une eſpace fort etroite pour le cours & alvée du Rhoſne, duquel le Pont de Pierre avec une ſeule Arche embraſſe les deux Rivages & bords, qui eſt l'entrée du Pays de Valois: Et en hyver ne peut perſonne avoir accés en cette vallée, ſinon par le moyen de ce Pont du chaſteau: Tellement, que quand le Capitaine a fermé le Pont, toute la Region des Valeſiens eſt cloſe.*

La Foppa Clauſura.

Hand longè à Pago *Taminio* (*Tamins*) reperias ad viam Saxa *Talcoſa* candido nitore ſplendentia.

Saxa Talcoſa.

Reichenoviæ (*Reichenau*,) ubi in unum alveum confluunt Rhenus anterior (*der Vordere Rhein*) & poſterior (*der Hindere Rhein*) aſcendit horâ Meridianâ *Mercurius* ad $7\frac{1}{2}$ *Scrup.* indicio 1600. *ped.* quibus elevatior eſt planities *Gungelii* montoſa Rheni alveo. Addo, ex præſuppoſitâ eadem Tigurini & Rhætici Aëris diſpoſitione non altiorem eſſe Reichenoviam

Reichenovia.

viam Tiguro 120. *ped.* Notanter præſuppono, quod ſcribo; nam ſupra jam unam & alteram difficultates circa bonitatem computi in medium produxi.

Die 19. Calend. Aug. horâ 6. matutinâ, erat rurſum *Mercurii* altitudo $7\frac{1}{2}$ *Scr.*

Circa Meridiem diſceſſimus *Reichenoviâ*, ut iremus *Tuſciam.*

Meſpilus Apii folio arboreſcens.

Ad ripam *Rheni poſterioris*, haud procul à Balneo *Rhothen Brunn* ſylvulæ formam præ ſe fert *Meſpilus Apii folio ſylveſtris ſpinoſa ſive Oxyacantha* C. B. quæ hîc in Arborem fere ad 10 pedes, & ultra, excreſcit.

Balneum ad Fontem Rubrum.


Balneum zum Rothen Brunnen, h. e. *ad Rubrum Fontem* dictum, *Fons Sulphureus frigidus eſt, calefactus contra Cutis vitia, internoſque affectus frigidos uſurpatur.* Hæc *Wagner Helv. Cur. p.* 120. Nomen accepit ideò, quia Saxa, Terram, & Ligna, per quæ defluit, ochraceo, vel rubro, colore inficit. Scaturit prope domum, ad ipſam Viam Regiam, ubi Saxo quadrato clauditur. Ponderis ejuſdem eſt cum Aquis Piperinis, unde & in Libra Medica continebit 51 *gran.* Terræ Martialis ſive ochraceæ, ſulphure ſubtili impraegnatæ. Hanc quippe præcipuum Balnei eſſe ingrediens indicant, præter Colorem, Experimenta à nobis inſtituta. Nam ex infuſione Ol. Tart. p. d. illicò lacteſcit, ut & ex Spir. Sal. Armoniac. Vinoſ. & Nitroſ. Ex pulvere Gallarum injecto rubellum induit Colorem, eumque opacum, qui tandem nigreſcit. Syrupus Violar. colorem inducit viridem. E contrà nullam inferunt mutationem Spiritus acidi, uti nec Tinct. Tornæſol. Solut. vitriol. & Merc. ſublimat. Patet hinc, ad Aquas Martiales & Acidularum Claſſem potius pertinere hoc Balneum, quàm ad Sulphureas, & uſui interno ad reſerandas Viſcerum Obſtructiones magis forte convenire, quàm externo.

Fürſtenovia.

Fürſtenoviæ (*Fürſtenau*) in Fœdere Domus DEI *Mercurii* altitudo fuit ſub veſperam 9 *Scr.* Erit adeo hic locus ſuperior Reichenoviâ 120. *ped.* & Tiguro 240.

Telonii Pons.

Die 18. Calend. Aug. horâ 7. antemeridianâ fuit *Mercurii* altitudo in Diverſorio ad *Telonii Pontem* (*bey der Zollbruck*) quem




Pl. 2.

Tab. IV.



Sumptibus Reverendi D. Joannis Hudson, S.T.P. Bibliothecæ Bodleianæ Oxon. Custodis, &c.





Sumptibus D. Johannis Danvers, Armigeri.

quem non ita pridem Rheni furor vaſtavit, Accolarum diligentia autem reparavit, $9\frac{1}{2}$ *Scr.* Tuſciæ $11\frac{1}{2}$. quæ adeo erit 160. *ped.* elevatior Fürſtenoviâ, & eodem die in Altâ Rhætiâ 17. quæ proin altior erit Tuſciâ 440. Fürſtenoviâ 600. & Tiguro (ubi conſedit Merc. ad $6\frac{1}{2}$ *Scr.*) 840.

Tuſcia, Tuſana, Toſanna, Tuſciana, Tuſcorum vicus, Tuſis terminat *Vallem Thumeliaſcam, Domeſticam, Tumleſchg, Domleſchg*, quam heſterno die totam peragravimus, Vicus eſt percelebris, & admodùm frequentatus, propter continuum, qui hàc in Italiam, Germaniam & Helvetiam ducit, tranſitum, & nomen ſervat Veterum Incolarum, qui Nobiles Tuſci fuêre, Tarquinii Priſci, & Hannibalis Carthaginenſium Ducis regnante Tyrannide, exules. Hîc loci omnia humanitatis, & benevolentiæ ſigna nobis exhibuerunt Viri proſapiâ, Virtutibus, & Doctrinâ inclyti D. Commiſſarius olim Clavennenſis, Pater, & Vicarius nuper Vallis Tellinæ, Filius, Nobiles *de Roſenroll*, Commiſſarius *Jecklinus*, & Rev. ac Pientiſſimus D. Loci Paſtor, & Decanus *Otto Graſſius*, quibus Ducibus & Comitibus conſcendimus *Montem S. Johannis, S. Johannesberg*, cui nomini anſam dedit Sacellum Divo huic dicatum, nunc deſtructum. Antiquo autem & vero nomine vocatur *Rhætia alta, Realt, Hohen Realta.* Venimus huc, viſuri Caſtri hujus, quod Rhæti, Tuſcorum quondam Ducis, & hodiernorum Rhætorum Patris, fuit primaria Sedes, antiqua Rudera, TAB. IV. & V. & Domeſticæ Vallis, quæ fœcundiſſima eſt, & jucundiſſimo loco ſita, integrum, quà latè patet, proſpectum. Nam *Tuſcia.* *Rhætia alta.* TAB. IV. & V.

Ex ſiniſtro latere ſtatim ſeſe ſiſtit *Clivus Heinſilianus, der Heintzenberg*, qui à Tuſcio vico incipit, & ad bihorium uſque ſe protendit verſus Septentrionem, & vix alium totius Rhætiæ parem habet fœcunditate & divitiis, quas Incolis ſex Pagorum jucundo ordine, & parvâ ab invicem diſtantiâ in hoc Monte locatorum, offerunt Agri pingues, & viridantia Prata. Montem hunc ſummâ cum delectatione conſpexit, quoties Tumeliacam Vallem pertranſiit Generalis quondam Militiæ Gallo-Rhæticæ Dux Rothomagenſis, toties etiam teſtatus, quòd in vita ſua nunquam viderit Montem *Heintzenberg.*

cultiorem ſimul & amœniorem. In Clivo hoc conſpicuæ ſunt Parochiæ *Porthenienſis*, *Flerdenſis*, & aliæ. Cœnobium Monialium *Cacias*, *Katz*, *Caz*, ad Radicem Montis prædicti à Victore Epiſcopo Curienſi A. 720. fundatum. A dextro latere in conſpectum veniunt *Silium*, *Sils*, cum *Arcibus Baldenſteiniana*, & *Campobelliana*; *Pons Telonii*, *die Zollbruck*; *Fürſtenovia* pagus, qui olim Sedem præſtitit Epiſcopo Curienſi; *Scharantium*; *Almenium*; Communitas *Orttenſteiniana* cum Pagis *Baſpels*; *Rodels*; *Tumils*. Præterea viſuntur plurimarum Arcium Romanarum rudera, potentiæ Nobilium Tuſcorum haud obſcura indicia. Mediam *Tumeliacam Vallem*, ne quid ejus fœcunditati, imò & proſpectûs elegantiæ deſit, perfluit *Rhenus poſterior*, cui in ipſâ hac Valle Aquas ſuas miſcent, prope Fürſtenoviam quidem *Albula*, ex Monte ejuſdem nominis oriunda; infra Tuſciam autem *Nolla* Torrens, qui ad altiſſimi Montis *Beüerin* radices profluit, & olim ob parvitatem ſuam nihili reputabatur, utpote placidus, & anguſto principio ortus, (hinc *Nolla* quaſi *nulla*,) nunc autem magis magiſque dominium ſuum dilatat, tantæ rapiditatis, & rapacitatis, ut integra ſæpe prædia, domos, ſtabula, devoret. Colore nigro facile in Rheno à Rheno diſtinguitur, ut Fluenti media pars nigricet, media albeſcat, utraque coloribus ſuis Inſignia Fœderis Griſei Heraldicè repræſentet. Debetur diſcriminatio hæc non tantùm utriuſque Fluminis celeritati, ſed & *Nollæ* majori gravitati, quâ Rheni leviorem Aquam quaſi præ ſe pellit, nec proin facilè ei ſe commiſcet. Nigrum colorem Nollæ conciliat limus ater, cui inſunt plurimi, iique perexigui *Pyritæ Cubici*.

Rhenus poſterior. *Albula.* *Nolla.* *Pyritæ Cubici.*

In Heinſiliano Monte, ſupra Flerdam Pagum, eſt *Lacus Paſcholenſis*, *Paſcholer See*, qui murmuribus ſuis, & rugitibus Tempeſtates præſagit. Talis quoque eſt Lacus *Calandari* dictus, de quo mira narrat Rev. D. *Oſwaldus Molitor*, V. D. M. Anderanus in Valle Sexamnienſi, in Literis ad me datis d. 3. April. 1700. Parvus eſt, inquit, ut Lapidis jactum nec longitudo ſuperet, nec latitudo, ſed profundiſſimus, Aquas influentes admittens, ſed non emittens. Admi-

Lacus, qui Tempeſtates præſagit.

mirandâ hac proprietate gaudet, ut quemadmodum Magnes Ferrum, ita hic Lacus Homines, qui fortè ad ripas illius obdormiunt, attrahat, & abſorbeat. Ante paucos annos accidit, ut ſeptem Equi à petulantibus quatuor pueris coacti fuerint proſilire in ipſum hunc Lacum; hi Aquis ſubmerſi diſparuêre per trihorium, & à ſuis cuſtodibus fuerunt habiti pro derelictis, tandem tamen unus alteri adnexus redierunt ſemianimes, & ſoleis ferreis, quibus ante ingreſſum fuêre armati, nunc exuti. Magis tamen ad rem præſentem ſpectat, quòd hîc idem Lacus ante ſubſecuturam Tempeſtatem ſoleat in gyros agi, ac intumeſcere, ſed ſimul boatus edere adeò horrendè murmurantes, qui in oppoſitis etiam Montibus, & interjectis Vallibus, ad ſex horarum diſtantiam auditu percipiuntur. Talis quoque Lacus eſt in *Valle di Savogno*, teſtibus Literis Cl. D. *Picenini d.* 18. *Aug.* 1700. Simile quodammodo narrat *Cardanus de Rer. Variet. Lib.* 15. *c.* 85. *Referebat*, inquit ille, *M. Antonius Majoragius*, *Aprili Menſe audiri in Eupilo Lacu ſonum ſeu vocem ejuſmodi*, Oh, ôh, ôh, ôh, ôh, *ſed longiuſculam*, *ita ut extrema vox conciſa eſſet*, *& his annis*, *neque enim ſingulis annis auditur*, *proventum uberiorem omnium ſequi*, *Vini*, *Tritici*, *ac cæterorum*. De hac re ità diſſerit *Cardanus*. *Haud dubium eſſe debet*, *percuſſa vel ſub Aqua*, *vel in imo & fundo ſonare*, *ſed obtuſo ſono*, *quod experti ſumus: Adeo ut concuſſo ſub aqua corpore*, *aër*, *qui ibi eſt*, *ſonet*, *tranſeatque ſonus in Aquam*, *& rurſus in Aërem. Itaque concalefacto*, *accedente vere*, *limo*, *& in Aërem converſo ſit ſonus: Nec neceſſe eſt ſemper Aquam fervere ob id*, *nam frigore Aqua diſſipatur*, *aut extinguitur vapor. Quòd ſi diſſipatur*, *motum in Aqua concitat*, *ſed non uno loco*, *verùm per magnum ſpatium*, *ut deprehendi nequeat: Calor verò ille fertilitatis plerumque ſignum*, *quòd omne ſolum Aquis abundans*, *ubi incaluerit*, *fertile ſit.* Huic rei vix fidem habet *Morhof. Hyaloclaſt. p.* 183. *Si tamen*, inquit, *vera ſunt*, *quæ ille* (Cardanus) *narrat*, *forte ſonus eſt à partibus nitro-ſulphureis*, *per fermentationem validam in exploſionem aliquam agitatis*, *ut ſpiritus interdum aliquos videmus mutuo affrictu in calorem & ſonum levi ali-*

quo

quo motu incitatos. Et paulò poſt. *Sunt quoque fortaſſis in locis ſubterraneis, in quibus nunnunquam cavitates, aëre variis particulis imprægnato, repletæ, non inſolitæ tales ex attritu earum exploſiones, quæ, ſi majores & vehementiores ſunt, Terræ motum producere poſſunt, cujus quaſi rudimenta & præludia, ob materiæ tumultuantis non adeo magnam copiam Lacus ille dedit, fertilitatis tamen illa dant indicium, & fundum vaporibus nitroſis vel ſulphureis turgidum oſtendunt.* Non malè meo judicio philoſophatur uterque, licet neuter hoc in paſſu mihi ſatisfaciat. Collatio hujus noſtri Phænomeni cum fragoribus illis & boatu, qui comitatur aliquando Terræ concuſſiones, teſtibus *Plinio Lib.* II. *c.* 80. *Ariſtot. Lib.* II. *Meteor. t.* 46. *Varen. Geograph. Lib.* I. *c.* 10. *Prop.* 5. *Kirch. Mund. Subterr. Præf.* & nobis placeret, ſi hîc locum haberet fermentativa accenſorum halituum nitroſulphureorum exploſio. Putaverim ego Ventorum ſubterraneorum motus, Aëris interni & externi, ſeu Atmoſphærici, variantes ad invicem habitudines, junctas peculiari Aquæ & Aëris ductuum ſtructuræ ſufficere illuſtrationi hujus Phænomeni. Rem ita concipio. Imminente Tempeſtate rarefit valde Aër ſupraterraneus, imò & amittit haud parùm de ſua elaſticitate, quod teſtatum faciunt Experimenta Barometrica, Thermometrica, & Æoliarum Cryptarum Obſervationes pleniùs alibi enucleandæ. Interim temporis alia peragitur Scena in Cavernis Montium ſubterraneis;

Æolus hîc clauſo Ventorum Carcere regnat.
Hîc vaſto Rex Æolus antro
Luctantes ventos, tempeſtateſque ſonoras
Imperio premit, ac vinclis & carcere frenat:
Illi indignantes magno cum murmure Montis
Circum clauſtra fremunt. *Virg.*

Internus hic Aër, debilitatâ externi compreſſione (cujus vi ille intra ſua clauſtra detinetur) elaſticitatem, quam hactenus ſervavit, in externum exercet, è latebris ſuis quâ datâ portâ erumpit, per Æoliarum Cryptarum ſpiracula fortiùs expirat, uſque dum redierit uterque ad priſtinum Æquilibrium. Dum ita Æolus è cavernis ſuis prorumpit, & Canales

Tab. VI.



Sumptibus D. Edmundi Halley, Geometriæ Profeſſoris Saviliani Oxon. et S.R.S.

les vorticoſos ſeu ſpirales *lit. a. a. a. a.* TAB. VI. fortè pertranſit, non poteſt non vario ſuo ad parietes allapſu, & inde facta reflexione ſonus excitari admodùm vehemens, qui nullam videtur invenire evadendi viam niſi per ipſum Lacum *A.* quem proin in gyros commovet, imò & in tumorem attollit, atque perrumpendo Aquas craſſorum boatuum formam aſſumit. Mentem meam, & Lacûs ipſius in Hydrophylacium ſubterraneum exonerationem, clariùs explicat citata jam TAB. VI.

TAB. VI.

Die 17. Cál. Aug. fuit *Mercurii* altitudo eadem cum heſternâ, ſcil. $11\frac{1}{2}$ *Scrup.*

Runkaliæ autem (*Roncaglia* Pagus eſt in ſummo Monte, ad *Viæ malæ* initium) 19. *Scrup.* ut hic locus elevatior ſit Tuſciâ 600. Altâ Rhætiâ 160. Fürſtenoviâ 760. Tiguro 1000. *ped.*

Roncagliæ altitudo.

Hinc pertranſivimus, ὁδηγῷ Clar. D. *Andreâ* Hallenſi, probatæ Sinceritatis & ſolidæ Eruditionis Viro, qui *Seſſamninæ Vallis* Fodinis Metallicis Præfectus eſt, *Viam Malam* (*la Via Mala*,) cui nomen dederunt anguſtæ nonnullæ ſatis horridæ, petris vivis paſſim inciſæ, & ponticulis penſilibus fere ab uno ſaxo ad alterum protenſis junctæ, iis cumprimis, qui Equis vehuntur, periculoſæ, junctæ difficultatibus, quæ primis viæ hujus elaboratoribus venêre obviam. Olim quippe non erat ſic, non huc tranſibant Viæ ex *Tumeliaca Valle* in *Seſſamninam*, ſed per altiſſimos, Viæ Malæ occiduos, Montes. In media fere via conſpicua ſunt vetuſta Sacelli rudera, quæ conſtituunt limitaneum Lapidem, ut quæ portio abhinc *Tuſciam* tendit, reparari debeat à *Tuſcianis*, quæ verò ultrà, à *Sexamnienſibus*. Notanda hîc ἐν παρόδῳ, imò laudanda Rhætorum diligentia, quâ vias montoſas, difficillimas licet & periculorum plenas, hyeme non minus, quàm æſtate, apertas ſervant, magno ſumtuum & Laborum impendio, &, quod deficit, reſtaurant, quod obſtruxit, tollunt, quod fractum, reſarciunt, lapſum relevant, nivem conculcant, glaciem frangunt. *Ut aliquis tranſitus pateat*, verba ſunt *Simleri Comm. de Alpib. p.* 112. quæ propriis inſuper obſervationibus interpolabo, *proximi Montium accolæ Magiſtratuum edicto viam per Montes munire coguntur, magno labore,*

Via Mala.

Rhætorum diligentia in reparandis viis.

bore, nec abſque periculo. Hinc etiam Mercatoribus & aliis Itinerantibus certum Vectigalis genus, quod *Weggelt*, & *Rütten* vocant, imponunt, imò, ſicubi ex neglecta Viarum præparatione & reparatione damnum oritur, id reſarcire ex proprio obligantur. *Igitur ſingulis fere diebus ex proximis vicis utrinque ad Montem aliqui vias explorant, &, ſi quid periculoſum deprehenderint, iter facientes monent, viaſque muniunt.* Diſtinguendi ſunt *Fuhrleiter*, quibus officium viarum purgatorium & conſervatorium pro certâ ſummâ elocatur, ab iis, qui manus ipſas operi admovent, & *Weger* vocantur, quòd vias parent. *Ac multis in locis cum primùm novæ Nives aliquæ ceciderint, Boves aliquot, quà iter erat, per novas Nives agunt, hi non tantum pedibus, ſed cruribus, & toto pectore, Nives frangunt* (vocantur hinc, ab ipſâ hac Nivis fractione & ruptione, *Rutter*) *deinde etiam trabem aliquam ad complanandam viam trahunt, & creduntur vias meliùs nôſſe, & his complanandis, atque parandis longè aptiores eſſe Equis. Quòd ſi hac ratione via non bene patefacta fuerit, plures ad hoc opus conducti palis & batillis, aliiſque Inſtrumentis Nives amovere, & viam aperire ſolent. Atque Mercatores, cum incommodæ tempeſtates inciderint, ſæpe magno pretio pluribus Operis* (forte *Operariis*) *conductis vias purgant, quò Merces ſuas tranſmittere poſſint.*

Vallium Alpinarum increſcens ſemper Profunditas inquiritur.

De Valle, per quam *Via Mala* ducit, conjectare licet, fuiſſe ſi non olim inapertam, ſenſim tamen & ſenſim à Rheni poſterioris impetuoſo curſu profundiùs perforatam. Certum hoc eſt, & ex ipſis fluentis Aquæ Veſtigiis in lævigatis inde Saxis adhuc conſpicuis, veluti totidem indiciis, demonſtrandum, quòd defluxerit olim, (primis fortè à Diluvio ſeculis) *Rhenus* per ipſam *Viam Malam*, qui nunc perfluit profundos hiatus, & Saxorum præruptas anguſtias, quæ 50, 100, 200, & pluribus fortè pedibus ſunt Viâ prædictâ depreſſiores. Quod nos heîc de Rheni fluento aſſerimus, hoc idem de *Taminnâ* Torrente, qui *Piperinas Thermas* præterfluit, curioſè obſervavit ſuprà jam citatus *Joh. Kolweck. Tract. de Therm. Piper.* illum inde à condito Mundo (fortè melius dixiſſet, à Diluvio) ad Annum χριστογονίας 1631. depreſſiorem factum

factum fuiſſe 34. *orgyiis*, ſive 259. *pedibus*, quibus poſtea dividens Annos 5592. pro Annis Antediluvianis 1656. infert decrementum 72. *ped.* 7. *dig.* pro Annis Poſtdiluvianis ad Salvatoris Nativitatem 2306. *pedes* 95. pro Annis reliquis ad Kolweckii tempora reſiduum quoque pedum & digitorum; tandemque concludit, quotannis Taminnam profundiorem fieri *dimidio digito duodecimali.* Vid. *pag.* 48. 69. 71. 72. Quæ autem *pag.* 24. generalia habet, huc afferre non detractabo. *Der Bach Taminna iſt vor zeiten weit empor, und über gemeine Meinung weit höher gerunnen, wie ſolches nicht allein gemeine ſag, ſonder auch die hinterlaſſenen augenſcheinlichen zeichen an beiderſeits wanden und felſen des Gebirgs durch und durch ausweiſen, welcher Bach aus ſeiner runſt gewichen, und fürterhin durch alle abgeloffene Zeiten tieffer und niderer in den felſen gefreſſen, und der tieffe nach allezeit abwertz geſunken.* Et *pag.* 69. *Dieſer Bach Taminna vertieffet ſich ie länger und mehr, durchfriſſt und zertheilt das harte Gebirg entzwey——Welches gleichfals an vielen Bächen des Hohen Gebirgs in Tyrol, und anderswo, augenſcheinlich, an den in hohen Felſen hinterlaſſnen zeichen der vor zeiten durchgeronnenen bächen, ſo die Berg und Felſen beederſeits ausgehölert, und noch heütigs tags ie mehr und tieffer abwerts freſſen, welche ſonſt unglaubige Waſſerſtärcke in dem edlen Saltzgebirge bey Hall im Innthal nicht weniger zuſehen, daſelbſten das in die tieffe des Gebirgs nur Kleinen theil eingelaſſene Waſſer in eines halben Jahrs zeit eine ſolche höle umb ſich ausfriſſt, daß man zu* (von) *einer wand zu der ander mit einer Mitterbüchſen zu ſchieſſen hat.* Curioſum erit, hîc ibi, & ubivis locorum, ubi ejuſmodi Torrentes & Flumina anguſtias Montium perfluunt, obſervare ſummas, quas eroſerunt ſpumantes Aquæ, profunditates, computum autem annuum inire, & in futurum prædicere, quorſum perventura res ſit intra tot vel tot ſubſequentia Luſtra, vel Secula, difficile, ſi non impoſſibile, quandoquidem variant in Dies & Annos Aquæ copia & impetus, Terrarum, Saxorum, Arborum reſiſtentia, denſior, vel rarior conditio, nivis liquefactæ, & pluviæ delapſæ quantitas, &c.

Viam Malam emergentibus tranſeundus eſt Saxeus *Pons*; cujus Jugum medium medio Saxo incumbit, TAB. VII. & ingredienda *Vallis Seſſamnina*, *Sexamnienſis*, (*die Landtſchaft Schams*) ubi ſunt Parochiæ *Ciranenſis*, *Anderiana*, cum Filiali *Ferrara*, (quæ à copioſis *Ferri* Venis, adhuc ditiſſimis, ſed incultis, nomen obtinuit) *Danetenſis*, *Mathonenſis*, *Lohnenſis*.

TAB. VII. *Vallis Seſſamnina, Ferro & aliis*

Metallis dives.

Non *Ferri* duntaxat, ſed & aliis *Venis Metallicis* ditiſſima eſt hæc Regio. Supra *Zillis im Bärenwald* eſt Vena *Plumbi*; in Fodina *S. Annaberg* Vena *Plumbi & Cupri*; in *J. Johannberg* Vena *Argenti*; in *Fiœnel* Vena *Ferri*: Alibi etiam *Æs* & *Aurum*. Venas *Ferri* exercuerunt Curienſes quidam uſque ad Annum 1696. quo propter ingruentem annonæ caritatem ab opere ceſſarunt. Venæ *Saturni*, *Veneris* & *Lunæ* viguerunt ante Seculum, & quod excurrit, ad Annum uſque 1620. poſtmodùm autem magis magiſque negligebantur: Ab his illisve, Tigurinis, & Exteris, coli denuò cœperunt diverſis temporibus, ſed irrito ſemper ſucceſſu, ut tandem coacti fuerint deſiſtere. Ante paucos Annos cœperunt rurſus Fodinas aperire præſentes earum Poſſeſſores, quibus felicia fata apprecor, & ſtylo Metalli fuſorio Jo *Glück auf* acclamo.

Venarum Metallicarum in Helvetia & aliis Regionibus diverſitas.

De his Sexamnienſibus, & Rhæticis aliis *Metallis* adnotari porrò meretur, Venas raro continuato per rectas lineas ductu ſeſe protendere intra Montium Strata, ſed fruſtulatim quaſi reperiri diſperſas, Martialibus exceptis, nec, quod in Hungaria, Saxonia, & Metalliferis Regionibus locum habet, in profundis Montium viſceribus, ſed in ſuperficialibus cruſtis locatas, id quod Foſſores vocant *Zu tag ausgehen*. Ita ex. gr. in Fodinis illis, quæ ſeſquihorâ à Pago *Ander* diſtant, ſunt Metalla eò ditiora, quò ſuperiora; quæ ſupremum occupant locum, ſeptem continent Marcas in Centenario, quæ imum, & vix ultra 13. orgyias ſunt depreſſa, vix ſex uncias. Inſuper animadverti debet, paſcua metalliferis Montibus ſuperjecta eſſe fertilia admodum, & herbarum proventu ditiſſima, quæ in Saxonia & Hungaria ſæpenumerò ſterilia ſunt & torrida, torrefacta ſcil. ab exhalationibus Metallicis, ex imis

viſce-

Tab. VII. Pt. 2.




Sumptibus D. Humfredi Wanley, Societatis Regalis Socij.





Pl. 2.



Sumptibus D. Thomæ Bromfield, A.M. é Coll. Univ. Oxon.

viſceribus in maxima copia ad ſupremam Terræ cruſtam evectis. Apud nos autem non ita videntur abundare Metalla in imis viſceribus Montium, & qui ſurſum vehuntur halitus ob interjecta craſſiſſimorum Saxorum Strata retineri, ne incremento Vegetabilium obſint.

In Pago *Andera* exceperunt nos amicè & benignè Rev. D. *Oſwaldus Molitor*, Loci Paſtor, Spectatiſſ. D. *Rainöl*, Stuttgardienſis; Exc. *Solomonis Reiſelii*, Archiatri Ducalis non ita pridem defuncti, privignus, cum prælaudato D. *Andreâ*, qui Officinam novam fuſoriam extruunt. *Andera.*

Prope *Anderam* in planitie eſt *Aqua* inſipida *Martialis*, *das Bad* dicta, ſimilis ferè *Balneo rubro*, quod in *Domeſtica Valle* ſuprà examinavimus. Ponderat quippe, ut hoc, ℥ii. ʒvi. *gr.* xxx. ut Libra Medica contineat 51. *gran.* partium heterogenearum. A Spir. Sal. Armoniac. Nitroſ. nonnihil lacteſcit, à Vinoſo etiam aliquantum turbatur. Ab affuſo Ol. Tart. p. d. ſubitò colorem lacteum induit, præcipitato ad fundum ſedimento itidem lacteo. Ab Infuſo Gall. rubeſcit. *Aqua Martialis.*

Haud longè ab eodem Pago eſt Aqua limpidiſſima, quæ largiter pota appetitum cauſari dicitur: Ponderis eſt ejuſdem cum Martiali modò memoratâ; & vires ſuas debet forte particulis ipſis Martialibus, per illius poros diſperſis. *Aqua appetitum excitans.*

In eodem Parochiæ Anderanæ diſtrictu eſt *Fontana nera*, *Fons niger*, Aqua mediâ Æſtate præ aliis frigidiſſima. *Fontana nera.*

Anderæ fuit altitudo *Mercurii* 18. *Scrup.* ut inferior ſit hoc Pago Roncaglia 80. *ped.* Tuſcia 680. Fürſtenovia 850. Tigurum 1080. *Anderæ Altitudo.*

Die 16. Calend. Aug. *Anderam* reliquimus, & cum ea *Vallem Seſſamninam*, ingreſſuri *Sylvam Rhenanam*, *die Landſchaft Rheinwald*, in qua vidimus *Suferium*, *Suffers*, & *Spelucam*, *Splügen*. Heîc fuit altitudo *Mercurii* $30\frac{1}{2}$. *Scrup.* ut Pagus hic altior ſit Anderâ 1100. & Tiguro 2180. *ped.* *Sylva Rhenana.* *Spelucæ altitudo.*

Anderam inter & *Spelucam* conſpiciuntur paſſim *Catarrhactæ Rheni*, quibus dejicitur ſpumans hujus Fluminis Aqua per præcipites Scopulos, ut multâ ſudent aſpergine cautes & tranſeuntes homines. Ex his unam, quæ mihi videbatur curioſiſſima, repræſentare volui in TAB. VIII. *Catarrhactæ Rheni.* TAB. VIII.

 Pran-

Speluga Mons. Prandio finito conſcendimus, Ventis expoſiti pluvioſis Septentrionalibus, celebrem *Spelugam* Montem, qui toto Anno eſt pervius, & aliis nominibus audit *Spluga*, *Splügen*, *Splügner*, *Vrſulus*, *Vrſus*, *Culmen Vrſi Montis*, *Colmen del Orſo*, *Vrſchler*, *Vrſeler*, Vigenereo *S. Bernhardini Mons*, quibuſdam etiam *Avicula*, Aviculæ vicinus. *Sylvam Rhenanam* diſtinguit à *Campo Altino*, *Gambolſchin:* Origines dat Torrenti, qui ex Septentrionali Montis parte defluit, & *Rheno poſteriori* Aquas ſuas miſcet; ſed & *Liræ* fluviolo, qui ab altero latere *Campum Altinum* & *Comitatum Clavennenſem* perfluens in *Mairam* ſeſe effundit. Pro *Adulæ* parte *Spelugam* habet *Guler. Ræt.* p. 192. *b.* & cum eo Scriptores alii. *Continuo pervius.* Ad viam in aſcenſu paſſim erectos videas prælongos ſtipites, memoratos quoque *Simlero de Alp. p.* 112. quos *ſtylos ligneos* vocat *Marcellinus*, *Stazas* Rhæti, *Stangen* Germani, ut qui Hyeme Iter faciunt, horum ductu viam inveniant, experturi aliâs illud *Claudiani*:

Multos hauſêre profundæ
Vaſtâ mole Nives, cumque ipſis ſæpe Juvencis
Naufraga candenti merguntur plauſtra barathro.

In hunc eundem finem, & peregrinantium commodum collocant in ejuſdem Spelugæ Montis planitie ſummâ Lapidum cumulos, quos conferas cum *Statuis viarum* lapideis, per cacumina Montium *Doffrinorum Sueciam* à *Norwegia* dividentium providâ Regum munificentiâ erectis, de quibus *Ol. Magnus Hiſtor. Gent. Septentrion. Lib.* II. *c.* 15. Quibus nivoſus Boreas viſûs aciem, atque adeò Stipitum & acervorum Lapideorum uſum adimit, his, ſi Montis cacumen jam conſcenderint, ſolatio eſt *Campana* in Diverſorio ſuſpenſa, & in hunc finem aliquoties de die pulſari ſolita, ut moneantur Itinerantes de Hoſpitii ſitu.

Ejus altitudo. Ad ipſum hoc Diverſorium antequam devenimus, in ſupremo, quod tranſcendi ſolet (nondum autem eſt ſummum totius *Spelugæ* cacumen) Jugo, altitudinem *Mercurii* habuimus 44. *Scrup.* & exinde judicavimus 1080. *ped.* altiores nos eſſe *Spelucâ* Pago, & *Tiguro* 3260. quam altitudinem æquarent 16. circiter Turres Carolinæ.

Craſtino die, qui fuit 15. Calend. Aug. *Mercurium* aſcendiſſe comperimus ad 46½. *Scrup.*

Euntibus verſus Meridiem nobis occurrit Ventus Meridionalis calidus, Plagæ Italicæ, unde ſpirat, gratus index, qui omne frigoris incommodum, editioribus id genus locis proprium, diſpellit. Per planitiem hanc montoſam, Sylvis & Arboribus ob perenne frigus nudam, (eſt hoc Phænomenon omnibus Helvetiæ Montibus commune, ut ad certam duntaxat altitudinem creſcant Arbores, quod in altiſſimo Germaniæ Monte *Bructero* obſervavit quoque *Georg. Henning Behrens Hercyn. Curioſ.* nuperrimè edita *p.* 140.) ſi progrediaris horæ circiter ſpatio, offendes apertam domum muris circumdatam, & tecto munitam, in quam divertere poſſunt Jumenta Sarcinaria, *die Saumroſſe*, & eorum ductores, & Tempeſtatibus nivoſis frigidis ſeſe ſubducunt. Locus hic vocatur *Zum Hauſe.* Ubi ſumma planities declivis fieri incipit, eſt Turris ſeu Specula, craſſis & fortibus Muris inſtructa. Hinc deſcenditur ad Pagum *Madeſen*, quem pro *Tarveſedo* Romanorum habet *Gul. Ræt. p.* 194. *b.* cujus meminit *Antoninus* in *Itinerar.* (Aliis pro *Tarveſedo* agnoſcentibus *Spelucam Pagum*, ut *Tſchud. Helv. Antiq. MSC. Plantin. Helv.* 347. *Simler de Alp. p.* 104. *b.*) Hinc porrò per paſcua primùm jucunda, mox autem per viam ſalebroſam valde, & labyrintheis ductibus nunc è vivis petris exciſam, nunc Lapidibus ſtratam, *il Cenſo* dictam, quæ multum negotii faceſſit Itinerantibus, nec abſque ingentibus ſumptibus conſervatur à vicinis. Præcipitant ſe hîc illic ingenti murmure ſpumantes Catarrhactæ, quæ Viatorum oculos animoſque non parùm delectant.

Alpium ſummitates Arboribus ſunt nudæ.

Tarveſedum.

Ad Montis pedes eſt *Inſula* Pagus, ad *Liræ* dextram. *Inſula.*

Sequitur *Campus Altinus*, *Campdolein*, *Gampolſchin*, Pagus, qui toti Valli nomen impertit. *Campus Altinus.*

Hîc aſcendit *Mercurius* tempeſtate ſerena, horâ 2. pomerid. ad 23. *Scrup.* unde judicavimus, inferiores nos eſſe Spelucano Diverſorio, in ſumma Montis planitie ſito, 1880. *ped.* altiores autem Tiguro 2360.

Eodem adhuc die progreſſi, juxta *Liræ* ductum, *S. Wilhel-*

Clavenna. *helmi Templum*, per *S. Jacobi Pagum* devenimus *Clavennam*; mirati jucundam prædiorum & Agrorum, qui paſſim Saxis inſternuntur, vix quatuor pedes longi latique, parvitatem, delectati etiam perenni frondivagarum Caſtanearum, quæ copioſiſſimè hîc creſcunt, umbrâ.

In Diverſorio *Clavennenſi* invenimus *Mercurii* altitudinem, tempore ſereno, horâ 7. Veſpertinâ, $2\frac{1}{2}$. *Scrup.* & inde intulimus, nos eſſe inferiores Tiguro 280. Campo Dulcino 1600. Spelucano Diverſorio 3480. *ped.*

Clavenna, *Cleven*, *Cläfen*, *Cleffen*, *Chiavenna*; Oppidum Comitatûs totius primarium, Reip. Trifœderalis Rhæticæ Dominium agnoſcit, poſtquam varia ſubiit ſub Comitibus variis, & Ducibus Mediolanenſibus fata, quorum recenſionem Hiſtoricis relinquo.

Hîc omnino merentur conſpici celeberrimæ, & numeroſiſſimæ *Cryptæ Æoliæ*, de quibus ita *Wagner. Helv. Cur. p.* 40. *Prope Clavennam, Oppidum celebre ſub Rhætorum dominio, ad proximum Montem hinc inde tales Cryptæ ventoſæ dantur; ex quibus Æolus nunquam flare, ac ſpirare ceſſat: Prope hæc ſpiracula Clavennates eodem modo magnificas ſuas cellas vinarias, quas* Grotte *appellant, ſuo magno extruunt commodo. Ob continuum autem Aëris motum tempore æſtivo vinum adeo in iis frigeſcit, ut id illic ſine ſanitatis diſpendio vix haurire, neque ibi diu commorari liceat hominibus.* Et Rev. D. *Jacobus Piceninus*, Miniſter V. D. apud Soglienſes in Literis ad me exaratis d. 18. Aug. 1700. *Ex Cryptis & Hiatibus Montium ubique expirant Venti. Id experimur in Cellis vinariis frigidioribus*, (Italicè Grotti) *in quibus ſi appendatur charta vel folium, mirum in modum ab expirante Vento agitantur. Cellæ iſtæ tempore brumali ſunt calidæ, aſt fervente cumprimis Sirio uſque adeo frigidæ, ut in quibuſdam præ frigore ad ſeſquihoræ ſpatium vix deſidere liceat. Sunt hæ durante æſtu Clavennenſium diverticula:* Quibus ſequentia addit Cl. D. *Antonius Piceninus*, Filius. *In extruendis Cellis hiſce vinariis magna requiritur Domini, vel Architecti Induſtria, ad invenienda non ubivis obvia Spiracula, quorum in una Cella unum, duo, tria, rarius plura*

Cryptæ Æoliæ Clavennenſium.

repe-

reperiuntur. Hæ Cellæ fere omnes ſcopulis, rupibus, ſaxiſque majoribus, ubi ſpiracula inveniuntur faciliùs, imponuntur, adjacent, vel ſubjacent, ita ut prædicta Saxa habeant pro tecto, cujuſmodi Cellæ ſunt omnium frigidiſſimæ. Circa has obſervatur, quòd qui ubertim ſudante corpore ingrediuntur, ob pororum ſubitaneam conſtipationem Febri aliquâ, plerùmque Tertianâ, corripiantur. Conferantur quoque quæ habet *Guler. Ræt. p.* 193. *b.* De Cryptis his memorandum inſuper venit, quòd ſeræ, & alia ferramenta, ingreſſum per Portas obſignantia madeſcant, quoties tempus ex ſereno mutatur in pluvioſum, ob vapores ſcil. in guttulas converſos. Obſervavimus nos, expirantem Aërem inſignes exerere vires non in Thermometrum duntaxat, cui incluſus liquor notabiliter deſcendit, & in Barometrum, quatenus *Mercurius* Scrupulum unum cum dimidio altius aſcendit in cella ipſa quàm foris.

Die 14. Cal. Aug. horâ 5. antemeridianâ aſcendit tempeſtate ſerenâ *Mercurius* ½. *Scrup.* ſupra primum, quo eodem die, & Aëris eadem conditione Tiguri conſedit ad 2. fere *Scrup.* ut rurſus abfuerit 2½. prope *Scrup.* ut ſupra.

Mox è Diverſorio diſceſſimus, Duce Spectatiſſimo D. *Paravicino de Paravicinis*, viſuri primùm *Fodinas*, ubi excavatur, & *Officinas*, ubi tornatur *Ollaris Lapis*, cujus Hiſtoriam commodè huic loco inſero.


Ollaris, item *Lebetum Lapis* à *Joh. Auguſtino Pantheo* Chymiſta (cui & *Petra Columbina* dicebatur, *Geſnero* teſte *de Figur. Lapid. p.* 111. *b.*) vocatur, quòd ex eo tornari ſoleant Ollæ, Lebetes, aliaque Vaſa, uſui culinario dicata, ſed & alia, ut graphiaria, Patinæ, Scyphi, &c. *Comenſis Lapis Scaliger. Exercit. ad Cardan.* 128. §. 2. nec non *Plinio Hiſtor. Natur.* L. XXXVI. *c.* 22. cujus verba hæc ſunt: *In Siphno Lapis eſt, qui cavatur, tornaturque in vaſa coquendis cibis utilia, vel ad eſculentorum uſus, quod in* Comenſi *Italiæ* Lapide *viridi accidere ſcimus. Sed in Siphnio ſingulare, quòd excalfactus oleo nigreſcit, dureſcitque, naturâ molliſſimus. Plinii* igitur ætate jam cognitus fuit hic *Lapis* noſter, *Comenſis* forte dictus, non quòd in Italia cir-

Lebetum Lapis.

O ca

ca *Comum* excavetur, ut voluit *Agricola Lib. VII. de Nat. Foſſil.* ſed quòd *Clavennâ Comum* fuerint Vaſa ex illo fabricata primùm, dehinc autem veluti ex celebri Emporio in alias Italiæ Regiones deducta. Cum *Siphnio* Lapide in *Siphno* Archipelagi Inſula, olim Auro, Argentoque diviti contulit *Plinius*, quòd is pariter ac *Comenſis* potuerit torno tractari. Poſſumus & nos comparare utrumque cum *Alabaſtro*, & *Zeblicio Marmore*, quod vulgò *Serpentinum*, ſeu *Ophitem*, *Serpentinſtein* nuncupant, & in omnis generis vaſa adtornant. *Laveggi*, *Lavezzi*, *Lawezzi*, *Lavezen* vocantur non tantùm Lebetes, aliaque Vaſa, efformari ex Lapide ſolita, ſed & ipſi Lapides unde tornantur, *Lavezzi*, *Pietre di Lavezzi*. Derivat autem hoc Nomen, quantum equidem conjecto, originem ſuam ab ipſo Latinorum vocabulo *Lebes*, *Lebetis*, *Lebete*, *Lebetes*, cujus primum *e* mutatum fuit in *a*, & *b* in *v*, corruptione facili. Colore ſunt *ſubvirides* & *pulli*, plerumque autem *griſei*, ſeu *cinerei*, molliores, quando effodiuntur, duriores, ſi diu fuerint Aëri expoſiti, id quod omnibus aliis Saxis eſt commune. Effodiuntur autem ex *Fodinis*, quemadmodum aliæ Venæ Metallicæ, Auri, Argenti, & aliæ. *Fodinas* ipſas *Trone* vocant, Lapides autem Suris, vel Dorſo, imponunt, & γονυπετῶς, vel manibus pedibuſque reptantes, ſummo labore in dias Luminis auras protrahunt. Effoſſa magna ſatis fruſta in formam prope teretem inſtrumentis ferreis cæduntur, eo fere modo, quo Tornatores Ligna adaptant, ſed curatiori, quò tornari poſtmodùm citiùs & faciliùs poſſint. Formato ſic Lapide in Figuram teretem, ſupernè planam, infernè convexam, TAB. IX. *Fig.* 1. *Lit. A.* applicatur inferior, ſeu convexa pars *b.* calefacta priùs ad focum, bacillo ligneo *c.* pice ſutoriâ pariter ad ignem liquefactâ illito, quæ adeò firmiter lignum conglutinat ſaxo, utut valde ponderoſo, ut non tantùm abſque delapſûs periculo circumagi poſſit, ſed & poſtea vix divelli. Qui rationem cohæſionis hujus ſcire deſiderat, eum ablego ad Experimentaliſtas modernos, qui ex comparatione cohæſionis Marmorum politorum mox cuivis ſatisfacient. Agglutinato hoc modo, & Machinæ tornatoriæ applicato Saxo (uti integra

TAB. IX.



Sumptibus Reverendi D. Johannis Harris S.T.D. Societatis Regalis Lond. Socij.



gra *Fig.* 1. commonſtrat,) & Aquâ in Rotam Molendinariæ ſimilem derivata, accingit ſe Operarius in *B.* locandus labori; aſſumit Inſtrumenta ferrea *Fig.* 2. acuta, primùm rectiora *A.* dehinc gradatim magis magiſque incurvata *B. C. D.* quò profundiùs tornando Saxum excavabit. Sic ab ora extima *d.* incipiunt, & maximam prius Ollam excavant, mox proximè minorem aliam, donec deventum fuerit ad intimam omnium, & minimam. Proceſſum hunc graphicè ſatis deſcripſit *Scalig. l. c. Ex eo* (Comenſi Lapide) *Lebetes efficiunt tantà tenuitate, ut penè ductiles videantur*; (certè tam tenues, ut cultri craſſitiem vix ſuperent.) *Exciſum Lapidem Lebetis extrinſecùs adornant formâ. Excavant deinde tantâ dexteritate, ut interior maſſa tota eximatur integra. Tum ex ea tertia. Ab illa quarta. Ac deinceps alia: quoad exeat puſillarum capacitas Ollarum. Itaque in Mercatibus plures aliis alios inſertos, perinde atque ſi una eſſet moles, admirere. Exquiſita quoque ac ſubtili arte fundos ex aliis lapideis orbibus ære aſſuunt, atque agglutinant. Æneiſque circulis adverſus offenſiones, atque diſſolutiones, aut ferreis, muniunt.* Conf. *Fig.* apud *Geſner. l. c.* quæ Scaligeri mentem ſatis ſupèrque exprimit; & *Gul. Ræt. p.* 196. qui de Plurienſibus teſtatur, eos quotannis plures quàm 60000. Coronatos aureos fuiſſe ex commercio hoc Lapidum Ollarium lucratos. *Fig.* 3. exhibet Inſtrumentum recurvum ferreum, aciei latiuſculæ, quâ extantias ultimas Ollæ jam tornatæ, ſed ab ambiente aliâ avulſæ, reſcindunt, & ſic imum fundum lævigant. *Fig.* 4. autem ſiſtit nativis coloribus Ollam talem, quales communiter fabricari, circulis ferreis muniri, ſic præparatæ autem vendi, aliorſum mitti, & uſibus culinariis impendi ſolent. Ita nobis quoque Clavennæ & Plurii contigit, quod *Franciſco Nigro in Deſcript. Rhæt.* cujus hi ſunt Verſiculi.

Conſpexi mirâ tornarier arte
Hic Lapides, fierique cavos, atque inde parari
Vaſa miniſteriis, humaniſque uſibus apta,
Præſertim Cibis accommoda ritè coquendis.

Ex hactenus allegatis Authoribus ſua hauſerunt, qui conſuli

 poſ-

poſſint, *Wagner. Helv. Cur. p.* 316. *Majol. Dier. Canicular. Part.* I. *Coll.* 8. *Lombard. in Tranſpadan. Lombard. p.* 700. *de Laet de Gemm. & Lapid. p.* 126. *Hieron. Zanch. Oper. Theolog. Tom.* III. *c.* 6. *p.* 397.

Loca Lapidis hujus Tornatilis hactenus quidem cognita ſunt ſequentia.

Uſcionum ad oppidum *Clavennam*, cujus Incolæ ferè omnes hac Lapidum Ollarium mercaturâ vivunt. *Gul. Ræt.* 193. *b.*

Haud longè *Plurio* in locis *Daſile* & *Carotto* montoſis. *Wagner. Helv. Cur. p.* 317. *Gul. Ræt.* 196. *Geſn. l. c.*

In Valle *Mallenga*, *Malenco*, *Malenckerthal*, quæ pars eſt *Vallis Tellinæ*. *Gul. Ræt.* 181. *b. Wagn. l. c.*


Ad radices *auriferi montis*, *des Goldbergs*, ſupra *Thermas Maſſinenſes* in *Valle Tellina*. *Gul. Ræt.* 188. *b.*

In Valle *Verzaſca Locarnenſis* Præfecturæ, quæ XII. Pagorum Helvetiæ dominio paret, reperiri ejuſmodi Ollares Lapides, & inde parari Ollas non ita pridem inaudivi.

Plurii Reliquiæ. Officinis Lapidariis relictis contulimus nos in Palatium Nobilium D. *Wertematorum*, qui *Franci* cognominantur, & ex Vico *Vertemate* Ducatûs Mediolanenſis originem ſuam trahunt. Eſt hoc Palatium magnificum, vel id propter viſu digniſſimum, quòd unicum ſit ſplendoris & divitiarum, quibus olim ſuperbiit *Plurium*, *Plurs*, monumentum. Interiit autem, partim in Terræ Viſcera abſorptum, partim vicini Montis, *Conto* dicti, lapſu obtectum, partim etiam *Mairæ* fluvii inundatione deletum *Plurium* hoc, quod olim à *plorando* nomen accepiſſe dicitur, deplorabili prorſus caſu A. 1618. d. 25. Aug. Miſerabili hoc exitu periit *Pagus ampliſſimus*, *Palatiorum*, *Hortorum*, *aliorum Ædificiorum ſplendore verè Regius*, & funditus quidem, ut nunc nec vola maneat, nec veſtigium; excepto, quod ſubingreſſi ſumus, Palatio, quod Principe haud eſt indignum, ſtante tamen Plurio non merebatur aliud, quàm domunculæ voluptuariæ, *Sommerhaüſlein*, cognomen, intuitu Palatii, quod in Vico ipſo poſſidebant præfati Nobiles, cujuſve pictura in Palatio viſitur ſuſpenſa.


E re-


Le Gros Bourg de
PLURS.
en Suiſſe, avec ſa Ruine.
1. St. Jean.
2. Chateau des Beccaries.
3. Maiſon de Plaiſance de Pierre Moren.
4. Egliſe de St. Marie.
5. Laretzen Gruben.
6. Werdemans hauſs.
7. Palais de Abr. Brochi.
8. Palais du Podesta.
9. Boucherie.
10. Egliſe Cathedrale de St. Caſſian.
11. St. Anthoine in Sanegnio.
12. St. Abondio.
13. Egliſe de Notre Dame de Prosto.
14. Palais de Vorteman in Rongalia.
15. Maiſon d'été in Seilano.
16. Jardin de Vorteman.
Meraſſa



Tab. X.

It. 2.



Sumptibus D. Georgij Howe, M.D. Coll. Med. Lond. Socij.

E regione *Plurii*, cujus loco nunc ſunt campi & prata, cum *Maira* Fluvio decurrente, præceps ruit ex Monte *Savonienſi* inſignis latitudinis, atque altitudinis (quam centumpedalem circiter æſtimavi) *Catadupa*, quâ pulchriorem hactenus non vidi. Ex earum eſt genere, de quibus *Iſaacus Voſſius Obſervat. in Melam. L. III. c. 5. p.* 246. *Ubi eſt ingens lapſus, ibi immenſa circum circa eſt adſperſio, quæque ad aliquot ſæpe pertingit ſtadia, quod & ipſum in Helvetiis, & alibi experti ſumus.* Irrorantur continuâ hâc adſpergine vicina prædia, & qui adſtant homines ab Aquâ in guttulas reſolutâ brevi madent. Aſt omne incommodum, quod ſentit curioſus Aquâ perfuſus, diſcutit tum *Catadupæ* ipſius, tum *Iridis* circularis, & pulcherrimæ aſpectus, cujus peripheriam ipſe pedibus calcat. *Catarrhactam* ipſam cum *Iride* ad vivum delineat TAB. X. Taliſmodi Irides conſpiciuntur alibi ad Rheni Catarrhactas, uti ad celeberrimam illam prope *Lauffam*, Ditionis Tigurinæ Arcem, quam ſequentibus verbis expreſſit *Henr. Glareanus in Panegyrico Helvet.* *Catadupa Montana.* *Iris circularis.* TAB. X.

Hic rapidus refluente in gurgite vortex
Cernitur Euripum referens Scyllæque voracis
Latratus, hic unda alta de vertice montis
Lapſa ruit præceps, ſterilemque eructat arenam
In circum, ſurſumque volans portendere Nubem
Aut Nebulæ ſpeciem, & Cœlum pulſaſſe videtur.

Item ad ejuſdem Rheni Catarrhactam, quam ſupra depinxi, *Seſſamninam* inter Vallem & *Spelucam* conſpicuam. De *Iridibus* id genus aliis extra patrios fines reperiundis vid. *Gaſſend. Animadv. in X. Diog. Laërt. Libr. p.* 1124. *Ath. Kircher. Mund. Subterr. Tom. II. p.* 115. *Olear. Itiner. Perſ. Lib. I. cap.* 10.

Hinc læti diſceſſimus, viam proſecuti per ſequentia loca; *Santa Maria di Proſto*, qui primus eſt Juriſdictionis Plurianæ Pagus, & A. 1676. ingens ſuſtulit damnum à defluâ per Torrentem argillaceâ materiâ, quâ obruta fuêre prædia, eradicatæ Arbores, vaſtatæ Vineæ; *Sant Abundius*, ſive *Rongalien*; *Santa Croce*; *La Villa*, ſeu *Pontelien*; *Caſtaſegna*, *Caſtanetum*, *Canetum*, cui nomen dedêrunt numeroſæ *Ca-* *Juriſdictio Pluriana.* *Caſtanetum.*

ſtaneæ, quibus undique cingitur hic Pagus. Hîc nobis innotuit Rev. atque Doctiſſimus Loci Paſtor, D. *Suicerus*; quo comite venimus *Solium*; ubi horâ 6. pomeridianâ, cœlo ſereno, fuit altitudo *Mercurii* 21½. *Scrup.* unde judicavimus nos eſſe 1760. *pedibus* ſuperiores *Clavennâ*, *Tiguro* autem 1480.

Solium.

Soglio, *Solium*, *Soy*, *Solg*, *Soilg*, Pagus *Prægalliæ Vallis* haud poſtremus, quem inprimis nobilitat illuſtriſſima Familia *de Salicibus* (*de Salis*) quæ adhuc eſt prædives, & Arte Marteque inclyta, atque Genealogiam ſuam (ab Illuſtr. D. *Rodolpho de Salicibus*, Gubernatore quondam Vallis Tellinæ præſtrenuo, Fautore meo æſtumatiſſimo, ſtudioſè collectam) protendit ad *Andream Salicum*, qui Valli Prægalliæ immigravit A. 1060. Inter primos etiam Stemmatis Nobiliſſimi Patres numerat alium *Andream*, qui emit *Alpem Juliam* A. 1092. quam etiam nunc Familia poſſidet; alium item *Andream*, Capitaneum *Friderici I. Imp. A.* 1172. & in Expeditione Syriaca A. 1188. In ſplendido Familiæ hujus prænobilis *Saliceæ* Palatio honorificè excepti, & humaniſſimê tractati manſimus per biduum.

De Salicibus Illuſtris Familia.

Solii altitudo licèt juxta computum paulo ante factum ſit inſignis, Solo tamen gaudet non infœcundo, quoniam *Solio Sol* eſt benignus, per totum ferè diei decurſum radiis ſuis hunc locum illuſtrat, & calorificâ ſuâ vi recreat, ſitus porro Meridionalibus Ventis aditum liberum concedit, quem Borealibus aſperis denegat.

Solii ſitus.

Vallem Prægalliam, quæ aliis quoque nominibus audit *Pergallia*, *Bergallia*, vulgo *Bergell*, ab Oriente in Occidentem protenſam, perſpirant quoque *Venti* ſereno tempore *periodici*, manè quidem *Euri*, à Meridie *Zephyri*, quorum ratio eadem cum eâ, quam ſupra expoſui occaſione Ventorum Statorum in Lacu Rivario.

Venti Stati Prægalliam perſpirantes.

Die 13. Calend. Aug. horâ veſpertinâ fuit cœlo ſereno *Mercurii* altitudo 22. *Scrup.*

E regione *Solii* verſus Meridiem ſurgunt Montes inter *Vallem Tellinam*, & *Prægalliam* interjecti, TAB. XI. quorum conſpectu utuntur Solienſes loco Horologii Solaris, ut

TAB. XI.


hinc

Tab. XI.

Pl. 2.



Sumptibus D. Johannis Chamberlayne Armigeri, Societatis Regalis Socij.



hinc etiam ratio Nominum, quibus Gnomones hoſce à Naturâ erectos inſigniunt, derivanda veniat. Quando enim Sol ad *A. Piz delle nuove*, nona numeratur hora matutina; acceſſu autem ſuo ad *B. Il Piz delle dieci*, deſignatur decima; ad *C. Il Piz delle undeci*, undecima. *Hi proinde* (ad imitationem *Gothorum*, de quibus *Rudbeck. Atlantic. Part. I. p.* 89.) *ex certo aliquo Villarum ſuarum loco tanquam centro, ad peculiaria Montium cacumina, vel Arbores inſigniores, & à ſe longiſſimè remotas, Solis Lunæque ortum & occaſum obſervare ſolent, ut ex obſervationibus de——diebus horiſque diſcernere poſſint.* *Montium altiſſimorum culmina Gnomones ſunt naturales.*

Die 12. Cal. Aug. horâ 6. matutinâ fuit *Solii* altitudo *Mercurii* $21\frac{1}{2}$. *Scrup.*

Finito prandio diſceſſimus, ut aſcenderemus per *Prægalliam Vallem*, in qua ordine locantur ſequentes Pagi: *Bondo*, ad radices præfatorum Montium. *Caſtelmuro*, *Caſtelmur*, ubi valida olim Arx fuit à Clavennenſibus & Plurienſibus occupata A. 1272. Separatur hoc *Muri Caſtro Infra-Porta* à *Sopra-Porta*, *Prægalliæ* partes; *Catſchor* pertinet ad Parochiam *Stampenſem*; *Stampa* ipſa à Nobilibus ejuſdem nominis ædificata; *Montatſch*; *Coltura*; *Burgum Novum*, *Borgo nuovo*; *Vicus ſupremus*, *Vico ſoprano*, *Veſpran*, primarius Prægalliæ Pagus, ubi conveniunt Judices criminalia, & controverſias alias decidentes. *Caſatium*, *Caſaccia*, *Caſatſch*, ſitum ad pedes duorum Montium, *Malojæ* & *Septimi*, quod A. 1673. ſemiſepultum fuit à Montis vicini caſu. Hiſtoriam ſequentibus verbis ad me perſcripſit Cl. D. *Joh. Jacobus Piceninus*, V. D. M. Solienſis, Liter. d. 18. Aug. 1700. *Hujus Infortunii ante centum & plures annos apparuêre primordia, ruente tunc temporis montis vicini parte, quæ prædia multa, illæſo tamen pago, deperdidit: Anno demùm* 1673. *menſe Aprili, liqueſcente Nive, & cumprimis menſe Julii delabente Imbre, corruit materia argilloſa, ac ſatis tenax ſubcœrulea, quæ Ædificia, paucis altioribus exceptis, ad Tectorum uſque culmina replevit. Hoc cumprimis mirum videbatur, quòd rivulus vix ad adaquandum pratum ſufficiens, magnam materiæ molem, cui nullis repagulis reſiſte-* *Prægallia Vallis.* *Caſaccia à caſu Montis vaſtata.*

re,

re, atque reniti licebat, protruſerit. Veſtigia viſuntur adhuc.

Altitudo. Hîc (*Caſacciæ*) fuit horâ 6. veſpertinâ *Mercurii* altitudo 31½. *Scrup.* ut hinc altior ſit hic Pagus Soglio 800. Clavenna 2560. Tiguro 2280. *ped.*

Malog-gia Mons. Die 11. Cal. Aug. fuit ibidem *Mercurii* altitudo 32. *Scr.* Inde digreſſi conſcendimus *Maloggiam* Montem, qui etiam vocatur *Malogia*, *Maloya*, *Maloja*, *Malojus*, *Melojen*, & *Juliarum Alpium* eſt portio, *Engadinam ſuperiorem* interſtinguens à *Prægallia Valle.* Aſcenditur Mons hic per viam ſalebroſam ſatis & præcipitem, in cujus ſummo ad Lacum mox memorandum ſitus eſt Pagus ejuſdem cum Monte nominis, in quo obſervavimus *Mercurii* altitud. 40. *Scrup.* ut adeo elevatior ſit Caſaccià 680. Soglio 1480. Clavennâ 3440. Tiguro 2960.

Septimus Mons. Lubuit hâc die pedum noſtrorum vires porro experiri: Conſcendimus itaque ramum prææltum *Septimi* Montis, qui aliâs cognominatur *Septa*, *Septmer*, *Settmer*, *Setmerberg*, *Monte de Sett*, & *Juliarum Alpium* eſt portio; viſuri in ejus cacumine Scaturigines memorabiles trium Aquarum, quæ totidem Flumina vel conſtituunt, vel ingrediuntur, & vix 20. perticarum intervallo ab invicem diſtant: Quæ verſus Aquil-Occidentem, defluunt, miſcentur *Rheno poſteriori*, quæ verſus Auſtr-Occidentem, conſtituunt *Mairam*, quæ Prægalliam, & Comitatum Clavennenſem perfluit, & prope *Mezolam* in *Larium Lacum* ſe exonerat. Verſus Ortum eſt *Aqua de Pila*, quæ in cacumine Montis format primùm *Laculum Lunginenſem* (*Lagetto di Lungin*) ita dictum à vicino Monte *Lungin*, (qui *Septimi* eſt pars,) dehinc autem præcipiti fluxu ruit in Vallem & Lacum. Fluminum horum origines propter ingentem Nivis omnia obtegentis copiam perſpicere non fuit datum: Obvenerunt interim alia, quæ curioſitati noſtræ fecerunt ſatis. Offendimus paſſim Lapidem *Nephritico* prorſus ſimilem, & lævore veluti unctuoſo, & fiſſilitate, & colore, nunc ex viridi nigricante, qui optimus cenſetur, nunc flavo-viridi. Meruit hic Lapis peculiaribus opuſculis deſcribi ab *Aug. Clutio* & *Caſparo Bartho-*

Scaturigines trium Fluminum.

Nephriticus Lapis.

tholino, quod ad varios Corporis humani affectus, in primis autem Veſicæ renumque calculos atterendos, & arenulas expellendas fuerit uſurpatus. Ex India utraque afferri hactenus ſolebat. Invenimus in eodem Monte Alpinas Plantas percurioſas, quarum unaquæque ſuo exhibebitur loco. In ſummo cacumine fuit altitudo *Mercurii* 61½. *Scrup.* 1720. *pedibus* proin altior Pago, Caſacciâ vero 2700. Soglio 3200. Clavennâ 5160. Tiguro 4680. In deſcenſu corripuit nos pluvia, vento frigido Boreali ſtipata, ſub quorum dominio per medias ſemper & pluvioſas Nubes perpluti undique devenimus tandem in Hoſpitium. Duravit in Valle hæc Imbris effuſio per integram Noctem, dum interim Montes vicinos ad medietates ferè obtexit Nix. *Septimi Montis altitudo.*

Die 10. Cal. Aug fuit *Malogiæ Mercurii* altitudo 42½. *Scrup.* Montibus vicinis includuntur *Lacus* aliquot, ad quorum ripas progredi licet ad Acidulas uſque Sancto-Mauritianas. Primus eſt *Lacus Silienſis*, *Lago de Sils*, *der Silſer See*, memoratus quoque *Wagnero Helv. Cur. p.* 55. Alter eſt *Silvæ planenſis*, *Il Lago di Selva-piana*, iſque duplex: Sequitur *Sala* fluviolus, & tandem prope *S. Mauritium* alius Lacus profundiſſimus, Piſcium triplici genere, *Truttis* nimirum, quæ ad 10. 12. & 18. Libras uſque aſcendunt, *Naſonibus*, & *Schlarinis* (uti quidem vocant) prægnans. *Oeni* ſeu *Æni* Fluminis, quod *Engadinam* utramque perfluit, hinc per *Oeni Vallem* (*Innthal*) in *Danubium* ſe effundit, Scaturigo perhibetur primus Lacus. *Wag. p.* 55. 78. rectiùs tamen, meo judicio, omnes tres, quos modo deſcripſimus. Nondum *Oeni* nomen aſſumit Flumen ad ipſos *Lacus*, ſed demùm prope *Samadam*, *Samadenum*, quod hinc etiam nomen traxiſſe videtur, ut ſit *Samœdenum* q. *ſummum Oeni.* Prope *Celerinam* concurrunt celeri fluxu (unde etiam *Celerina* q. *Celer Oenus*) Aqua *Flaz* ex *Bernina* Monte, & alia ex *Mauritiano Lacu*, quæ *Oeni* quidem materiam affert, nondum tamen nomen habet. Ad medium ferè Lacûs *Silienſis* eſt Terminalis Lapis, confinium adnotans *Prægalliæ* Vallis & *Engadinæ*, ab uno latere inſignitus Literâ *P.* altero Literâ. *E.* *Lacus montani Oeni ſcaturigines.* *Samadenum q. ſummum Oeni.* *Celerina q. d. Celer Oenus.*

Juxta *Oeni* Fontes progreſſi devenimus trihorii ſpatio ad

Acidulæ San-Mauritianæ.

Acidulas S. Mauritianas, frequentatas admodùm à *Rhætis*, *Helvetis*, *Germanis*, *Italis*. De his plura ex Hydrographis colligere non vacat, nec etiam è re fore puto, unico contentus *Theophraſti Paracelſi* Teſtimonio, cui ſubjungam inedita quædam Epigrammata harum Aquarum Encomiaſtica, cum propriis quibuſdam Obſervationibus. Ita autem Celeberrimus Medicus, Chymiſta, & Philoſophus, *Tract. de Morb. Tartareis*, *cap.* XVI. *p. m.* 323. *Præ omnibus* (Acidulis) *quas in Europa cognovi, prædico, & extollo, inveni in Egendin* (pro Engedin, Engadina) *apud. S. Mauritium, cujus ſcaturigo menſe Auguſto acetoſiſſima profluit. Hanc qui pro Medicinæ modo potat, Sanitatem adipiſcitur, & nec Lapidem ullum, aut arenam, nec Podagram, nec Arthreticam novit, aut incurrit unquam. Per ipſam ſiquidem ſtomachus ita roboratur, ut Tartarum digerat, nihilo ignavius, ac Struthio Ferrum, Merula araneam. Nec verò Tartarum ſolum, verùm etiam alia in homine morbos ſuſcitantia, quorum materia prima in cibo & potu ſita.* Scaturit, imo veluti è Terra ebullit, ad radicem Montis, in angulo prati paludoſi, quartâ Milliaris parte circiter ab ipſo Pago, alveo ſeſquipedali in omnem dimenſionem clauditur, & domunculâ, Sacello ſimili ab injuriis externis, & pluviæ miſcelâ, munitur. Marmori nigro ad Scaturiginem ſuſpenſo inſculptum legitur duplex hoc Diſtichon:

Aſpera, quas quæris, Lymphas dant Saxa ſalubres,
Grata ſub ingratis rupibus unda fluit.
Nunc alii Cereris jactent, & munera Bacchi,
Omnis opes Tellus ducit ubique ſuas.

Alius in laudes harum Acidularum ſequentia reliquit, à Rev. D. *Jacobo Grittio*, V. D. M. San-Mauritiano vigilantiſſimo communicata.

Syria Jordanem celebrat, Judæa Betheſdam,
Unum Mauritium prædicat omne Solum.
Is lepram ſolam rapidis ut ſuſtulit undis,
Sic puncto ſaltem temporis iſta juvat:
Hic quoſvis novit quorumvis tollere morbos,
Tempore non uno ferre paratus opem.

Alius

Alius aliud.

Vis ſanus fieri? Prompta eſt Medicina, Liquores
Hos bibe. Longævo tempore ſanus eris.
Muſa canit celebres, qui præbent bibere, Fontes,
Sed verax iſte eſt, Fabula ſunt alii.

Exc. D. *Malacrida*, qui de *Acidulis* his Tractatum congeſſit adhuc ἀνέκδοτον, Annorum viginti & plurium Experientiâ fundatum, Poëticè quoque Lympham hanc Mineralem deſcripſit, & inter alia ſic:

Limpida ſcorre in queſto picciol ſeno
Onda che naſce non ha i noſtri Monti
Ma ben ſi ha dalle ſuperne Fonti
Queſta col Vitriolo, e con il Ferro
E ſpiritoſa e forte agiſce in tutto,
Apre ogni vaſe obſtrutto
Scioglie le dure Reni, e ſ'io non erro,
Chiude al Sangue l'uſcita.
O' bevanda gradita!
Certo che chi non beve
Al Fonte della vita
Vivere ò più non vuole, ò più non deve.

Alia brevitatis cauſâ omitto. Ad bilancem examinata hæc Aqua, fortiſſimi ſanè, & atramentoſi ferè ſaporis, graviſſima fuit inventa omnium, quas in toto Itinere habuimus obviam; fuit quippe ℥ii. ʒvi. *gr.* xxxvii. ut uni Libræ Medicæ inſint ʒi. *gr.* xxvi. partium Vitriolico-Salinarum, & Terrearum Martialium. Tales autem contineri indicant, præter ſaporem, quæ inſtituimus, Experimenta. A Spir. Sal. Armon. Vinoſo mutabatur nonnihil, ab urinoſo lacteſcebat, præcipitata materiâ albâ. Ab Ol. Tartar. pariter lacteum induit colorem, & ab injectis Gallis carneum primo, mox atro-rubentem. Originem ſuam debent Acidulæ Mauritianæ Venis Vitriolico-Martialibus, quibus circumjecti Montes, & his interjectæ Valles ſunt refertæ. Invenias paſſim in eâdem viciniâ *Aquas Martiales*, quæ Terram Ochraceam ſecum vehunt, & acidulum quoque ſaporem manifeſtant, qualem in

 Septen-

Septentrionali Vallis latere, è regione Fontis S. Mauritiani nobis oſtendit Rev. Loc. Paſtor. In hâc quoque περιχώρῳ abundat Terra nigra, ex qua *Sal Petræ* excoqui poteſt in copia. Ipſe S. *Mauritii Pagus* eſt Aquis dulcibus limpidis admodum dives, quæ omnium ferè Ædium fundamina perluunt.

Sal Petræ nativum.

Ab Acidulis Sancto-Mauritianis reduces ſub veſperam Silvam planam, *Selva piana*, quæ frigido ſub Aëre ſita primo ſequentis diei manè exhibuit nobis Fontem Pagi craſſâ ſatis glacie obtectum.

Silvaplana.

In Pago S. *Mauritii* fuit ſub Meridiem *Mercurii* altitudo 42. *Scrup.* ut *Malogiâ* ſit inferior 40. *pedib.*

Silvam planam inter & S. *Mauritii* Pagum eſt locus, *Campo di Ferro* dictus, quòd ibi Solum adeò durum ſit, ut nullis ferè Inſtrumentis coli aut fodi poſſit.


Campo di Ferro.

Die 9. Cal. Aug. fuit manè horâ 6. tempore ſereno, flante Boreâ, *Mercurii* altitudo $38\frac{1}{2}$. *Scr.* ut, eadem præſuppoſitâ Aëris hodierni atque heſterni temperie, hic locus foret *Malojâ* inferior 240. *pedd.*

Non obſtante penetrante frigore conſcendimus hodie, imò verò ſuperavimus *Julias Alpes*, (*Julium Montem*, *den Julien*, *Julierberg*, *Julerberg*,) non illas tamen *Livio* memoratas *Lib.* V. *c.* 34 in quas veniſſe *Belloveſus* dicitur per *Tricaſtinos*, (qui Galliæ Populi ſunt ſupra Iſaram Fluvium.) Legunt enim *B. Rhenanus*, *Glareanus*, *Sigonius*, *Simlerus*, *Tſchudius*, & plerique Interpretes alii pro *Julias*, *Invias Alpes*; nec alias inter *Carninas* & *Tridentinas* ſitas, ſeu *Venetas*, de quibus *Ammian. Lib. XXXI.* ſed *Julias Rhæticas*, quæ etiamnum antiquum nomen ſervant, admodùm *excelſæ & præruptæ, ut hyeme ferè ſint impermeabiles. Siml. Comm. de Alp.* 107. *b.* Has ſequentem in modum deſcribit *Tſchudius Helv. Antiq MS. Der Julien hat noch ſein uralten Namen, ligt beſeits zerur am Septmer. Man zeucht darüber von Stabulo Bivio (Stallen oder Bevio vorgenampt) zu oberſt ins Engadein, und entſpringt der Ynn (Ænus und nit Oenus) in diſem Berg Julien, ſo durchs Engadin Ynnthal, und Beyerland in die Donau fleuſt. Von welchem Julio aber, oder Keiſer, diſer Berg den Namen Julien überkommen, iſt mir*

Julius Mons.





Sumptibus D. Edvardi Tyson, M.D. Coll. Med. et Societ. Reg. Lond. Socij.

mir unbewuſt. Sextus Rufus ſpricht: Sub Julio & Octaviano Cæſaribus per Alpes Julias iter factum Alpinis omnibus victis Noricorum Provinciæ acceſſerunt, *&c. Iſt zuachten, das es unter Octaviano der auch Julius Auguſtus (von wegen daſs er Kayſer Julii adoptirter Sohn war) geſchehen, nach dem er Rhætiam, Noricum, und andere völcker bezwungen, wird vielleicht der Septmer ſollen verſtanden werden, ſo ein Glied Juliarum Alpium, und zerur beſeits am Julio ligt, als vorgemeldt. Dann der Julien ſo hoch und wild, daſs man den allein zu Sommerszeit, und im Winter gar nit bewandlen mag. Nomen his Alpibus videtur* Simlero de Alp. p. 108. *impoſitum à Julio Cæſare, nam ut Rufus ſcribit, Julio & Octaviano Impp. per has Alpes iter factum eſt. Deinde, ut Sabellicus refert, non procul à Julio Carnico Mons arduus, & aſcenſu difficilis eſt, eum Crucis vocant, ubi medio fermè aſcenſu prærupta rupes occurrit, cum calle anguſtiſſimo militari opere illius juſſu munito, ut ex vetuſtiſſimo Epigrammate præcipiti Saxo ſculpto, ſed magna ex parte per vetuſtatem abolito datur intelligi: Ejus principium hujuſmodi eſt, C. JULIUS CÆSAR. reliqua tum loci aſperitate, tum vetuſtate legi nequeunt.* In ſummo Julii Rhætici Jugo Columnas fuiſſe erectas, ex fragmentis adhuc conſpicuis colligere licet. Hæ Columnæ teretes ſunt ex Saxo rudi impolito formatæ, altitud. 4. pedd. 5. dig. in circumferentia 5. pedd. 2. digg. diſtant ab invicem 44. pedd. Medias inter Via Regia procedit. Vid. TAB. XII. Sunt qui ab uno Columnæ hujus latere ſcriptum fuiſſe volunt; *Huc uſque, non ultra.* Ab altero; *Omitto Rhætos indomitos.* Habuit certè quiſquis fuit Julius, quòd in hæc verba eruperit, & ab ulterioribus progreſſibus abſtinere maluerit, quàm Exercitum ſuum fortè jam ſatis defatigatum perdere, nihil in ſummo Montis jugo præ ſe videns, præter Marpeſias cautes, & ſterilia Saxa. *Cornelius Tacitus Lib. XIX. als er meldet, wie Veſpaſiani Kriegsvolck ſich gen Dietrichsbern gelagert, dem Vitellio abbruch zuthuu, ſpricht er:* Et interruptus Exercitus (*ſc Vitellii*) per Rhætias Juliaſque Alpes, ac ne pervium illa Germanicis Exercitibus foret, obſepſerat: *Zu Teutſch; und hat*

Columnæ Juliæ.

TAB. XII.

mit demſelben Kriegsvolk des Vitellii Heerzeüg aufgehebt, und hinter ſich gehalten, das ſie nit mogen durch Rhætiam, und die Alpgebirg hinüber kommen, und hiemit auch die Straſſen verlegt, und verſchloſſen den Germaniſchen Heerhauffen, die Vitellio zugezogen ſein wolten. Ob nun derſelbe Tractus, oder ſtrich der Alpgebirgen aller vom Septmer bis ans Wormbſer Joch den Namen Juliæ Alpes gehabt, oder fürnemlich der Nider Berg oder Firſt Finſtermüntz genant, ſo zwiſchen dem Ynnthal und Vinſſgoüw im Etſchland ligt, und die ringſt gemein braüchlichſte Straſs iſt Sommer und Winterszeit aus Germania und Vindelicia durch Rhætiam in Italien zu wandlen, und richtigs auf Dietrichsbern (Veronam) gaht, für den Berg Julien ſol verſtanden werden (wie ſich in vorgemeldten worten Taciti anſehen laſſt, weiſs ich nicht. Tacitum non de Julio Monte Rhætorum loqui, ſed de Juliis Alpibus apud Venetos exiſtimat *Siml. de Alp. p.* 107. *b.*) *Doch findt man Kein Gebirg in Rhætia, da Juliæ Alpes gelegen ſollend ſein, ſo des Namens Julien genemt werd, dann allein diſer Berg Melojen, oder Malojen, ſo Engadin und Bergell von einanderen ſcheidet, alſo daß die drey Straſſen,* Septmer, Julien, *und* Melojen *oder* Malojen *ein Dreyangel machend, und ligt der Kopf und hochſte Gibel des Julien in mitten zwiſchen den drey benamten Berg Straſſen. Und iſt der Malojen auch ein theil des Julien.* Hæc *Tſchudius.* In *Julii* Torrentibus viſuntur paſſim fruſta *ruberrimi Marmoris.* In ſummo *Julio* (ubi *Lacus* eſt *Montanus*, dictus *Il Lago di Giulio*) delapſus eſt *Mercurius* ad 50. *Scrup.* indicio 920. *pedd.* quibus *Columnæ Cæſaris* ſunt altiores *Silvâ planâ*, & totidem ferè, nimirum 960, *Bivio*, quandoquidem ſub Meridiem ejuſdem diei conſedit heic *Mercurius* ad 38. *Scr.* Supremum *Julii* ſupra Viam Regiam elevati cacumen Geometriæ ſubſidio comperi elevatiorem adhuc Columnis Cæſareis 2021. *pedd.* ut tota *Julii* altitudo à *Silva plana* foret 2941. à *Bivio* autem 2971. *pedd.*


Marmor rubrum.


Lacus montanus.

Julii Altitudo.

Via per Julium.

Tranſiiſſe olim frequentiùs per Julium Montem Italos in Germaniam, & viciſſim Helvetos atque Germanos in Italiam (viâ nunc uſitatiori ducente per *Viam malam* & *Speluncam*) plu-





Sumptibus D. Henrici Levett, M.D. é Coll. Reg. Med. Lond.

plurima docent indicia; & hæc inter antiqua Pagorum, quos hodie pertranſivimus, nomina, quorum expreſſa ſit in *Antonini Itinerario* mentio.

Butyrum in *Julii* montis caſis præparare vidi in Vaſe, quod exhibet TAB. XIII. & major eſt ſpecies ejus, quod vulgò apud nos uſui eſt, manu ſolâ autem ad piſtillum applicatâ verſatur, hîc autem, propter adauctam magnitudinem mechanico vectis artificio agitatur. *Butyri confectio.* TAB. XIII.

Stabulum Bivium, *Bevio*, *Stalla*, *Stabulum*, ubi prandium ſumſimus, *Bivii* nomen habuit a duplici viâ, quæ hinc patet per *Julium* in *Engadinam*, & per *Septimum* montem *Clavennam*. Sequitur *Marmels*; *Als Mulins*, *zur Mühle*; *Roffnen*, *Tinnezium*, *Tinnezono*, *Tintzen*, prope quem Pagum vidi Saxa *Marmorea* viridia, & rubra, albis venis ſtriata; *Schwainigen*, *Cunters*, cui adjacet *Reams*, *Rhcambs*, i. e. *Rhætia ampla*. In *Cunters* fuit ſub veſperam altitudo *Mercurii* 22. *Scr.* uti & craſtino manè, ut hic locus *Bivio* ſit inferior 1280. *pedd.* *Stabulum Bivium.* *Marmora varii coloris.* *Rhætia ampla.*

Sequenti die, qui fuit 8. Cal. Aug. pertranſivimus *Caſtellum imum*, *Teuffen caſten*, *Tieffen caſten*, & per Montis *Schin* tædioſiſſimos anfractus tandem devenimus ad *Pontem Rheni* prope *Furſtenoviam*. *Caſtellum imum.*

Furſtenoviæ ivimus ſalutatum Prænobiliſſ. Dominam Baroniſſam de *Schauenſtein*, quæ nobis inter alia obtulit *Caſeum caprillum*, per continuatam aliquot annorum lotionem & macerationem cum Vino & Caryophyllorum Aromaticorum infuſo in pultem redactum, delicati admodum ſaporis pro τυροφάγοις. Porrò autem progreſſi pervenimus ſerâ nocte *Richenoviam*. *Caſeus caprillus maceratus.* *Richenovia.*

Heîc fuit Die 7. Cal. Aug. *Mercurii* altitudo $7\frac{1}{2}$. *Scrup.* prorſus, uti die 13. & 14. menſis currentis, ut hic locus ſit Pago *Cunters* inferior 1160. *pedd.*

Hâc die ivimus *ad Flumina*, *Flemeſium* Pagum, *Flims*, *Flyms*, ubi *Mercurium* vidimus deſcendiſſe ad 20. *Scrup.* indicio 1000. *pedd.* quibus *Flemeſium* eſt *Richenovia* altius. Huic origo Nominis (*Flim* Linguâ Rhæticâ notat *Flumen*) ſunt copioſæ, & vix alibi reperiundæ *Aquarum* frigidiſſimarum *Flumina.*

rum *Scaturigines*, quæ ſi junctim proſilirent, Flumen conſtituerent non Rivum. Dimidio ferè Milliari à Pago videas ex radice Montis profluere, & deorſum diverſis in locis ruere, imò Torrentes ſtatim conſtituere Fontes limpidiſſimos. In Pago ipſo numerantur Origines tredecim, ex quibus Aquæ latitudine unius, dimidii, imò & duorum pedum è Terra cum ſtridore prorumpunt. Ex iis tamen aliæ ſunt temporariæ, quas ex Glacie Niveque Alpina ſolutis deducunt Incolæ, aliæ perennes, quæ Aquas ſuas hauriunt dubio procul ex amplis Hydrophylaciis, quæ in viſceribus montis deliteſcunt. Præcipuus, & maximus, Fons vocatur *Gorg.* q. d. *Gurges*; perennis hic eſt, & ſtatim ac profluxit, exercetur ad molam circumagendam. Alia loca ſunt *Furnaſch*, ubi undecim pedum intervallo quatuor Fontes ſcaturiunt. *Ilg Davôs* etiam eſt temporarius, ſed temperatior ratione frigoris. Qui Fontium horum primas Scaturigines in ipſis Terræ viſceribus ſcrutari cupit, ei facem accendit conſideratio ſitûs, quem obtinet ipſe Pagus ad radices Montis *Oberalp*, qui non terminatur in acutum faſtigium, ſed petris admodùm latis, per nullas ferè fiſſuras ſeu hiatus diſtinctis, ſive continuis veluti Alembico naturali clauditur. Dico notanter, veluti Alembico, quoniam firmiter perſuaſus ſum, eodem modo Phænomenon hoc concipi debere, quo vulgò, & facilè quidem, explicatur Diſtillatio Chymica, copioſiſſimos ex imis Montis viſceribus ad cacumen ſublevari caloris ſubterranei ope vapores aqueos, hos quoad minimam partem exhalare in Aëra, ſed appulſos petris undique clauſis condenſari in Aquam, hanc refluere & colligi in amplas cavitates, Hydrophylacia dictas, ex quibus dehinc per ſubterraneos ductus Aquæ devehuntur ad Pagum, & alia ei vicina loca, unde proſilire videtur. Experimentum feciſſe dicuntur Incolæ circa *Gurgitem*, projeciſſe ſcil. in foramen quoddam, ſive fiſſuram ſummi Montis, ſub quâ Aquas audiverunt murmurantes, Scobem Lignorum, vidiſſe autem hanc ipſam prodire per Oſtium præfati Gurgitis. Diſcriminant Incolæ has Fontium Aquas ratione bonitatis & temperaturæ; nos in pondere nullam prorſus obſervavimus differentiam,

ſed

ſed omnes ejuſdem gravitatis ℥ii. ʒvi. *gr.* xxx.) deprehendimus. Aquarum uſui, & potui adſcribunt Incolæ, ſaniſſimi aliâs, & undiquaque vegeti, quòd maturiùs caneſcant aliis, & facilè calveſcant. *Canities Flemeſianorum præcox.*

In hoc Pago reliquias vidimus damni, quod ante paucos dies d $\frac{11}{22}$. hujus Menſis, hora 8. veſpertinâ, intulit Torrens *d'ær Blaune*, qui ex *Oberalp* tanto cum impetu defluxit, ut limites ſibi conſtitutos perfregerit, & aliam novam ſectatus viam medium ferè Pagum in diſcrimen conjecit. Inde ſanè fuêre à plurium Centenariorum Saxis domus perforatæ, Stabula & Horrea diſrupta, Conclavia paſſim Terrâ, Saxis, limo in primâ, ſecundâve contignatione repleta. Talis quoque ejuſdem Torrentis Exundatio, quam *Rüfin* vocant, contigit A. 1687. Anno item 1572. fuêre tali occaſione tres domus proſtratæ, & Templum ita læſum, ut fornix deciderit. *Damnum ex inundatione Torrentis.*

Salutavimus hîc Illuſtr. D. *Gaudentium de Capol*, quem Equitis Dignitate donavit Glorioſiſſimæ memoriæ *GVILIELMVS*, Angliæ Rex potentiſſimus pariter ac pientiſſimus; & Rev. D. *Hartmannum Roſſelium*, Loci Paſtorem plus quàm ſexagenarium, cujus Pater 82. annorum vegetus adhuc eodem S. Miniſterii munere fungitur *Taminii*. Exhibuerunt hi nobis multa Humanitatis haud promeritæ teſtimonia.

Die 6. Calend. Aug. *Flumina* reliquimus, & Duce Reverendo ſimul & humaniſſimo Sene conſcendimus prææltum Montem *Flimſenſem*, *den Flimſer-Berg*, quem *Segnes* Rhæti vocant, & diſtinguunt in *Segnes zuor*, & *Segnes zuot*, i. e. Montem ſuperiorem & inferiorem. Pars hujus Montis Meridionalis, quæ Rhætiam ſpectat, eſt anhela quidem, utpote in altum aſſurgens aëra, facilior tamen alterâ Septentrionali, quæ præceps magis eſt, & in ſaxoſos abrupta ſcopulos, qui plus nobis negotii faceſſêre, quàm omnes alii hactenus à nobis ſuperati. In ſummo Montis hujus cacumine eſt πύλη, ſeu *Spelunca* celebris illa *perforata*, quam vulgò *S. Martins-loch* appellant Glaronenſes, & quotannis in Pago *Elm* die 3. Martii, ut & circa diem D. Michaëli ſacrum, tempore Autumnali per Speluncam hanc, veluti per Opticum Tubum, *Flimſenſis Mons.* *Spelunca perforata S. Martini.*

bum, Solem aſpiciunt, de quo *Wagner. Helv. Cur. p.* 237. & *Pfendler Bericht von Bergen. p.* 24. Speluncam hanc, prouti ex Rhætiæ parte eam conſpexi, delineavi cum præruptis vicinis ſcopulis, quos Rupicapræ ſæpe pererrant, in

TAB. XIV. TAB. XIV. E regione Petræ hujus pertuſæ auditur ab ambulantibus per mediam Nivem, & inde haud parùm jam defatigatis, diſtinctus admodum, & multiplex *Echo.* Ad imum ferè Montis, qui ad Glaronenſes jam ſpectat, & *Tſcheingel* Rhætis, *Schindlen* Germanis vocatur, pertranſeunda eſt via

Via anguſta periculi plena. anguſtiſſima, *die Wand*, *zur Wand*, ſatis longa, vix hîc & illic quartam pedis partem lata, infra quam in præceps abit, imò verò ruit, paries multis in locis nudus, & ferè perpendicularis, ſaxeus, centenos aliquot pedes altus, ſupra autem alius paries erigitur etiam ſcopuloſus, ut vel ex ſcopulorum acutis prominentiis, vel ex arbuſcularum ramis dependeat tranſeuntium ſecuritas, qui aliâs, ſi vertiginoſi ſint, per aliam ducuntur viam, ne vitæ periculo adeò evidenti ſe exponant. Adumbravi aliquatenus periculoſiſſimum hunc tranſitum in *Tabula Titulari* ſeu *Præliminari.*

Elma. Sic horâ 10. demùm nocturnâ *Elmam* devenimus. Grates autem DEO pro tutamine hoc aliiſque, quæ nobis in toto hoc Itinere præſtitit, debemus permaximas, non unquam intermoriturâ memoriâ dignas.

Matta. Die 5. Cal. Aug. *Elmâ* devenimus *Mattam*, *Matt.* Hîc per horulæ diverticulum ivimus viſum Montem *Blattenberg*, cui Nomen dedit *Ardeſia nigra*, *Saxum fiſſile*, ſeu

Ardeſia nigra. *cruſtoſum*, *Marmor menſarium nigrum Cordo* dictum, nobis *Schwartzer Schieferſtein, ex quo menſas pulcherrimas, nitidiſſimas, tabulas deletiles, aliaque fabricant, quæ polita cum Marmore certant Obſidiano; proinde in Germaniam, Hollandiam, Angliam, Sueciam atque Daniam ea exportantur. Wagn. Helv. Cur. p.* 304. Quod nos in loco ipſo natali obſervaverimus, paucis aperiam. Jacent ſuper invicem ordine parallelo, nec interrupto hi Lapides Fiſſiles, plani omnes, tortuoſi nulli, nec illi parvi, ſed aliqui decem pedes in longum, & quatuor in latum extenſi. Aliquando continuitatem dirimunt Venæ *Quarzi* candidi, vix octavam

di-



Sumptibus Honoratissimi D. Edvardi Southwell Armigeri, Societ. Reg. Lond. Socij, &c.



digiti partem lati, quas ſi horizontales fuerint (reſpectu ſcil. ad Strata ipſa habito) *Ziger* vocant, nomine deſumto à colore Caſei ſecundarii; ſi perpendiculares, *Gläſſ.* Fiſſiles ſinguli Lapides, quos facillimâ operâ attollunt, & ab invicem ſeparant Operarii Cuneorum ferreorum ope, in interſtitia adactorum, conſtant duabus ferè partibus, ſuperiori duriore, & inferiori molliore. Aliquando totum Saxum eſt molle adeò, ut nulli inſerviat uſui. Saxa hæc ſecant Lapicidæ in eam, quam deſiderant Menſæ, vel Tabulæ alius, formam, & domi dein magis adhuc expoliunt; fruſtis prælongis, ſed non adeò latis in aſſerum formam ſectis, aſſerum loco utuntur ad areas Hortorum cingendas. Sunt Strata hæc fiſſilia non horizontali ſitu poſita, ſed verſus Meridiem inclinata, ſicuti pleraque alia Montium Helveticorum Strata. *Stratorum Helveticorum ſitus.*

In quadam Saxorum horum fiſſurâ reperitur *Marga* pinguis, quam *Cretam albam* vocant. *Marga pinguis albida.*

Per Vallem, quæ *minor*, *das Kleine Thal*, appellatur, defluit *Sernffa* fluvius, *die Sernft*, *Serniphius Glareano*, qui in *Wepchio* monte oritur, & in *Limagum* ſe effundit. *Sernffa Fluvius.*

Eodem die perreximus *Glaronam.*

Glarona, *Clarona*, *Glareana*, *Glarus*, *Glaris*, Vicus Territorii *Glaronenſis* primarius exhibuit nobis poſtero die, qui fuit *Glarona.*

4. Cal. Aug. binas Obſervationes, quarum relatio curioſos non minùs delectare valet, quàm erudire.

In Veneratione eſt iis, qui precibus Sanctorum diverberant aures, locus elevatior paulò, *auf der Burg*, *die Burg* dictus, (quòd ibi Caſtellum olim fuerit à Territorii Domino exſtructum) Sacello inſignis, quod à *S. Felice* in honorem Archangeli Michaëlis, alii ab aliis in Sanctorum Martyrum *Felicis* & *Regulæ* memoriam conditum eſſe tradunt Papicolæ. Horum dilucidationem Theologis relinquo; detexit autem mendacis famæ fraudes id genus plures, & quæ ad rem præſentem in ſpecie ſpectant, verſatiſſimus in Hiſtoria Eccleſiaſtica Theologus noſter Clar. atque Rev. D. *Joh. Jacobus Hottingerus Helvet. Kirchen Geſchicht. Lib. II. p.* 116. 117. Addam, quod obſervavi ipſe, non Hiſtoricorum Mo- *Locus S. Felici & Regulæ ſacer.*

numentorum fide nixus, ſed à Naturâ ipſâ edoctus, atque ſic abſque ἑτέρȣ καὶ πολυπραγμοσύνης periculo, quandoquidem non in alienam meſſem mitto falcem meam. Oſtenditur in præfato loco editiori, haud procul à Sacello, Petra eminens, Naturâ cava, quam inhabitaſſe dicuntur aliquamdiu Helvetiæ Proto-Martyres prænominati à Legione Thebæâ profugi, *Felix* & *Regula* Sancti, & ibi in ſui memoriam reliquiſſe tum Characteres quoſdam, de quibus rectè prælaudatus *Hottingerus*, eos adeò obſcuros eſſe, ut in eorum lectione & interpretatione conſcius ille arcanorum fatorum Vates *Daniel* hærere poſſet, tum quoque viva digitorum ſuorum, quos quinque monſtrant, veſtigia, in TAB. XV. delineata. Sed

Digitorum à Protomartyribus Saxis impreſſorum veſtigia.

TAB. XV.


O vanas hominum mentes, ò pectora cæca!

Sunt hæ putatitiæ digitorum impreſſiones aliud nihil, quàm ludibundæ in Stalactitarum formatione Naturæ manifeſtiſſima producta. Eſſe autem Cruſtam illam mellei ferè coloris verum *Selenitem*, vel *Stalactiten*, patebit cuivis harum rerum gnaro, vel ſubſtantiam hanc Saxi cum Stalactitis aliis collaturo, qui mira in Terræ cavernis exhibent ludibria, non digitorum duntaxat veſtigia, ſed integra quoque Sacella, & in iis Organa Muſica, quorum fiſtulæ adeò ſæpe affabrè ſunt à Naturâ fabricatæ, ut ad artificiales accedant quàm prope; imò, ne deſint ſpectatores, & Comœdiarum mutarum actores, Monachos ipſos, raſa de gente Sacerdotes, uti in celeberrima illa Specu *Baumanniana*, *Hercyniæ* comitatu *Reinſteinenſi* ſita, quam fuſè deſcripſit nuperrimè citatus ſupra *Behrens Hercyn. Cur. cap.* 1. Antri hujus Miracula ita inter alia depingit Carmine Elegiaco *Joh. Ludovicus Furerus.*

Quodque fidem ſuperat, ſtillantes marmora guttas
Efficere, & veris reddere imaginibus.
Jurares Sipylo Nioben, Spectator, ademptam,
Uxoris ſtatuamque hîc ſupereſſe Lotho!
Phinea quis dubitet, Cephalique in Marmore Cervi,
Ulterius ſi quis progrediare, Canem?
Perſea Gorgoneos nempe hîc poſuiſſe Colubros
Credibile eſt, imisque occuluiſſe locis.

In

Tab. XV. Pt. 2.



Sumptibus D. Guilhelmi Musgrave M.D. Coll. Med. et Reg. Societ. Lond. Socij.



Inde rigor Steropum, Ferri qui pondera mulcent,
Infuſcant tuas, Buda, frequenter Aquas.
Minima mira! DEI quos non ſe extendit in actus
Mira manus! I nunc, poſce, Sophiſta, modum.


Quid dicam de Lapide illo *Monachiformi*, qui duos repræſentat Cuculligeros, & ob id *der Münch-ſtein* vulgò vocatur, in viciniâ Cœnobii *Michaëlſteinenſi* Comitatus *Blankenburgici?* De quo *Behrens lib. cit. p.* 128. Sic, videmus, ſuperſtitio in auxilium vocat ipſam Naturam. Sic ex ludibrio Naturæ formant Pontificii Miraculum. Sic olim in Spelunca quadam Montis *Kingleang*, ad urbem *Jengan Chinæ* excidi juſſit Imperator quidam, ex Lapide unico (quem *Stalactitam* πολυμόρφον fuiſſe auguror) mille Idola, teſte *Neuhof. Siniſch. Reiſe beſchr. p.* 315.

Diſcuſſis Fabulæ Hiſtoricæ Nebulis, confero me ad χλωρότυρον, ſeu *Caſeum raſilem Glaronenſium*, qui *Schab ziger* vulgò audit, quòd radi ſoleat ab his, qui ejus deliciis capiuntur. *Caſeus Glaronenſium raſilis.* Hoc Caſei genus graphicè ſatis depingit *Deodatus Panthei Hygiaſt. Lib. I. c.* 34. *Habent &* (Helvetii) *aliud Caſei genus*, Schab-ziger *vocatum è variis Alpinis herbis ſalutaribus & aromaticis Plantis* (falſum hoc, non alia quippe planta ingreditur hunc Caſeum, præter *Lotum hortenſem odoram*, cui *Geſnerus de Lact. p.* 48. adjunxit *Imperatoriam*, quæ tamen hodie non eſt in uſu) *caſeoſæ ſubſtantiæ recens intuſis permixtis, & probè ſubactis paratum, fortique torculari preſſum, quod cum incidendi, abſtergendi, attenuandique facultate polleat, nec facilè ventriculum lædat, ni largiore manu ingeratur, & appetitum invitet, eo quiſque parcâ tamen manu, & primâ menſâ, appetitus irritandi gratia, uti poterit.* Defenſionem hujus Caſei, quem pro *Elemento Terræ* per jocum habuerunt aliqui, in ſe ſuſcepit *Conr. Geſner. lib. cit. de Lact. p.* 51. 52. cui *in Glaronenſem Caſeum iniqui eſſe videntur, qui ipſum ut rem viliſſimam omnium Elementorum Terræ comparent, obliti quàm pretioſus ſit, quàm ſalubris, quàm jucundus, quanta denique gratia cibi potuſque faſtidium removeat: Stomacho gratus & utilis, ſupinum excitat, abundantes ejus humores ſiccando conſumit, qualitate*

 noxios

noxios emendat, herbarum beneficio, quibus optimis lectiſſimiſque tanquam antidotis & antipharmacis quibuſdam conſtat, ut rectè nonnullos æſtimare vim ejus credam, qui loco Theriacæ facultatis ipſum commendant. τυροποιήσεως hujus (quam recenſere in animo habeo) ut Appendicis loco inſervire poſſit ad *Lactis Operumque Lactariorum deſcriptionem*, quam ante annum exhibui) Proceſſus ſequenti modo ſe habet. Erigitur hinc inde, *Glaronæ* & *Mattæ* cumprimis, Torcularis genus, quod appoſitè vocant *ein Zigerreibe*, depictum TAB. XVI. *Fig.* 1. In hoc præcipuè attendi debent anſulæ duæ *A.* & *B.* quarum Illa materiam contentam à lateribus aufert, & in aream mediam derivat, hæc verò eandem non evagari ſinit, ſed eò derivat, ut à Lapide *C.* Molari ſimili conteri poſſit, & exactè ſubigi. Huic Machinæ infundunt Caſei viridis ingredientia, e. g. Caſei ſecundarii macri, cujus ſcil. cauſa materialis Lac cremore fuit privatum, quem *Zyger* vulgò vocamus, à ſero omni liberati, & ferè exiccati, centenarium unum, Salis communis, & Trifolii odorati, (quod ob hunc ipſum uſum *Zyger-Kraut* appellant, in arvis colunt, *Lotum hortenſem odoram* nuncupat C. B. *Lotum ſativam odoratam annuam flore cœruleo* J. B. ad *Meliloti* genus autem referunt *Hermannus*, *Moriſonus*, & *Tournefortius*, cum recentioribus Botanicis aliis) ana. quadrantem Modii. Hiſce in aream Machinæ *D.* profuſis molam Caſeariam ab affluente extus rivo *E.* circumagi jubent per bihorium ferè, quo temporis ſpatio affuſa materia exactè commiſcetur, & abſque ullâ ulteriori operâ ita ſubigitur, ut poſtmodum non aliâ re opus ſit, quàm adimpletione *Modulorum, der Zyger-Kublen*, *Fig.* 2. in quos caſearia Maſſa cogitur ſubſidio *Piſtillorum*, *Zyger-Stöſſlen*, *Fig.* 3. & complanatur *Malleo* ligneo, *mit dem Tätſcher*, *Fig.* 4. ibique tam diu linquitur, uſquedum debitum exiccationis gradum obtinuerit. Tunc modulis ſuis eximuntur *Caſei*, *Fig.* 5. & ordine ſuper aſſeres collocantur in Conclavibus temperatis, quæ reſerari probè debent undique, ſi Aëris conſtitutio fuerit frigidior, & ventis agitata, ad præcavendas fiſſuras. De viribus hujus *Caſei* ſi à priori judicium ferre liceat (à poſteriori enim commendat bonitatem quo-

TAB. XVI. *Fig.* 1. *Fig.* 2. *Fig.* 3. *Fig.* 4. *Fig.* 5.



Sumptibus D. Guilielmi Williams, A.M. Coll. Exon. Oxon. Socij.



quotidianus multis uſus) præſumi omnino poteſt, quòd Caſei vulgati denſitas, & ſtomacho incommoda gravitas, ob quam nequitiæ accuſatur à Medicis, niſi per avaram veniat manum, corrigatur particulis tum ſalinis, tum oleoſis-aromaticis Trifolii odorati, atque ſic ventriculo, & reliquo Corpori non tantùm non officiat, ſed maximè proſit, poſſit aſſumi à delicatioribus etiam, vel ante cibum ad appetitum ciendum, vel poſt cibum ad digeſtionem promovendam.

Eodem die in Planitie Glaronenſi dimenſus ſum Semicirculi Geometrici ſubſidio altitudines *Montium* ſequentium;

Glaronenſium quorundam Montium altitudines.

	pedd.
Glarniſchii anterioris, des vorderen Glärniſch (poſterior enim, & altior, hîc non conſpicitur)	2431
Schilt, qui ſeſe erigit ſupra *Ennetbühl* & *Enneda*	3976
Wyggis, *Wygisberg*, cujus partes ſunt *Rautiſpitz* & *Schyenſtock*	3571

unde patet *Glarniſchium anteriorem* altiorem eſſe *Clypeo* 256. *pedd.* & *Wygiſio* 660. hunc autem à *Clypeo* ſuperari 404. *pedd.*

Glaronâ eodem die diſceſſimus, & *Veſenam* tendimus, ut ibi ſecundo *Limago* fluvio repeteremus *Lacum Tigurinum*, quem eodem adhuc die attigimus, imò *Horgam* uſque pernavigavimus.


Nider-Urnenſibus illatum damnum ex Inundatione.

In viâ vidimus triſtes reliquias damni, quod *Nider-Urnenſes* experti ſunt die $\frac{2}{13}$ Aug. ab exundatione Torrentis, qui, parùm abfuit, toti ferè Pago ultimum exitium attulit. Hiſtoriam Facti perſcripſit ad me Rev. Loci Paſtor D. *Joh. Henricus Faſius*, qui poſt *Alexandrum Roſæum*, Anglum, occupatus nunc eſt in *Virgilio Chriſtiano* adornando. *Agebatur*, ita ſeſe explicat in Literis die 1. Sept. ad me datis, *dies* 2. *Aug.* (ſtyl. vet. apud Glaronenſes adhuc uſitati) *iſque ſerenus ſatis. Sub veſperam videbatur quidem Cœlum pluvias, aſt aliis potiùs quàm nobis minari, unde Molliſienſibus, aliiſque nobis ſuperioribus pagis metuebam. Ingens illic alibique videbatur eſſe pluvia, fuitque nobis adhuc nonnullâ ſerenitate gaudentibus, & plenam mox expectantibus: Mox autem Nubibus & noſtrum cœlum offundebatur atris,*

Scindit ſe Nubes, & in Æthera purgat apertum.

In-

Intra horam 6. & 7. non guttatim, ſed ſitulis Aqua effundi videbatur; unde de Rivo noſtro (qui vocari poſſet der Dorff-bach, quoniam extremam Pagi noſtri partem interluit, ad differentiam alius, qui dicitur der fallende, & cum illo prope Montem ſeſe conjunxit, colle licet interjacente) cum aliis ſollicitus, Ponti mihi vicino, talibuſque occaſionibus ad avertendum periculum & damnum removendo operam daturus, accurrebam, ſed ſerò nimis, æquè ac alii; vix enim domo egreſſus obvios habui in Arboreto meo, ædibus contiguo, viros, fœminas, fugientes, plateas domoſque ſuas ob metum intumeſcentis rivi deſerentes, meam domum, ſecuritatis gratiâ, petentes, & celerem mihi fugam, ſeu reditum, ſuadentes: Stupenti, remeanti, domumque repetenti inundatio jam præſens conſpicitur, pedibus quaſi meis, aliorumque hærens, ædes, à rivo licet ſatis remotas, alluens, & talem impreſſionem faciens, ut januam claudere ob inſequentem Aquam vix licuerit; ubi de Hypocauſti feneſtra proſpexi nihil occurrebat, niſi, ut ita loquar, cœlum undique & pontus: Lacus, inquam, cum impetu, per totum deletus pagum, ſepta perrumpens, obvia quæque Ligna, aliaque auferens, ædium, cellarumque oſtia multis in locis effringens; hypocauſta, veſtibula, culinas aquis complens; pontes omnes diſpellens; muros quibuſdam in locis ſternens; arbores frugiferas paſſim decorticando lædens, aut eradicando prorſus perdens: In Templo ipſo natabant ſubſellia; ædificia impetui primo viciniora, fullonica, & mola, neutra tamen habitata, imis à ſedibus eruta ſunt; alia ſtabula & ædes ita deperditæ, ut nec veſtigium ſuperſit. Cum ſtabulo quodam periit miſerè filia quædam Pontificia. Erant viri, qui fœminas tergis in loca altiora portabant; alii præ terrore animi deliquia paſſi ſunt; multi inciderunt in Scyllam, evitaturi Charybdim; quidam ædes ſuas deſerentes, aliò fugituri, arbores ſcandere coacti ſunt. Noluit tamen Omnipotens & Miſericors DEUS πανολεθρίαν *noſtram, quæ ſequuta fuiſſet, maximam ſaltem partem, niſi Aquæ maturè, & diverſis in locis, ex alveo ſuo ſatis anguſto, & ſaxis repleto, erumpentes diviſæ prius fuiſſent, quàm ipſum attigerant Pagum. Tanti, & tam inopini, Diluvii cau-*



Sumptibus Reverendi D. Wilhelmi Derham, Societ. Reg. Socij.

cauſa fuiſſe videtur ingens Tempeſtas grandine mixta, (cujus integri cumuli poſtridie adhuc erant conſpecti) quæ in Montibus Nider-Vrnenſibus tantâ copiâ effuſa fuit, ut altitudine ſuâ domos æquârit, eique integræ Abietes, Aquarum impetu eradicatæ, innatârint erectæ; unde tanta Aquarum vis in Alpibus collecta, poſt damnum Montanis paſcuis illatum, cum impetu & fragore deorſum ferebatur, abietes trahens, ſylvulas eruens, ſaxa, ſaburram volvens: Alveus rivi in planioribus locis, ad radicem Montis, propter tantam materiarum molem aliquamdiu obſtructus creditur, inde majore cum impetu, etiam locis inſolitis & altis tandem erupit, omnibus obſtaculis victis, & incredibili Saxorum, Saburræ, Lignorum multitudine eructatâ multa prata prorſus obtexit. Virgilii verſus heic applicare licet:

Tunc etiam immenſum cœlo venit agmen Aquarum
Et fœdam glomerant tempeſtatem imbribus atris
Collectæ ex alto Nubes: Ruit arduus Æther.
Et pluvia ingenti ſata læta, boumque labores
Diluit: Implentur foſſæ, & cava flumina creſcunt
Cum ſonitu.
Vel hæc:
In ſegetem veluti cum flamma furentibus Auſtris
Incidit; aut rapidus montano flumine Torrens
Sternit agros, ſternit ſata læta, boumque labores,
Præcipitesque trahit Sylvas: Stupet inſcius alto
Accipiens ſonitum ——— de vertice Paſtor.

Ultimum Phænomenon, ut nobis ex curioſo Itinere feliciter per DEI Gratiam redeuntibus veluti aggratularetur, exhibuit *Sol*; induens ſeſe novo prorſus, mihi ſaltem nunquam viſo, habitu. Circa horam 5. Veſpertinam, cœlo nubilo, comparuit nobis fulgidiſſimum aliâs Sidus per aliquot ſaltem momenta, & medias Nubes, amœno purpuro-cœruleo colore perfuſum, eo ferè modo, quem TAB. XVII. exhibet. *Solis vultus cœruleo habitu indutus.* TAB. XVII.

OBSERVATIONES BOTANICÆ.

LAudabilem præſtitêre operam Superioris ſeculi *Botanici*, quod *Plantarum Synonyma* in ampliſſimo Veterum Scriptorum campo diſperſa collegerint in certas *Claſſes*, & hâc ratione dividenda ſejunxerint, conjungenda univerint. Multa illi egerunt, ſed non peregerunt omnia. Invenerunt, & inveniunt quotidie Βοτανικώτατοι Viri, *Hermannus*, *Rajus*, *Sherardus*, *Turnefortius*, *Volckamerus*, mutanda, illuſtranda, corrigenda, extricanda in *Bauhinorum* Scriptis. Quam illi in horum Laboribus perpoliendis ſumſêre licentiam, hâc & mihi licebit uti erga ipſos *Bauhinos*, *Boccones*, *Rajos*, *Turnefortios*, magna in Republica Botanica Nomina; tanto facilius autem, quoniam ad elucidanda Alpinarum Plantarum dubia nemini tam prompta ſuppetit occaſio ac mihi, qui propenſo feror à tenera ætate ad hoc ſtudium impetu, & ab Illuſtribus Viris, Fautoribus & Amicis jugiter colendis, *Hottono*, *Sherardo*, *Turnefortio*, *Volckamero*, admoneor indies, ut vires meas circa hoc quoque Objectum experiar, Plantas in ipſis locis natalibus ſtudioſe conquiram, deſcriptiones ex ſiccis factas corrigam, rarioribus Icones addam, multiplicata præter neceſſitatem ſubtraham, incongruè unita dividam, obſcura illuſtrem, nova nota Orbi reddam, & ubivis id agam, quod Studii hujus Nobiliſſimi ulteriorem perfectionem, & ad ipſam Praxin Medicam, proficuum fore puto. Quicquid igitur obſervo, quicquid ex obſervatis annoto, ex annotatis refero, id unicè Veritati ſacrum eſſe volo, & illis ipſis, quorum hallucinationes recenſeo, ingenuâ mente commendo, imò ſubmiſſa manu corrigenda amplius offero.

1. *Acetoſa rotundifolia Alpina* C. B. Duplicem invenio Plantam, quæ hanc mereatur denominationem; Unam in ſummis Alpium jugis, quæ *Bauhinianæ* Deſcriptioni convenit; alteram in Spelugæ Montis deſcenſu, quæ *folia* habet etiam *Violæ luteæ Alpinæ modo rotunda*, *unguem*, imò unciam plus minus, *lata*, *pediculis tres*, *etiam quatuor uncias longis & tenuibus*, imò verò capillaribus ferè, *donata*, ſed Radicem craſſam, longam, ſupernè in plura capita diviſam, ex quibus ſingulis exſurgunt *Caules* craſſi, ſtriati, ſemipedales, in unam, vel duas biunciales triuncialéſve ſpicas florum terminati.

2. *Acetoſa Cambro-Britannica montana* Park. *Acetoſa rotundifolia repens Eboracenſis folio in medio deliquium patiente*. Moriſ. Hiſce Titulis inſignio Plantam, qua *vix alia in re*, *quàm foliis rotundis ſpiſſis virentibus*,

bus, *medio deliquium patientibus*, imò non niſi virore foliorum à vulgari *rotundifolia* differt, & paſſim in præruptis Alpium Helveticarum ac Rhæticarum lateribus, imò & ad ſepes, & prope maceriascreſcit. Pediculi florum, qui ex geniculis prodeunt, bini vel quaterni, coloris ſunt atro-rubentis, uti quoque foliorum calycem conſtituentium margines, ſeminalium conceptaculorum fimbriæ, & apices. Stamina florum ſunt pallidè lutea, coccineâ rubedine quandoque notata. In Valle Prægallienſi occurrit paſſim Planta hæc foliis maculatis, ſeu maculis quaſi albis in umbilico foliorum notata.

3. *Acetoſa montana maxima* C. B. *Acetoſa ſylvatica maxima* J.B. Ad Spelugæ Montis Radices in pratis & nemoribus umbroſis verſus Campum Altinum. Non dubito, quin hæc ſit *Acetoſa montana radice rectâ pedali aut ſeſquipedali Lapathi inſtar abſque fibris* Moriſ.

4. *Allium montanum bicorne anguſtifolium*, *flore purpuraſcente* C. B. *Allium ſilveſtre bicorne purpureum proliferum* J. B. *Moly montanum gramineo folio*. Cluſ. In AltâRhætiâ.

5. *Allium montanum foliis Narciſſi minus* C. B. *Allium petræum umbelliferum* J. B. eſt ipſum *Allium ſaxatile Acori radice flore purpureo* Boccon. Muſ. p. 84. Tab. 79. floribus dilutioris purpuræ: In Altâ Rhætiâ. Fortè eſt *Allium montanum minus*. C. B. prod.

6. *Alnus montana pallido glabro ſinuato Ulmi folio* Bocc. Muſ. p. 139. *Alnus montana Ulmi folio* ejuſd. Tab. 96. Nullus dubito, hanc eſſe *Alnum Alpinam minorem* C. B. in deſcenſu Montis Flimſenſis ad Elmam pagum creſcit, & pedes decem vix unquam in altitudine ſuperat.

7. *Alſine Alpina minima glabra* C. B. ad radices Montis Galandæ, & aliarum Alpium ſatis copioſe creſcit. Folia graminea ſemunciam & unam longa habet bina ſemper ex adverſo poſita: Planta integra palmam vix exſuperat; Cæterum quadrat deſcriptio C. B. prod. p. 118.

8. *Alſine paluſtris Serpillifolia* C. B. Prod. Hoc nomine digna mihi videtur plantula tenera repens, quæ ſurculum habet tenuem quidem, ſed tenacem, ſpithamæum, & ſemipedalem, lignoſum, rubentem, foliis veſtitum crebris, rotundis, foliis Serpilli, conjugatim diſpoſitis, craſſis, & averſâ parte aliquando rubentibus: Surculi non ſunt ſimplices ſemper, ſed plerumque ramoſi: Ramulorum extremis inſidet floſculus pentapetalus albus, calice pentaphyllo ſuſtentatus. Forte eadem eſt cum noſtra hac Planta *Alſine Alpina Serpilli folio multicaulis & multiflora* Tourn. In Septimi Montis jugis collegi.

8. **Alſine tenuifolia muſcoſa* C.B.*Alſine muſcoſa quibuſdam* J.B.Jungit

* Numerus 8. in priori editione bis erat poſitus; nec mutare quid hic voluimus, ne, ubi ex ſequentibus quædam ab aliis Scriptoribus juxta priorem editionem citarentur, Lector offenderetur, aut aliquid mendi irrepſiſſe ſuſpicaretur.

git *Rajus* dubitanter *Alſinem Saxifragam anguſtifoliam montanam minimam* Col. Et ſane videtur hæc, quam præ manibus habeo, mereri inſuper titulum *Alſines montanæ capillaceo folio* C. B. item *Alſines ſaxatilis multifloræ capillaceo folio* Tour. In umbroſis Rhæticarum Alpium.

9. *Alſine altiſſima nemorum* C. B. *Alſine aquatica major* ejuſd. *Alſine major repens perennis* J. B. haud differre mihi videtur ab *Alſine nemoroſa maxima montana* Raji, cui Synonymam facit *Alſinem montanam latifoliam flore laciniato* C. B. In nemoribus udis montoſis paſſim creſcit.

10. *Alſine Alpina ſubhirſuta Linariæ folio* Tour. mihi videtur *Auricula Muris pulchro flore albo* J. B. cui inſuper Synonymum jungo *Caryophyllum holoſteum tomentoſum anguſtifolium* C. B. Prod. In Alpibus Rhæticis paſſim.

11. *Alyſſon Alpinum hirſutum* Tour. *Sedum Alpinum hirſutum luteum* C. B. *Sedum ſaxatile foliis margine piloſo* Geſner. In Montibus altiſſimis Solio vicinis.

12. *Aſter Alpinus cœruleo magno flore* Park. *Aſter montanus cœruleus magno flore, foliis oblongis* C. B. *Aſter purpureus montanus* J. B. Ante annum adjunxi Synonymis hiſce *Aſterem Atticum Alpinum alterum* C. B. nunc inſuper aſſocio *Conyzam cœruleam Alpinam minorem* C. B. Prod. ſeu *Aſterem Atticum cœruleum minorem* Tour. In Alpibus Rhæticis paſſim.

13. *Aſteri montano purpureo ſimilis, vel Globulariæ* J. B. hæſitavi ante annum, an ſit *Aſter Alpinus flore purpuraſcente* Raji, quandoquidem hic ſit ramoſus, ille non item. Nunc autem, quum in peregrinatione hac Rhæticâ offenderim eandem hanc Plantam in duos, treſve ramos brachiatam, dubium omne depono.

14. *Auricula Urſi carnei coloris foliis minime ſerratis* J. B. *Sanicula Alpina rubeſcens, folio non ſerrato* C. B. violaceo & purpureo floris colore, ſemiuncialem & vix uncialem plantulam, cauliculis & foliis aliquantum hirſutis inveni in Septimi Montis altiſſimis Jugis.

15. *Biſtorta Alpina pumila varia* Park. *Biſtorta pumila foliis variis rotundis & longis* Moriſ. In Alpium Rhæticarum jugis.

16. *Cacalia tomentoſa* C. B. Quæ in Alpibus editiſſimis Soglio vicinis creſcit, ſatis benè convenit Deſcriptioni. *Folia habet Tuſſilaginis foliis minora* (non *majora*) *ex latâ baſi in acutum mucronem deſinentia, figurâ inſtar Perſonatæ oblonga, in ambitu ſerrata, nonnunquam ſinuata, supernè ex virore nigricantia, venis tamen, incanâ lanugine albicantibus, percurrentibus; infernè propter denſam, & molliſſimam lanuginem, quâ pubeſcunt, candidiſſimis: quorum pedicelli oblongi, ſtriati, non ſecus ac folia, lanuginoſi. De Floribus nil conſtitit* C. B. uti nec de caule. Noſtræ Plantæ caulis eſt palmaris, craſſus, tomento candidiſſimo obſitus, foliis quoque alterno
TAB. XVIII. *Fig.* 1. ſitu poſitis ſtipatis, ſuſtinens flores binos vel ternos, calyce ſquamoſo capitato ſuffultos, qui abeunt in ſemina papposa. Vid. TAB. XVIII. *Fig.* 1.

17. *Ca-*



Sumptibus D. Petri Hotton, Med. & Botan. in Acad. Lugd. Batav. Professoris, & Societatis Regalis Lond. Socij.



17. *Calamintha montana prælta, Pulegii odore, dentatis foliis, floribus dilutè cœruleis, ex longo, ramoſo, & brachiato pediculo prodeuntibus* Bocc. Muſ. p. 45. *Calamintha montana prælta Pulegii odore* Ejuſd. *Tab.* 40. *Calaminthæ prææltæ Pulegii odore altera Icon ex Sabaudia, Tab.* 38. Convenit & Icon, & Deſcriptio, Plantæ, quam prope Veſenam, in Caſtris Rhæticis, & alibi in dumetis, muriſque umbroſo ſitu locatis offendi; & eandem judico cum *Calamintha Pulegii odore, ſive Nepeta* C. B. *Calamintha flore minore, odore Pulegii* J. B.

18. *Campanula Alpina rotundifolia minor* C. B. item *Campanula rotundifolia minima* C. B. nec non *Campanula Alpina minima, foliolis Linariæ ad caulem ſtipatis* Bocc. Muſ. p. 143. *Campanula Alpina caule folioſo* Ejuſd. *Tab.* 103. Foliis eſt pulchro virore ſplendentibus, & fere lucentibus: Ad viarum Alpinarum margines, & ſaxorum crepidines ubique reperitur, cœruleo ſuo colore peramœna. Figuram optimè expreſſit *C. B. Prod. p.* 34. niveo flore ſaxo adnatam inveni in Oberhalbſtein.

19. *Campanula foliis Anchuſæ, floribus oblongis* C. B. *Rapunculus montanus, ſive Trachelium montanum* J. B. à palmari altitudine ſurgit ad pedalem, & altiorem ſemper, quo in profundiori loco naſcitur Planta ipſa. In omnibus Alpibus creſcit.

20. *Campanula parva rotundifolia, flore cœruleo pentagono grandi* Raji. *Campanula ſaxatilis rotundifolia hiſpida flore cæſio amplo Italica* Barr. *Icon.* Quæ hunc Titulum promereri mihi videtur, in Alpibus Rhæticis paſſim obvia, ima habet folia breviora, & aliquantum hirſuta ſuperiora auguſtiora & longiora: Cauliculis ſingulis palmaribus & ſeſquipalmaribus unicus inſidet flos, pro Plantæ ratione grandis, cœruleus.

21. *Campanula Serpillifolia* C. B. qui optimè deſcribit, & depingit in *Prod. p.* 35. in umbroſis rupibus Valentiam inter & Vettis, in Comitatu Sarunetum, creſcit, quas pedalibus ſuis & cubitalibus cauliculis proreptantibus læto virore inveſtit.

22. *Carduus Spinoſiſſimus anguſtifolius vulgaris* C. B. niveo flore inveni in monte Schin, inter Imum Caſtrum [Tieffen Caſten,] & Fürſtenoviam.

23. *Carlina ſeu Chamæleon acaulos flore magno* C. B. *Carlina acaulos* J. B. Ad ſemitas, & in paſcuis ſterilioribus Alpinis frequens. Alpicolæ præparant capitula carnoſa, uti Cinaram, iiſque deliciarum loco utuntur, quod jam olim annotavit *Geſnerus.*

24. *Carlina polycephalos alba* C. B. In paſcuis Alpinis paſſim creſcit, præcipuè autem circa Caſas, & Stabula Alpina: *Ad cubitalem & bicubitalem altitudinem excreſcit*; caule eſt craſſo, ſtriato, intus cavo, ramoſo, hirſuto, quem amplectuntur alternatim folia Cardui ſpinoſiſſimi ſimilia, verſus radicem viridia, verſus ſummitatem candidiora magis, profundè laciniata, ſpinis flaveſcentibus horrida; ramos

ſummos ornant Flores 4. 5. 6. Carduo, non Carlinæ ſimiles, albidi, calyce ſpinoſo armati, quibus ſuccedunt ſemina papposa.

25. *Caryophyllus ſylveſtris Carinthiacus ruber* C. B. *Caryophyllus ſylveſtris* 4. *Cluſ.* Jungo *Betonicam Coronariam*, *ſive Caryophyllum gramineum puſillum* J. B. In Domeſticæ Vallis (Domleſchg) pratis Alpinis ſiccioribus.

26. *Caryophyllus ſaxatilis gramineo folio*, *umbellatis corymbis* C. B. In Maloja & Septimo, Montibus.

27. *Centaurium majus folio Helenii anguſtiore* Tour. *Centaurium*, *ſive Rhaponticum alterum anguſtiore folio* J. B. *Rhaponticum anguſtifolium incanum* C. B. Quod in Alpibus Prægallienſibus & Averſanis creſcit, capitulum habet non unicum, ſed 5. 8. 10. in umbellam ferè diſpoſita; aliquando etiam ex ala folii penultimi prodit pediculus biuncialis, qui pariter geſtat florem, calyce ſquamoſo cylindrico innixum. Huic aſſociari debet alia, quæ *Tuſſilagini Alpinæ oblongis foliis* C. B. ſeu *Tuſſilagini Alpinæ longo folio* J. B. per omnia convenit, exceptis florum capitulis: *Folia* ſunt *craſſa*, *quædam palmo longiora*, *parte inferiore hirſuta*, *per margines ſerrata*; *caulis hirſutus*, *rufeſcens*, *ſtriatus & aſper*; hujus ſummum ornat Florum 10. vel 12. calycibus ſquamoſis ſuſtentatorum corymbus, ſimilis prorſus *Centaurio majori* jam deſcripto. Flores ſinguli abeunt in ſemina papposa.

28. *Chamænerion Alpinum Alſines foliis.* Ita ex Recentiorum mente nominari meretur *Lyſimachia ſiliquoſa Alpina erecta Alſines foliis* Bocc. *Muſ. p.* 31. *Tab.* 15. Altum eſt hoc, quod in fiſſuris Saxorum paſſim offendi, Chamænerion palmum & ſpithamam. Ex radice fibroſa ſurgunt cauliculi initio lignoſi, foliis imis veſtiti rotundis; quæ mox inſequuntur alia longiora, glabra, anguſta, & tandem floſculi incarnati cum ſiliquis uncialibus anguſtis.

29. *Chamænerion Alpinum foliis ſplendentibus denticulatis* Tour. *Lyſimachia Alpina glabra ramoſa Violæ ſurrectæ foliis ſplendentibus* Bocc. *Muſ. p.* 32. *Tab.* 10. E muris opacis, & ſaxorum fiſſuris paſſim procreſcit, à dimidio pede ad unum usque adſurgens, ramoſa valde.

30. *Clinopodium montanum* C. B. *Cluſianæ* Deſcriptioni reſpondet, & ad Alpium radices, ad ſemitas, & ſaxorum crepidines paſſim creſcit.

31. *Colchicum montanum anguſtifolium* C. B. *Colchicum montanum flore purpureo* J. B. In pratis Alpinis ſupra Campum Dulcinum prope Pagum Madeſen.

32. *Cruciata Alpina latifolia lævis* Tour. *Rubia quadrifolia*, *vel latifolia lævis* C. B. *Rubia quadrifolia Italica hirſuta* J. B. In aſcenſu umbroſo montis Blattenberg, Ditionis Glaronenſium. Eadem eſt cum *Rubia majore quadrifolia atro-virenti ſaxatili* Bocc. *Muſ. p.* 83. pro qua po-

poſuit per lapſum pennæ *Tab.* 75. *Rubia minor quadrifolia atro-virens ſaxatilis.*

33. *Cyanus montanus latifolius, vel Verbaſculum Cyanoides* C. B. *Cyanus Alpinus radice perpetuâ* J. B. In umbroſis Galandæ Montis inveni flore cœruleo umbilico purpureo, ſed & flore & umbilico purpureo, quæ diverſam adeò à priori gignit ſpeciem.

34. *Euphraſia pratenſis lutea* C. B. conferatur, an eadem ſit cum *Euphraſia Helvetiorum parva luteis floribus*, cujus inter varietates *Euphraſiæ Officinarum* meminit C. B. nec non *Euphraſia lutea minima Alpina ſubrotundo folio nigricante* Bocc. item *Euphraſia Alpina erecta foliis ſubrotundis* Ejuſd *p.* 19. *Muſ.* qui floris colorem non addidit. Noſtra, quam in Speluga, & aliis Alpibus habuimus obviam, florem habet galeâ purpuro-cœruleâ exteriùs notatum, interiùs flavum, labello inferiori tripartito flavo ſeu croceo, ſtriis purpureis picto.

35. *Euphraſia Officinarum* C. B. major & ramoſior, foliis tamen minoribus, floribus amplioribus ex albo purpuro-cœruleis creſcit ad ripam Lacûs Silvæplanenſis, & Silienſis.

36. *Filago Alpina capite folioſo* Tour. *Gnaphalium Alpinum magno flore, folio oblongo* C. B. *Gnaphalium Alpinum pulchrum* J. B. Pro eadem Planta, prævio *Rajo*, habeo *Gnaphalium Alpinum magno flore, folio brevi* C. B. *Gnaphalii Alpini pulchri aliud genus.* J. B. Creſcit in Montibus Soglio vicinis, & Averſanæ Vallis editiſſimis.

37. *Filago Alpina minor erecta.* Ita ad mentem *Tournefortii* mihi vocatur *Gnaphalium Alpinum minus* C. B. palmum, vel ad ſummum ſpithamam altum, foliis oblongis, anguſtis, præditum, ex quorum alis prodeunt flores. In Alpibus Rhæticis paſſim.

38. *Gentiana Alpina pumila Centaurii minoris folio* Tour. *Gentianella Alpina æſtiva Centaureæ minoris foliis* C. B. *Gentianella fugax quinta Cluſii flore cœruleo colore. elegantiſſimo* J. B. flore cœruleo elegantiſſimo nunquam inveni, ſed quidem niveis, dilutè & intenſiùs cœruleo-purpureis floribus copioſis onuſtam collegi ad ripam Lacuum Silvæ planæ & Silienſis. Folia ex lata baſi in acumen terminantur, Bellidi fere ſimilia; unde eandem autumo cum *Gentianella Alpina unicauli Bellidis folio* Bocc. *p.* 144. *Tab.* 101. in hoc Titulo tamen τὸ unicaulis adjectivum incongruum reputo, quòd hæc planta aliquando quidem ſit unico caule prædita, plerumque tamen multicaulis ab ipſa radice, vel ſaltem ramoſiſſima, pro plantulæ magnitudine, quæ tres quatuorve uncias vix excedit, aliquando tamen ad pedalem altitudinem aſſurgit. Placent Figuræ *Tabern* & *Cluſ. in Pannon. p.* 291. præ illa *J. B. T. III. p.* 527. quæ exilis nimis, pro plantæ craſſitie. Obſervent, rogo, Botanici, annon deſcripta hactenus Gentiana petala ſingula habeat ſegmentis fimbriatis intus exornata, quæ *pilos barbulaſve purpuraſcentes* vocat J. B.

J. B. ſuſpicor quippe eandem eſſe cum *Gentiana Alpina Centaurii minoris folio Gentianam pratenſem flore lanuginoſo* C. B. *Gentianellæ ſpecie quadam, an Cordo Pneumonanthe, aut Gentiana fugace altera Cluſii* J. B. imò & *Gentianella brevi folio* C. B. quæ *Gentianella* eſt *fugax quarta Cluſii flore dilutè purpuraſcente, & cœruleo elegantiſſimo* J. B. & tandem ipſa quoque *Gentianella autumnali ramoſa* C. B. & forte *Cluſianis* atque *Bauhinianis* aliis.

39. *Geum Alpinum majus viſcoſum hirſutum foliis oblongo-rotundis, atro-rubentibus, & croceis floribus.* Plantæ hujus, quam nullibi hactenus deſcriptam legi, facies eſt ſequens. Folia ima ſunt, uti aliorum Sedorum, quæ Cotyledonum nomine vulgò veniunt, ad radicem in orbem diſpoſita, oblonga, in extremitate rotundata, ſupernè viridiora, infernè dilutiora, membranulis marginalibus mollioribus diaphanis dentata. E radice ſurgit unicus caulis craſſus, foliis alternatim veſtitus, (quæ ſenſim breviora evadunt, & rotundiora,) atque viſcoſâ hirſutie obſitus. Ex alis foliorum ſuperiorum prodeunt petioli ſimplices, vel ramoſi, iique craſſi ſatis, ſuſtinentes calycem viridem quinquepartitum, e cujus interſtitiis petala floris protenduntur quinque, ſtellatim diſpoſita, atro-rubentis & crocei, vel mellei coloris, anguſta, in acutum apicem terminata. Piſtillum floris abit in vaſculum ſeminale bicorne, cui inſunt ſemina fuſca: Integra Planta ſurgit à ſpithamæa ad pedalem usque altitudinem, & ultra, tactuque tota fere eſt viſcoſa. Creſcit paſſim in Alpibus, ipſo etiam Albio monte, Tiguro adſito, ad Terrarum abrupta præcipitia, & locis gaudet aquoſioribus.

40. *Geum folio ſubrotundo minimo* Tour. *Cotyledon media foliis ſubrotundis* C. B. *Cotyledon altera olim Matth.* J. B. Umbroſa loca amat, & ſimul uda. Averſa foliorum pars haud rarò carneo colore, vel etiam eleganti purpurâ rubet.

41. *Gnaphalium oblongo folio* Ger emac. *Gnaphalium ſupinum oblongo folio* Park. quibus jungit Rajus *Gnaphalium majus lato oblongo folio* C. B. in vallibus Alpinis ſiccioribus paſſim creſcit. Mihi videtur eſſe *Helichryſum Alpinum minimum capillaceo folio* Tour.

42. *Gramen Avenaceum ſpicâ ſimplici, locuſtis denſiſſimis candicantibus, & lanuginoſis* Tour. Proceſcit ex Muris prope Badam Helvetiorum, & paſſim in locis ſterilibus ſaxoſis Rhætiæ. Hoc idem mihi videtur cum *Gramine avenaceo montano lanuginoſo* C. B. *Gramine cum locuſtis parvis candidis, ſemine avenaceo* J. B. *Bauhinianis* certe Deſcriptionibus æquè ac *Tournefortiano* nomini reſpondet. Deſcriptionem meam unà cum Icone ante annum exhibui.

43. *Gramen paniculatum locuſtis parvis purpuro-argenteis annuum* Raji. *Gramen paniculatum minimum molle* Bot. Monſp. App. Deſcriptioni reſpon-

ſpondet, uti & loco natali, naſcitur quippe in paſcuis Alpinis ſterilioribus, palmare, vel ad ſummum ſemipedale. An verò menti Clariſſimi Viri, qui hoc Graminis genus primus deſcripſit, ſatisfaciat, oſtendet TAB. XVIII. *Fig.* 2. Locuſtis reperitur ariſtatis, & nudis; TAB. XVIII. *Fig.* 2.
unde non adeo differre puto *Gramen capillaceum locuſtellis pennatis, non ariſtatis* Ejuſd. Raij.

44. *Gramen Avenaceum capillaceo folio, paniculi ampliore, locuſtis ſplendentibus* Tour. *Gramen nemoroſum paniculis albis capillaceo folio* C. B. Radices habet tenues, geniculatas, cirroſas, albas; caules graciles admodum, pedales & ſeſqui, imâ parte geniculatos; genicula ſingula, imò internodia dimidia, obvolvuntur folio tenui, quod poſtea abit in triunciale, palmare, imò & ſpithamæum capillaceum, ſeu prætenue. Ex caulis ſummitate biunciali prodeunt longis ſatis intervallis petioli ex adverſo bini, tenuiſſimi, ramoſi, geſtantes paniculas argentei fere nitoris latiuſculas, ariſtatas. Conferri poterit hæc deſcriptio cum *Bauhiniana.*

45. *Gramini Canino Vineali ſimile Alpinum auguſtioribus foliis, paniculis rarioribus non ariſtatis.* Vid. TAB. XVIII. *Fig.* 3. TAB. XVIII. *Fig.* 3.

46. *Hieracium Alpinum latifolium hirſutie incanum flore magno* C. B. *Hieracium* 1. *latifolium* Cluſ. in Maloja Monte. Non hactenus inveni hanc Plantam niſi unico flore in ſummo, & craſſo quidem cavoque caule, ut hoc intuitu ad *Dentes Leonis* potiùs referenda ſit, quam ad *Hieracia.*

47. *Hieracium montanum hirſutum ramoſum parvis floribus* C. B. Hoc ſi bene conjecto, (conjecturæ autem facilis eſt venia, ubi nec deſcriptio, nec Icon proſtat) radicem habet nigricantem, *obliquam & rugoſam, è qua aliquot extuberant capita,* molli lanugine hirſuta, *unde ſena aut plura enaſcuntur folia, unius, duarum & trium unciarum longitudine, ſemunciam lata, craſſiore nervo ſecundum longitudinem excurrente, mollia, tenuia, brevi lanugine prædita, & infimâ parte admodum laciniata & anguſtiora, ſupernâ verò latiora & dentata duntaxat* (verba hæc mutuò peto ex Deſcriptione *Hieracii montani laciniato folio ſeu VII. Cluſ.*) E medio foliorum ſurgit unus, duo, treſve caules, hirſutie tenui nigricante aſperi, uno alterove folio, quod latiore baſi caulem amplectitur, veſtiti, verſus mediam ſui partem ramoſi. Ramulorum ſummis inſident Flores Hieracii parvi, calyce in tenuiſſimas lacinias ſecto ſuſtentati, abeuntes in ſemina nigricantia papposa.

48. *Jacea latifolia capite hirſuto* C. B. *Jacea cum ſquamvis pennatis, ſive capite villoſo elatior* J. B. Deſcriptionibus *Cluſianæ*, & *J. Bauhinianæ* reſpondet, niſi quod hæc noſtra unicaulis ſit, non ramoſa. Florem geſtat magnum purpureum. Reticulatum, ſive pennatum Caput

S idem

idem eſt, quod *Cyani Alpini Lychnidis candidiſſimo folio capitulo reticulato* Bocc. *Muſ. p.* 20. *Tab.* 2. Quem non adeò differre puto à noſtra Jacea.

49. *Jacobæa Alpina pumila comoſa incana* Bocc. *Muſ. p.* 20. *Jacobæa pumila Alpina*, *Tab.* 8. Ejuſd. In Montibus altiſſimis Averſanæ & Prægallienſis Vallium. Eſt ipſa *Jacobæa Alpina Abſinthii folio humilior* Tour. *Chryſanthemum Alpinum incanum foliis laciniatis* C. B. *Chryſanthemum Alpinum Judenbergenſe Jacobææ affine* J. B.

50. *Imperatoria major* C. B. *Imperatoria* J. B. Hujus *Imperatoria Alpina* & *Imperatoria minor* C. B. à majori non differunt reapſe. Quòd enim montana ſpontanea minor ſit eâ, quæ in Hortis colitur, *omnibus ſuis partibus*, *radice etiam polleat guſtu acriori*, *& magis urenti*; id ab altitudine Locorum natalium varia arceſſendum eſt, imò & à diverſitate ſoli; reperi in eodem Maloja, & aliis Rhætorum Montibus eandem & guſtu, & facie externâ Plantam, nunc cubitalem, nunc ſeſquicubitalem, ſed & pedalem: Unde & *Imperatoriam Alpinam maximam* Tour. huc refero.

51. *Lapathum hortenſe rotundifolium ſive montanum* C. B. *Lapathum folio rotundo Alpinum* J. B. Ad caſas Alpinas ubique copioſè creſcit, imò & colitur, ut folia cum Aqua cocta & macerata alendis Suibus, quos Animalia domeſtica (*Hausthiere*) appellant, inſerviant.

52. *Ledum Alpinum foliis ferreâ rubigine nigricantibus* C. B. quod *Chamærhododendros* eſt aliorum. Tubercula, quæ Gallarum inſtar ramis adnaſcuntur, ſunt nunc alba, nunc flaveſcentia, nunc dilutè rubra, nunc etiam miniato pulcherrimo colore variegata. In Speluga Monte Tubercula hæc copioſè collegi, quæ tamen colorem mox, ſi tecum portaveris, mutant. Vid. TAB. XIX. *Fig.* 1. 2. 3.

TAB. XIX. *Fig.* 1. 2. 3.

53. *Leucanthemum Alpinum foliis profunde inciſis* Tour. mihi videtur ipſa *Bellis Alpina alba minor* C. B. quæ 2. *in Prodr.* in omnibus Alpibus tam Rhæticis, quam Helveticis, frequens. Nec dubito, quin ſit *Bellis minima erecta foliolis laciniatis ad caulem adnatis* Bocc. p. 162. *Tab.* 116.

54. *Lichen pyxidatus Acetabulorum oris coccineis & fuſcis, non tumentibus.* In Speluga monte.

55. *Lichen pyxidatus major* Tour. cruſtulis viridantibus veluti ſquamis leproſis obſitus, paſſim ſaxis innaſcitur.

56. *Lichen tubulatus verrucoſus ex obſcuro virore flaveſcens.* Saxis inſtratum inveni in Alpibus Rhæticis, vernice quaſi oblinitum.

57. *Lichen tubulatus cinereus*, *ramulorum extremitatibus bifurcatis.* Parvam hanc Lichenis ſpeciem inveni Ceſpitibus innatam in Speluga.

58.

Tab. XIX.



Sumptibus D. Jacob Bobart, Horti Botanici Oxon. Præfecti.

58. *Lichen tubulatus nivei fere candoris ramoſus apicibus recurvis acutis.* Occurrit in ſummo Montis Flimſenſis Jugo ſpinulis exaſperatus.

59. *Lichen Alpinus glaucus ramoſus botryoides.* Pulchella hæc Planta, quam in Spelucæ ſummo jugo collegi, herbis inſtratam, ſupra digiti, vel duorum altitudinem non adſurgit: Cauliculos habet ramoſos carnei coloris, quibus per totam fere longitudinem, præſertim verò in ſummitatibus adhærent botri, conſtantes bullulis glaucis, vel etiam dilutè carneis. Vid. TAB. XIX. *Fig.* 4. TAB. XIX. *Fig.* 4.

60. *Lithoſpermum Alpinum tomentoſum minimum* Tour. *Echium Scorpioides Alpinum nanum ſupinum* Bocc. *Muſ. p.* 149. *Echium Scorpioides Alpinum tomentoſum nanum ſupinum* Ejuſd. *Tab.* 107. quod in Septimo, aliiſque Rhætiæ Montibus inveni ab una ad tres quatuorve uncias altum, ab *Echio Scorpioide arvenſi* C. B. vix differt, niſi magnitudine, quæ in Plantis Alpinis communiter eſt minor.

61. *Lithoſpermum arvenſe majus.* Hoc Titulo mihi venit *Echium Scorpioides arvenſe*, quod *vulgato quadruplo majus eſt & hiſpidius* C. B. ad bicubitalem altitudinem adſurgit, caule erecto, aſpero, canaliculato, minimum fere digitum craſſo; de cætero cum *Echio Scorpioide arvenſi minori* convenit. Collegi ad Pontem Rheni ſupra Pagum Ander.

62. *Lychnis Alpina Lini folio multiflora peramplâ radice* Tour. *Lychnis Alpina glabra Caryophylli Holoſtei flore* Moriſ. Contuli hanc ante annum cum *Caryophyllo Alpino craſſo Linariæ folio calycibus variegatis* Bocc. *Muſ. p.* 23. *Tab.* 5. An benè, ut ego quidem mihi perſuadeo, vel malè, judicet Botanophilus ex Deſcriptione. Radix eſt pro teneritudine Plantæ craſſa ſatis, & lignoſa, digitos aliquot longa, in ſurculos aliquot fibroſos protenſa, ut undique alimentum attrahat in cauliculos, extus fuſca, intus alba. Cauliculi ipſi è radice undique propullulant lignoſi ab initio, & admodum folioſi, foliis cincti glabris, viridibus, unciam longis, Linariæ ſimilibus, conjugatim diſpoſitis; ubi altiùs, ad dimidium usque pedem, & ultra, ſurgunt, teneraſcunt, & internodia habent unciæ unius, & duarum intervallo ab invicem diſſita, foliis ex adverſo poſitis binis ornata, intermedio cauliculo tereti manente, foliis nudo. Ex alis foliorum prodeunt ramuſculi tripartitim, & hi rurſus bifariam, vel trifariam diviſi, quibus veluti umbellis ſuſtentantur flores albi, vel incarnati, calyce veſtiti polyphyllo atro-virentibus lineis veluti variegato. Iconem ſatis expreſſit bene *Bocconus*, quæ tamen prodiiſſet deſcriptioni noſtræ ſimilior, ſi tripartitos ubique ramulos ſimul exhibuiſſet. Ab hac non multùm differt, ut ab incautis facilè pro eadem accipi poſſet.

63. *Lychnis ſaxatilis Alpina glabra pumila* Tour. *Auricula Muris Al-*

 pina

pina glabra, *ſive Lychnis glabra minima*, *aut Caryophyllei minima ſpecies flore albo* J. B. quam congruere vult *Alſine 2. ſive pratenſi glabræ* C. B. *Phyt.* Foliis hæc eſt latioribus & brevioribus; radix plerumque non adeò craſſa, ut præcedentis, ſed fibroſa, tenuis. In Alpibus Rhæticis utraque paſſim creſcit, petris inſidens.

64. *Lychnis Alpina pumila folio gramineo*, *vel Muſcus Alpinus Lychnidis flore* C. B. Amœnâ ſuâ purpurâ colles Alpinos paſſim inveſtit, & tranſeuntium oculos mirè recreat; nivei aliquando reperitur candoris.

65. *Millefolium Alpinum incanum flore ſpecioſo* J. B. *Millefolium Alpinum tomentoſum odoratum nanum* Bocc. *Muſ. p.* 166. *Millefolium tomentoſum odoratum* Ejuſd. *Tab.* 120. In altiſſimis Averſanis & Prægallienſibus Jugis.

66. *Muſcus capillaris ramoſus apicibus candicantibus.* Saxis paſſim innaſcitur, ceſpitem craſſum efformat, & ad unciam fere ſurgit. Affinis videtur *Muſco capillaceo denſiſſimo lanuginoſo* Tour.

67. *Muſcus Alpinus cirroſus*, *ſeu crinium retortorum inſtar criſpatus.*

TAB. XIX. *Fig.* 5. Pertinet elegantiſſima hæc Plantula, quam TAB. XIX. *Fig.* 5. exhibet, ad *Capillaceos Muſcos*, petiolis tenuiſſimis uncialibus capitula inſident anguſta flavicantis coloris. In Galandæ Montis Saxis paſſim reperitur, & ceſpites integros efformat.

68. *Muſcus terreſtris repens*, *clavis ſingularibus folioſis erectis* Raji. *Muſcus ſquamoſus repens tenuiſſimis foliis* Tour. *Muſcus terreſtris repens humilior tenuiſſimis foliis*, *clavis foliorum erectis* Moriſ. Deſcriptionibus *Rajanæ*, & meæ, quam ante annum exhibui unà cum Icone, adde, quod folia ima, radici proxima, ſæpe rubello egregio colore ſint tincta. Plantulam hanc quoties intueor, videor mihi videre *Muſcum denticulatum minorem* C. B. *Muſcum terreſtrem Luſitanicum* J. B. quem depingit ſub Titulo *Muſci pulchri parvi repentis T. II p.* 757. Saxis herbidis inſtratum offendi in aſcenſu ad Cœnobium Piperinum, & alibi paſſim in peregrinatione hac Rhæticâ.

69. *Muſcus aquaticus viticulis longis minus ramoſis lucidis foliis acutis triangularibus cinctis* Moriſ. cui Synonymum facit Tourn. *Muſcum ſquamoſum foliis acutiſſimis in Aquis naſcentem.* Hæc cognomina applico Muſco cuidam erecto, non ramoſo, ſeſcunciam, vel binas uncias alto, quem in rivulo quodam Montis Julii reperi.

70. *Oreoſelinum Apii folio minus* Tour. *Apium montanum nigrum* C. B. J. B. *Apium montanum folio ampliore* C. B. *Apium montanum Dalechampii* J. B. Maloja monte.

71. *Pentaphylloides majus erectum flore luteo*, *ternis foliis*, *Fragariæ inſtar hirſutis* Moriſ. *Trifolium Fragariæ foliis flore luteo* Berardi Hort. Jonq.

Jonq. *Fragaria* primo intuitu videtur, ſed *Pentaphylli* potiùs ſpecies eſt, licet triphylla ſit, in reliquis enim notis cum hoc convenit. Ad ripam Lacûs Silvæplanenſis, qui Oeni Fontem conſtituit, pedalem offendi inter Saxa. Videtur mihi *Pentaphylli effigies Leucas quibuſdam*, quam depingit J. B. *T. II. p. 598*. ſeparanda tamen à *Fragariæ affini ſericea incana* C. B. ſive *incana Pentaphylli effigie* Lob. Adv. p. 307. & magis adhuc ab *Argentina Monſpeliaca* Tabern.

72. *Phalangium Alpinum paluſtre Iridis folio* Tour. *Pſeudoaſphodelus Alpinus* C. B. *Pſeudoaſphodelus quibuſdam* J. B. Reperitur in gramineis omnium Alpium collibus; optimè depingitur, atque etiam deſcribitur à *Cluſio Pann.* p. 261. 262. Cur paluſtre dicat *Tournefortius*, non perſpicio; amat equidem loca umbroſa, ſed magis ſicca editiora, qualia ſunt montium dorſa convexa.

73. *Piloſellæ majoris ſive Pulmonariæ luteæ ſpecies anguſtifolia* J. B. Hoc nomine digna mihi videtur Planta pedalis & ſeſquipedalis, à radice ſtatim ramoſa, aſpera, pilis hirta, folia habens uncias duas tréſve longa, dimidium verò, vel unum digitum lata, in ambitu ſinuata, vel quaſi ſerrata; caulem amplectuntur alterno ordine folia, gradatim in omni dimenſione minora. Caulibus ſummis inſidet flos unicus, bini etiam vel terni, lutei, ſatis magni, ſuſtentati calyce in tenuiſſima ſegmenta diviſo: ſemina habet papposa nigra. Abludere haud adeò videtur ab hac Planta *Hieracium montanum Jaceæ integro folio* Bocc. Muſ. p. 64. T. 54.

74. *Pulſatilla lutea Apii hortenſis folio* C. B. J. B. In montibus altiſſimis Prægallienſibus occurrit.

75. *Quinquefolium album minus alterum* C. B. Huic Synonyma hæc adſocio: *Pentaphyllum album 1. & 2. Cluſ. Pentaphyllum album 1. Cluſ.* J. B. Deſcriptionibus *Cluſianis* congruit. Ex fiſſuris ſaxorum in Julio monte, item in monte Schin inter Imum Caſtrum, & Fürſtenoviam procreſcit.

76. *Quinquefolium minus repens Alpinum aureum* C. B. *Pentaphyllum Alpinum ſplendens aureo flore* J. B. in Alpium Rhæticarum jugis. Limbos foliorum habet villoſâ lanugine ſplendentes, veluti argenteos.

77. *Ranunculus montanus purpureus, calyce villoſo Felicis Plateri* J. B. In Septimi Montis nivoſis cacuminibus lætè vireſcit, floribus pro Plantulæ magnitudine magnis & pulchris albidis, & incarnatis, vel ad petalorum umbilicos candidis, & margines carneis, & purpureis, iisque nunc ſimplicibus, nunc binis ternisve ſuperbiens: Cauliculos habet palmares, & ſesquipalmares; Radicem fibroſam, amplam, & profundam; Calycem pentaphyllum flavum, *villoſiſſimum & veluti byſ-*

byſſinum, concolori lanugine obtectum. Cæterùm non differt Plantæ ex-
TAB. XX. Fig. 1. terior facies, & ſucculenta ſtructura à *Ranunculo Alpino humili rotundifolio flore majore* C. B. ut facilè unum pro altero decerpſeris. Vid. TAB. XX. *Fig.* 1.

78. *Rapunculus folio gramineo* Tour. *Rapunculus umbellatus folio gramineo* C. B. *Rapunculus minimus folio tenui gramineo* J. B. qui paſſim in Alpium planitiebus creſcit, cœrulei eſt coloris; aſt niveo flore inveni in Spelugæ ſummo.

79. *Rapunculus petræus* Alpin. Exot. Park. Moriſ. E fiſſuris Rupium umbroſarum in Via Mala, & alibi in Rhætia procreſcit. Deſcriptioni adde, quòd capitulo florum ſubjiciantur bina cornicula, ſeu folia tenuia, unam, duas, & tres uncias longa. Inveni in peregrinatione hac aliam ejuſdem generis & ſpeciei Plantam, quæ folia habet ab imo caulis ad ſummum perangusta, minutis ſerrulis in ambitu inciſa; quibus haud deſtituuntur folia antecedentis.

80. *Rubeola Alpina ſaxatilis tenuifolia* Bocc. Muſ. p. 145. *Tab.* 101. Saxis, eorumque fiſſuris paſſim innaſcitur. Foliis & caulibus eſt viridibus glabris; floſculis nunc albis, nunc incarnatis; quibus ſuccedunt ſemina nigricantia. Refero huc *Molluginem montanam minorem, Gallio albo ſimilem* Raji Hiſt. Plant. p. 482. de qua rectè dubitat, an ſit *Gallium album minus* C. B. *Folia* enim hoc *bina plerumque, nonnunquam terna habet,* ut annotat. C. B. & depingit *Tabern.*

81. *Rubia lævis linifolia, floribus albis Montis Virginis* Bocc. Muſ. p. 83. *Tab.* 75. In Alpibus Rhæticis paſſim occurrit, ſaxis innata, ſed non ultra ſpithamam alta, floribus niveis onuſta.

82. *Salix Alpina Alni rotundo folio repens* Bocc. Muſ. In ſummo Septimi Montis Jugo.

83. *Saxifraga tridactylites Pyrenaica lutea minima* Tour. *Sedum tridactylites Alpinum minus.* C. B. Inſignem oſtendo in hac Plantula Naturæ luſum. Foliola ſunt ad radicem conferta; & ex eodem trunco prodeunt nunc integra, ut Linguæ effigiem imitentur, nunc in ſummo bifida, nunc trifida; ut omnino huc pertineat *Sedi Alpini III. Fr. Gregorii Rhegienſ. Col. prima & ſecunda varietas*; adeòque & *Saxifraga tridactylites Alpina minor & villoſa* Tour. ejuſdemque *Saxifraga Pyrenaica foliis partim integris, partim trifidis*, niſi velimus ſeparare ſingulos Naturæ luſus. Fiſſuras Saxorum inhabitat.

84. *Saxifraga Alpina Ericoides flore cœruleo* Tour. *Sedum Alpinum E-*
TAB. XX. Fig. 2. *ricoides cœruleum* C. B. In ſummis Alpium Jugis, horumve Saxis nive nuper denudatis proreptat. Vid. TAB. XX. *Fig.* 2.

85. *Saxifraga Alpina Sedi foliis crenatis aſperis* Tour. *Sedum Alpinum foliis crenatis aſperis* C. B. *Sedum Alpinum hiſpidum fere ſpinoſum floribus*





Sumptibus D. Edvardi Lhuyd, A.M. Cimeliarchæ Ashmoleani Oxon.

ribus pallidis J. B. Jungit bina hæc *Bauhinorum Seda Tournefortius*, ſed, an optimo jure, neſcio. Noſtrum ſanè Sedum, quod J. B. Titulo & figuræ reſpondet, eſt quidem *cauliculis tenuiſſimis*, ſed non duntaxat *ſemipalmaribus*, *aut palmaribus*, ſed ſeſquipalmaribus, & ſpithamæis, *in ſummo in ramulos aliquot ſectis*; *folia* habet *longiuſcula acuminata*, ſpinulis *utrinque exaſperata*, non *crenis* (unde perſuaſus ſum, eſſe hoc noſtrum *Sedum*, *cujus folia marginibus aſperis branchias piſcium referunt* Geſn. Hort.) *prope Terram multa*, in caulibus alterna: *Flores* non ſunt *quadrifolii*, *purpuraſcentes*, *quibus capitulum ſubrotundum*, *membranaceum*, *apice donatum ſuccedat*; ſed pentapetali, *palleſcentes*, vel candidi, ad umbilicos flavi, *apiculis in medio multis*, calyce pentaphyllo ſuſtentati. *Succedit unicuique capitulum minus*, *turbine bifurco patente*, *è quo concuſſu excidit ſemen copioſiſſimum minutiſſimum*, *pulviſculi inſtar colore nigrum*. Propagines imæ non floriferæ copioſiora gerunt folia, & in ſingulis alis capitula folioſa, unde nova germina procreſcant. In Septimo, & Julio Alpibus Saxis innatum offendi. Vid. TAB. XX. *Fig.* 3. TAB. XX. *Fig.* 3.

86. *Saxifraga Sedi folio flore albo multiflora* Tour. *Sedum ſerratum flore albo multiflorum* A. R. P. Hoc nomine inſignio Cotyledonis ſpeciem, quæ mihi occurrit in deſcenſu Spelugæ; radice eſt craſſiuſcula, fibroſa, è qua ſurgit caulis craſſus, canaliculatus, rubens, hirſutus, ab imo fere ad ſummum floriger, & folioſus, ut ex foliorum alis prodeant pediculi rubentes hirſuti, onuſti floribus aliquot pentapetalis, albis. Radicem coronat umbilicus foliorum craſſorum, viridium, ſerratorum, quorum extima & ima ſunt duos, treſve digitos longa; unde exiſtimo, eſſe hoc *Sedum montanum majus folio ſerrato* Aret. Deſcr. Stocchorn. *Sedum ſerratum majus foliis trium*, *quatuorve unciarum* J. B. *Sedum Pyrenæum ſerratum longifolium* Hort. Blæſ. de quibus dubitat *Rajus*, an ſint *Sanicula montana longifolia ſerrata* C. B. item *Sanicula Aizoides foliis ſerratis multiflora* Herm. *Sedum ſerratum flore albo multiflorum* Dod. Mem.

87. *Saxifraga muſcoſa trifido folio* Tour. *Sedum Alpinum trifido folio* C. B. Idem mihi videtur cum *Sedo tridactylite Alpino minore* C. B. de quo ante. Reſpondet ſanè *Cluſianæ* Deſcriptioni, & *Bauhinianæ*. Muſcoſa eſt Planta, & ad tactum viſcoſa. In Septimo Monte reperi.

88. *Sedum Alpinum minimum foliis cinereis*, *flore candido* J. B. *Sedum Alpinum album foliolis compactis* C. B. Junxi, nec fortè abs re, *Saxifragæ Alpinæ minimæ*, *foliis cæſiis deorſum incurvis* Tour. Deſcriptionibus *Bauhinianis* & *Cluſianæ* addo, folia, quæ omnino confertim ſunt congeſta, & in extremitatibus ſuis reflexa, cinerei eſſe viroris, quoniam in supernâ eorum parte minutæ conſpiciuntur binis ſeriebus diſpo-

TAB. XXI. *Fig.* 1. poſitæ maculæ, ſeu bullæ albæ. In omnibus fere Alpibus Helveticis creſcit, Saxis adhærens. Vid. TAB. XXI. *Fig.* 1.

89. *Sedum ſaxatile atro-rubentibus floribus* C. B. *Sedum minimum montanum flore purpuraſcente, parvo ſemine ſtellato* Raji. *Sedum annuum minimum ſtellatum rubrum* Magnol. Plant. Monſp. Cauliculis lætè incarnatis & rubentibus offendi Saxis inſidens in Speluga Monte. De hac plantula notandum, floſculos florum non eſſe atro-rubentis coloris, ſed tenuia petala albida, ad umbilicum flava, conceptacula ſeminum minutorum, quibus ſunt referta, ſtellæ in modum diſpoſita, craſſiuſcula, atro-rubentia, vel viridia, punctulis rubris conſperſa: Singula interſtitia vaſculorum ſeminalium munit foliolum itidem craſſum, quod calycis vicem ſuſtinere videtur.

90. *Sedum majus montanum foliis non dentatis, floribus rubentibus* C. B. *Sedum montanum latifolium flore purpureo* J. B. *Sedum Alpinum* 14. *ſive rubro magno flore* C. B. Deſcriptionibus jam notis adde, quòd umbilicus foliorum antequam ſeſe in caules expandat, tomento reticulato plerumque ſit obſitus, unde idem autumo cum *Sedo montano tomentoſo* C. B. ſive *Sedo rubro montano γναφαλώδει* Col. quibus jungo *Sedum tomentoſum montanum minus* Tour. *Sedum montanum roſeum reticulatum* Barr. Icon. Omnibus fere Saxis innaſcitur.

91. *Sedum muſcoſum* J. B. *Sedum montanum perpuſillum luteolis floribus* Park. refero ad *Saxifragam Pyrenaicam minimam luteam Muſco ſimilem* Tour. vel etiam *Saxifragam Pyrenaicam luteam minimam, Sedi foliis denſiſſimè congeſtis* Ejuſd. ſed non minori jure ad *Sedum Alpinum Saxifragæ albæ flore, vel grandiflorum* C. B. ſive *Sedum minimum Syriacum luteolo flore Saxifragæ albæ* J B. *Sedum Alpinum IV. Fr. Gregorii Rhegienſis* Col. imò & *Sedum minus Alpinum luteum noſtras* Raji, cui certè in omnibus convenit noſtra hæc Plantula, niſi quòd ſinguli cauliculi unicum duntaxat geſtent florem. Apices habet ſtaminibus inſidentes croceos, calycem viridem pentaphyllum. An bene conjectaverim, nec ne, TAB. XXI. *Fig.* 2. inſpectio palam faciet. In Septimi Montis, aliarumque Alpium Rhæticarum Jugis ſub Ceſpitum formâ Saxis adhæreſcit. TAB. XXI. *Fig.* 2.

92. *Serpillum ſaxatile hirſutum Thymifolium nanum flore rubello* Bocc. Muſ. p. 108. T. 89. Saxis inſtratum paſſim in Alpibus offendi. Non videtur mihi hæc ſpecies differre à *Serpillo anguſtifoliio hirſuto, vel montano repente hirſuto* C. B. *Serpillo* item *anguſto, lanuginoſoque folio* J. B.

93. *Tanacetum Alpinum odoratum* C B. *Millefolio Alpino affinis planta, quibusdam Iva Moſchata* J. B. Prægallienſibus in frequenti eſt uſu ad ſecundinas Vaccarum promovendas, & alios Beſtiarum affectus

cu-



Sumptibus D. Samuelis Dale, Pharmacopœi Brantrienſis.



curandos, in morbis item Mulierum frigidioribus, diarrhœâ, ventriculi imbecillitate; nec abſque cauſa, & effectu ſatis felici; pollet quippe Sale volatili acri oleoſo, quod ad diſſolvendos humores pituitoſos non poteſt non eſſe efficax, hanc autem particularum aromaticarum præſentiam indicat ipſe totius Plantæ odor & ſapor acris. *Herba de Munt* vocatur Solienſibus, *Iva* aliis. Creſcit in Montibus Prægallienſibus & Engadinenſibus. Vid. TAB. XXI. *Fig.* 3. TAB. XXI. *Fig.* 3.

94. *Thlaſpi Alpinum folio rotundiori carnoſo, flore purpuraſcente* Tour. conjunxi ante annum *Thlaſpi rotundo folio* C. B. . In Montis Flimſenſis, Segnas Rhætis dicti, ſummo jugo.

95. *Thlaſpi foliis Globulariæ affine, ſive Alſinefolia cum Myagri foliis* J. B. In Septimi Montis ſummis Jugis. Deſcriptioni convenit, ſed cauliculos habet vix unciales, aut ad ſummum ſeſcunciales.

96. *Trifolium Alpinum flore magno, radice dulci* C. B. In Alpibus Rhæticis ubivis copioſe creſcit: Folia aliquando ex averſâ parte ſunt punctis, ſeu maculis nigris inſignita; flos purpurâ eſt nunc intenſiore, nunc dilutiore: Haud abs jure audit *Trifolium Alpinum Rhæticum Aſtragaloides* J. B. quamvis & in Helveticis Alpibus editioribus ſit obvium.

97. *Turritis foliis caulem ambientibus polyceration*, quam in Montibus Luccenſibus invenit *Boccone Muſ. p.* 49. *Tab.* 41. ego verò ad radices Galandæ Montis collegi. Radice eſt albâ, lignoſâ & fibroſâ, è qua erecti ſurgunt caules teretes, glabri, non ramoſi, vel ſupernè ſaltem tripartiti, quatuor vel quinque foliis alternatim veſtiti, integris, oblongis, ex latiori baſi, quæ caulem amplectitur, in obtuſum mucronem terminatis, raris ad margines pilis obſitis, ſubinde etiam dentatis: Dimidium caulem occupant floſculi albi, tetrapetali, quorum ſtyli abeunt in ſiliquas copioſas, erectas, tenues, unciales, amœno ſplendore virentes, ſeminibus refertas minutis.

98. *Veronica ſpicata anguſtifolia* C. B. *Veronica ſpicata minor* Ejuſd. *Veronica ſpicata recta major & minor* J. B. Jungo *Veronicam majorem anguſtifoliam caulibus viridibus* Ejuſd. In paſcuis Alpinis Rhæticis paſſim.

99. *Viola montana tricolor odoratiſſima* C. B. quam invenimus in Valle Vettenſi Sarunetum, & non procul Richenoviâ, ad ſemitas, reſpondet deſcriptioni *Cluſianæ Pann. p.* 358. niſi quòd mixtura colorum variet, & ſuprema quidem petala aliquando ſint nivea.

100. *Viola Alpina purpurea exiguis foliis* C. B. *Viola montana purpurea ſolidiore folio* J. B. Floribus mihi occurrit cœruleis potiùs, iiſque peramœnis, in Septimo Monte. Eadem mihi videtur *Viola montana cœrulea tricolor folio ſubrotundo crenato* Barr.

101. *Virga aurea montana minor* Bocc. Muſ. p. 169. *Tab.* 18. In Speluga. Radicem habet nodoſam, craſſam, in fibras longas terminatam, quæ purpureo colore ſunt veſtitæ. Folia ad radicem prodeunt plura longa, ad radicem purpuraſcentia, ſerrata, mollicellis pilis hirſuta: Cæterùm floribus cum Virga aurea communi conveniunt.

102. *Virga aurea Alpina Laurinis rigidioribus foliis* Bocc. Muſ. p. 31. T. 10. quæ paſſim quoque in Alpibus Rhæticis & Helveticis occurrit, non differre mihi videtur à *Virga aurea anguſtifolia, minus ſerrata* C. B. *Virga aurea vulgari latifolia* J. B.

F I N I S.

JOHANNIS JACOBI SCHEUCHZERI,

Tigurin. Med. Doct. Math. Prof. Acad. Leopoldino-Carolin. & Socc. Regg. Anglic. ac Pruſſic. Membr.

ΟΥΡΕΣΙΦΟΙΤΗΣ HELVETICUS,

SIVE


ITINERIS ALPINI

Deſcriptio Tertia,

ANNI MDCCIV.

Editio Noviſſima, Auctior & Emendatior.

Iter. 3.



Anna Waſera Tigurina fec. Ios. Nutting Sculp.

Sumptibus D. Iſaaci Newton Equitis Aurati, Societatis Regalis Præſidis, &c.

ITER ALPINUM TERTIUM, ANNI MDCCIV.

PERILLUSTRES NATURÆ CONSULTI,

TEertiùm vos interpello, VIRI, PRÆSIDES & COLLEGÆ, Authoritate, Nobilitate, & Eruditione omnigenâ graves, rationem redditurus de meis in Hiſtoriâ Naturali Patriâ profectibus, imò verò ſoluturus tacitam quandam obligationem, in quam Authoritate Veſtrâ deduxiſtis omnes, qui Naturæ Studio operam navant, me ſpeciatim, cui hoc grave onus intuitu Helvetiæ noſtræ incumbit, cuique Vos Ipſi Receptionis honore nuper in me indignum collato deſtinâſtis. Accipite eodem, quo duo priora Itinera, vultu hoc tertium. Subjeciſtis me Inclyto Veſtro Corpori, en Tributum à Subdito jure petendum, Collegâ Veſtro haud indignum; Tributum, ſi in tam Illuſtri Conſeſſu licet μεγαλοφρονεῖν, *haud leve, nec modico ſumtuum & ſudoris diſpendio comparatum, & conquirendum porrò. Siſto Aræ veſtræ Montes, Valles, Flumina, Cryptas, Aquas, Meteora Helvetiæ, & quicquid latè ſatis patens hic Angulus Mundi in ſuperficie ſua oſtentat, aut in ſinu gerit; me tandem ipſum, & ſtudia mea, utcunque tenui adhuc pendentia filo. Quid deſideratis amplius? Sed ad rem, ne verborum Lenociniis Vos demulcere videar.* *Introductio.*

Traxerunt me Menſe *Julio* labentis Anni 1704. ad Thermas Fabarias, veluti ad ſacram Anchoram, Obſtructiones, quas inde ab aliquot Annis ſenſi in Partibus Capitis exte- *Itineris occaſio.*

rioribus cutaneis & glanduloſis, cum tenſionis non levi incommodo, tum præcipuè oborto, quando Luna lumine ſuo vel ſplendebat integro, vel albeſcebat Nova. Eò autem uſque ſeſe protraxit malum, ut non tantùm frontem ſubinde cum tota Capitis cuti corrugare habuerim neceſſe, ſed gravia ſenſerim Hemicraniæ præludia, quæ afficiebant dextrum oculum cum vicinis Fibris tenſionis cujuſdam, vel retractionis dolorificæ ſenſu, appetitu tunc præſente vel nullo, vel exiguo, aliquando etiam Nauſeâ & Vomitibus. Horum Symptomatum cauſam rejeci in impeditum Sanguinis per Capitis exteriora fluxum, quatenus Spiritus Animales intrò ad Animæ Sedem per continua varii generis Studia vocati minori cum vigore fibras exteriores potuerunt irradiare, unde ſuboriri debuit Sanguinis ipſius motus per tubulos extremos in motu oſcillatorio debiles tardior; & tarditatem hanc ſequi tum obſtructiones Glandularum cutanearum, tum etiam à levi occaſione irregularitas motus in oculo, facieque dextrâ, quæ debilior fortè ſiniſtrâ Sanguinis per dextri Capitis fibras impeditum fluxum, impetuoſiorem nimis ſufferre non valuit, ſed tenſa, & in tubulis infirmis ſanguine fuit per vices, vel occaſione errorum in Diæta commiſſorum repleta. Hoſce gravioris, & duraturi quidem mali prænuntios, ut fugarem, in uſum traxi internum ſalubres in id genus affectibus Piperinas undas, de quarum fonte potavi ſingulis ferè manè per totum ferè Julii Menſis decurſum Libras 5. vel 6. Medicas, cum inſecuto Vertiginis cujuſdam ſtupido ſenſu, qui ante Meridiem duravit tamdiu, quamdiu Aquæ tubulos Cerebri arterioſos pervagando diſtenderunt, ac proinde nervoſas Fibras comprimere aliquatenus valuerunt. Ceſſavit enim ex parte hoc pleriſque ὑδροπόταις commune Accidens, evacuato per vias Urinarias hoſpite peregrino; prorſus autem, ex quo bibere deſii: Quid autem de malo Capitis primario futurum ſit, Θεοῦ ἐν γούνασι κεῖται. Det DEUS his quoque finem!

Thermarum Fabarienſium Examen.

Toto, quo Favaræ fui, tempore, in id præprimis incubui, ut explorarem Naturam, Qualitates, & effectus Thermarum, quæ ſui ſimiles vix in Orbe habent: nec, ut ſpero, irri-

irrito planè ſucceſſu. Commiſerunt, ni fallor, quotquot hactenus de Piperinis his Thermis ſcripſerunt, vel eas examinârunt, fallaciam non cauſæ, ut cauſæ, præſuppoſuerunt omnes contenta in illis Mineralia, quæ tamen hariolantes potiùs determinârunt, quàm verè demonſtrârunt. Nemo unquam in dubium vocare auſus fuit, quòd Minerales ſint hæ Aquæ: Vel ſolus Aquis inſitus Calor omnem dubitandi anſam præcidit, in eorum præprimis animis, qui Thermarum Calorem ab effervеſcentia contrariorum Mineralium deducunt. Omnes hinc in id ſolum ſuas intenderunt cogitationes, ut Mineralia definirent, de τῷ διότι magis quàm de τῷ ὅτι ſolliciti. Ipſe ante annum his aliorum Veſtigiis inſiſtens, & inſuper tumultuariis quibuſdam Experimentis ὡς ἐν παρόδῳ, & raptim, factis nixus hoc de Minerali virtute Aquæ præjudicium deponere nondum potui, neceſſe nunc habens retractare aliqua, quæ in ultimo meo Itinerario ſtatui; quamvis & ibi dubii animi propalârim indicia, pleniùs nunc explicanda, ut ſuis reddatur Aquis honos, eaque reſtituatur, quâ gaudent, ſimplicitas. Non una me movet ratio, ut ſtatuam, Mineralia Piperinis Aquis vel deeſſe, vel ſaltem non eas largiri virtutes, quas in curandis Morbis, & conſervandâ Sanitate exerunt.

1. Profluunt limpidiſſimæ, omni colore, ſapore, & odore deſtitutæ; dulcedo aliqua, quam ſentire ſe putant potatores aliqui, non huic Aquæ ſoli eſt propria, ſed tepidæ omni communis.

2. Omnium proin guſtui eſt accommoda, quoniam ἄποιος eſt, & omnium Organa ex æquo, id eſt, nullis Sulphuris, Salium, aliorumve Mineralium figuris afficit.

3. Ex infuſione varii generis Liquorum, vel Pulverum, Aq. Fort. Tinct. Tornæſol Succ. Berber. Syrup. Violar. Acet. deſtill. Spir. C C. Spir. Vitriol. Spir. Vini Camphorat. Crocat. Eſſ. Caſtor. Mixt. Simpl. Tinct. Mart. Tartariſat. Spir. Menth. Spir. Sal. Armoniac. nulla ſubſecuta mutatio, licet ſteterint Infuſiones ſingulæ per biduum. Ex affuſâ ſolutione Merc. Sublimat. nullam ſenſi repentinam mutationem, mox tamen apparuit in ſuperficie Cuticula pavonaceis Colo-

ri-

ribus pulcherrima. Ex Ol. Tartar. p. d. nulla pariter ſubſecuta alteratio ſubitanea, niſi quòd pelluciditas obſcurari viſa fuit; poſt aliquot horas demiſit ſeſe ad fundum nubecula circularis alba, reliquo Liquore manente diaphano: Sic quoque aliqualem induxit albedinem Tartar. Tartariſat. Ludovici. Tinctura rubra, quam ipſi conciliavit Tinct. Roſ. rubr. diſparuit mox, ut Aquæ ſua redierit claritas. Leves hæ ſunt mutationes, etiam in Aquis fontanis frigidis, calidiſve obviæ.

4. Ante annum graviorem comperi hanc Aquam Piperinam Pluviali, nunc autem ope exactioris Libræ, & iteratis vicibus tum calidam, tum frigidam ejuſdem deprehendi ſpecificæ gravitatis cum Aquâ Pluviali, deſtitutam proin judico particulis gravioribus quibuſvis, vel ſaltem non ita imprægnatam, ut inde effectus deduci poſſint. Ejuſdem ferè cum Aquâ Pluviali ponderis invenio paſſim Aquas Alpinas fontanas, quas proin habeo pro deſtillatis purioribus, imò & pro talibus non tam bibunt, quàm ingurgitant Alpicolæ, & peregrinantes quivis abſque ullo damno. Calidam Fabarianam grano dimidio, vel unico, leviorem invenio frigidâ in maſſâ ſeptem ferè drachmarum, quod rarefacto in poris Aëri adſcribo.

5. Non ulli ſublimantur Flores, non innatat Aquæ Cremor, non accreſcit ad parietes, vel Aquæductus, Tofus, non præcipitatur Crocus.

Colligo hinc, prævalere has Piperinas Aquas aliis, ſeu fontanis, ſeu Mineralibus, majori puritatis gradu. Huic ſi addas calorem moderatum, & palato haud ingratum, atque inſuper particularum Aquas has componentium majorem fortè præ aliis ſubtilitatem, & exiguitatem, haud, opinor, difficulter ſolves Phænomena obvia, explanabis effectus, quos præſtant tum præſervatorios Sanitatis, tum curatorios Morborum. Nonne ex omnium ſaniorum mente Sanitas ipſa conſiſtit in debita humorum craſi, ſpirituum haud impedito, & æquali in omnes partes influxu, ſolidarum fibrarum tono, liquidarum denique & ſolidarum partium æquilibrio? Et conſequenter morbus in vitiato humorum & ſpirituum motu,

tu, conſiſtentiâ & compoſitione mutatâ, auctâ vel imminutâ fibrarum tenſione, ſublato partium totius Machinæ Hydraulico-Pneumaticæ Æquilibrio? Nonne verò hæc omnia contingunt ex Obſtructionibus, quæ ſolæ replere valent Pandoræ illam Pyxidem, omnium malorum dives Promptuarium. Jam verò quicquid agunt Fabariæ Thermæ, ſeu intus adſumtæ, ſeu extra adhibitæ, omne id agunt reſerando Obſtructiones, quatenus particulæ harum Aquarum ſubtiles, caloris adminiculo volubiliores redditæ ſeſe mox, largiùs hauſtæ, inſinuant in Vaſorum lacteorum oſcula, imò mox totum perreptant Maſſæ Sanguineæ Circuitum, minimos ſingulari facilitate perfluunt tubulos, materiam viſcidam tartaream in iis hærentem incidunt, abſtergunt, ac ſecum ad urinarias vias vehunt, & educunt, hoc autem opere peracto fibris tonum, paucis quidem in loco ipſo, pleriſque abſolutâ potatoriâ curâ reſtituunt; quamdiu enim ingurgitamus ſalutares has Lymphas, flaccidior manet, & fit tonus, ut crurum robur, imò haud raro totius Corporis firmitas labaſcat, quæ finitâ potatione domi demùm redire ſolet magno cum Sanitatis emolumento. Quibus hæ viſciditates, Obſtructionum cauſæ, à ſolo Aquarum potu attenuari, & evacuari ſatis nequeunt, illis inſuper prodeſt uſus externus, quatenus per balneationem pori peripheriæ magis aperiuntur, fibræ blando undarum attactu laxantur, viſciditates ipſæ terreſtres reſolvuntur, & partim per poros Cutis, partim verò per urinarias vias evacuantur. Pluribus hæc poſſem corroborare tum rationibus, tum Exemplis, ſi è re foret, & loci anguſtia id concederet. Non ſpernenda hæc, nova licet, videbitur de Virtutibus Piperinarum Thermarum Hypotheſis, quibus ſtructura Corporis noſtri per Anatomen nota eſt, imò quibus Principia facilia, pauca, indiſputabilia, Philoſophiâ Corpuſculari & Experimentali nixa, præ compoſitis, confuſis, implicatis, conjectaneis, longè quæſitis placent. Invenit non ita pridem *Zacharias Damur*, Curiâ Rhætus, per Experimenta Baſileæ facta in *fundo Cucurbitæ ex deſtillata* $1\frac{1}{2}$ *menſura Aquæ reſidua grana quinque pulveris Alcalini*, *argillacei*, *albicantis*, *ſubſalſuli*, quem putat *nitroſo-aereis*

V *ſub-*

ſubſalſis, blandis, minimè corrodentibus, volatilitate ſummâ præditis particulis amiciſſimè ſociata, & affuſo Nitro alive acido Spiritu effervеſcentem ἐνεργείας *omnis cauſam exiſtere.* Diſſ. Inaug. *de Therm. Fabar.* 1704. habit. *Theſ.* 17. 19. Quomodo verò exin probari poſſint effectus Aquæ Favarianæ ſuprà deprædicati, non video. Pergo interim ad alia, quæ circa Thermas haſce in omni Regno Naturæ offendi, & primùm quidem, quæ de Aquæductuum miro τεχνήματι tum obſervavi, tum delineavi.

TAB. I. Exhibet TAB. I. Aquæductuum & Ponticulorum extremos ab *A.* ad *B.* & *C.* terminos, cum vicinarum Petrarum, quæ è regione domûs ſunt, proſpectu, & Taminnæ Torrentis *O.* ſpumante decurſu. Ad *B.* effluit Aqua à Potatoribus pro lubitu haurienda. Ad *C.* influit in Balneatoria. Ad *A,* pergit Aquæ Canalis per Saxorum anfractus, ad ipſos Petrarum Parietes veluti penſilis.

TAB. II. TAB. II. ſiſtit Scenographiam ipſius Domûs, prouti ex *Tab. I.* ponticulo Liter. D. notato viſitur, ubi *S.* exhibet Meridionalem ipſius Habitaculi, in quinque Contignationes diſtincti, faciem: Prima, & ſuprema, ex his Contignationibus vocatur *Der obere Boden*; ſecunda *Der Capellen Boden,* quòd ibi Sacra ſua peragere ſoleant Pontificii; tertia *Der Kuchen Boden,* à Culinæ præſentia; quarta *Der Laternen Boden,* quod ibi Lanterna de nocte accendi ſoleat; ultima *Der Bettler Boden,* ubi Mendicantes, aliique ex fæce Populi homines locari ſolent. *T.* oſtendit Porticum, *Die Trincklaube,* ubi Potatores & Potatrices deambulare ſolent. *V.* Culinam pauperibus deſtinatam, *die Bettler Kuche. W.* Locum, ubi Calycibus infunditur, & hauritur Lympha. *X.* Porticui ambulatoriæ ſubjecta Balnea, pro virili Sexu unum, pro ſequiori alterum. *Z.* Denique Latrinas quinque ſerie juſtâ invicem poſitas. *C.* Situm Ponticuli, qui Januâ *c.* clauditur, & Aquæductûs adjacentis, utriuſque etiam ſubſtructiones Saxis innixas. *E. E.* petroſas Montium vicinorum moles. *F.* Taminnæ Torrentis defluxum. *A. B. C.* Aquæductuum & Ponticulorum ultimum progreſſum, in *Tab. I.* pleniùs conſpicuum.

TAB. III. TAB. III. Delineat Aquæductûs ad interiora progreſſum, ubi,



Sumptibus Honoratissimi D. Godefridi Copley Baronetti, Societatis Regalis Socij.






Sumptibus D. Johannis Percivale Baronetti, Societatis Regalis Socy.





Sumptibus D. Ionathanis Blackwell, Armigeri, Societatis Regiæ Socij.








Sumptibus D. Dixon Coleby, A.M. é Coll. Merton. Oxon.





Sumptibus D. Thomæ Isted Armigeri, Societatis Regalis Socij.



Sumptibus D. Roberti Balle, Armigeri.





Sumptibus D. Thomæ Whalley. A.M. Coll. Oriel. Oxon. Socij.





Sumptibus D. Salway Winnington, Armigeri

ubi, uti quoque in TAB. I. IV. admirari lubet Canalium ipſorum ſubſtructiones, quæ trabeculæ ſunt partim ſubſtratis Saxis fultæ, partim Saxis ipſis ad aliquot pedum profunditatem immerſæ; porrò Saxorum imminentium, & ſeſe deſuper claudentium, à 20. ad 100. & 200. pedes altum horridumque aſpectum, horridiorem tantò, ubi per fiſſuram, vel aperturam quandam illabens lumen periculum, in quo verſamur, detegit, & rudem atque inordinatam Saxorum ruinam minitantium, varièque coloratorum Architecturam manifeſtat, uti quoque in *Tab. V. VII.* Jucundam admirationem inſuper præbent Saxorum undulatæ, & paſſim complanatæ ſuperficies, Taminnæ quondam deſuper fluentis, & parietes petroſos elavantis manifeſta veſtigia: Terrorem denique incutit Taminnæ infra ponticulum cum ſtrepitu profluentis ſpumans aſpectus, qui Vertiginem inducit facilè tranſeuntibus, eòſque ſic in diſcrimen vitæ, ſi pedibus vel parùm vacillarent, conjicit.

TAB. IV. Ulteriorem ſiſtit Ponticuli, & Aquæductuum progreſſum. TAB. IV.

TAB. V. Eundem proſpectum remeantibus obvium, ubi lumen deſuper per apertas veluti Petrarum feneſtras illabitur. TAB. V.

TAB. VI. Extremam ferè ſiſtit Aquæductuum & Ponticuli ambulatorii, petrarumque utrinque erectarum faciem, ubi ſingulatim notari meretur *A. A.* ſiniſtrum latus *B.* connectens cum dextro *C.* & cavernâ *D.* in quam tempore hyberno deponuntur Canales aquam vehentes, ut ab injuriis Hyemis, & Saxorum deciduorum maneant tuti. TAB. VI.

TAB. VII. Eundem exhibet, ſed à ponte *A. A.* retroſpectantibus viſundum proſpectum. TAB. VII.

TAB. VIII. Denique Specum ipſam, & ultimam ſiſtit, in profundo & horrido Saxorum barathro demerſam; unde fumum aſcendentem, Thermarum latentium indicem, primum obſervavit Auceps. Cavo Petræ *A.* incluſus eſt Fons ipſe, ſeu Scaturigo Thermalis, clauſa probè Oſtio *B.* Ex hoc Fonte profluit per Canales ſubterraneos *D. D.* ſalubris unda, quæ porrò ad Saxorum parietes, eo, quem hactenus delineavimus, modo ulteriùs ducitur ad ipſam in *Tab. II.* depictam Balneatoriam æque ac Potatoriam Ædem. Jucundiſſi-

diſſimum in horrido Antro Spectaculum ſiſtit ex alto delabens Taminnæ Torrentis *E.* aſpectus, qui mox infra Saxa ſe abſcondit, & rurſum in *F.* haud procul à Scaturigine ſpumans profluit.

Notandum inde ab A. 1704. quo hoc Iter fuit & confectum & ſcriptum, paratam eſſe, priori ædificio deleto, novam Ædem & commodiorem & ampliorem, cujus delineationem exhibui in Hydrographia Helvetica Germanico Idiomate publicata.

D. Magdalenæ figura in rupe à Naturâ delineata.

E Regione Domûs Orientali *ad rupem excelſam coloris ſubcœrulei Natura venis albis Mulieris figuram flexis genubus ad menſam procumbentis, ac retrò ſe Crucis figuram habentis depinxit: S. Mariæ Magdalenæ nomine eam vulgò indigitant.* Miror, quòd tam poſitivè hos Naturæ luſus Sanctæ nomine expreſſerit *Wagner. Helv. Cur.* p. 328. quum tamen nemo ex albidis his ſubcœruleum Lapidem perreptantibus venis Mulieris figuram agnoſcat, niſi qui adverſæ nobis Religionis præjudiciis eſt imbutus, aut miraculorum fictitiorum ſplendore occæcatus. Mirum hoc, ſi credere fas eſt, φιλοτέχνημα exhibet TAB. IX. *Fig.* 1.

TAB. IX. *Fig.* 1. *Terra ſigillata.*

Subflava & rubicunda Terra Sigillatæ ſimilis, quæ in Scaturigine Thermarum Saxo immerſa invenitur, unde quidam, tanquam à Terrâ Solari, virtutes Aquæ accerſunt, inde potiùs venit, quòd ab æſtuante Aquâ Saxa vicinia recludantur, eorum compages friabilis reddita ſolvatur, ut Terreæ particulæ Siliculis anteà immiſtæ, nunc extraverſæ ſub conſpectum veniant. Quinimò à perenni calore ita excoquitur hæc Terra, ut Saxo ſub Tofi pertenuis ſpecie adhæreſcat.

Fiſſiles Lapides. Quarzum.


Prope eandem Scaturiginem decerpſi fruſtum fiſſilis Lapidis ſubcœrulei, venis albis pulchrè pertextum, parietibus ſuis claudens Quarzum candidum.

In Saxis Marmoreis Lapidum Figuratorum veſtigia.

Prope Ædem Fabarianam finduntur pro extructione novi, atque commodioris, neceſſarii maximè, habitaculi, Saxa nigri coloris marmorea, quibus mediis immerſa vidi Lapidum Figuratorum haud obſcura veſtigia: *Conchitam* pectiniformem denſè ſtriatum, atque contortum; ſtricturas item *Lentium Lapidearum* ſeu *Frumentalis Lapidis Imperati*, de quo fuſiùs egi in *Specim. Lithograph. Helv.* p. 30. 31. &c. & in Ὀυρεσιφοίτ. Ann. 1702. p. 7.

E

Tab. IX.



Sumptibus D. Georgij Stubbes, A.M. Collegij Exonienſis Oxon. Socij.



E Fiſſuris ipſis Marmorum procreſcunt *Cryſtalli* hexagonæ parvæ, ſed & *Fluores Selenitici* octaedri & hendecaedri, Lentibus ferè ſimiles, quarum hedræ tres utrobique in Pyramides coëunt, reliquæ latera claudunt. Vid. TAB. IX. *Fig.* 2. *Cryſtalli. Fluores.* TAB. IX. *Fig.* 2.

Fluoribus autem his Polyhedris ſubſternitur cruſta Martialis crocea, quæ ipſos Fluores paſſim ſubfuſco colore tingit.

Valentiam inter & *Thermas Fabarias* eſt *Fiſſilis Lapis*, ſeu Ardeſia cinerei coloris, friabilis; aſt altiori loco, *Valentiam* inter & Montes, qui *Graue Horen* vulgò dicuntur, durior nigra illi ferè ſimilis, quam ex Glaronenſi Ditione in pleraſque Europæ Regiones devehunt. Locum autem hunc, ubi Lapides hos Fiſſiles collegi, Barometri ſubſidio altiorem comperi Thermis Fabariis 1200. pedd. *Fiſſilis Lapis.*

Circa Fabarias Thermas pererrant Alpes ſummas *Galandæ*, *Cornuum griſeorum*, *Sanoi*, & aliorum Montium, ingenti copiâ *Rupicapræ*, de quibus hâc, quâ ſæpe earum carnes guſtavi, occaſione aliqua afferam, quæ in Collectaneis meis reperio, & Hiſtoriæ horum Animalium montivagorum complendæ, vel illuſtrandæ ſaltem, conducere valent. *Rupicaprarum*

De Αἰγάγροις his, quas Rhæti *Chiamuotſch* appellant, inter alia hæc ſcribit *Geſner. de Quadruped.* Lib. I. p. 321. *Conveniunt ſæpe circa petras quaſdam arenoſas, & arenam inde lingunt, ut villatica pecora ſalem, quo linguæ inertem pituitam defricent, & excitent appetitum. Qui Alpes incolunt Helvetii, hos loco ſua Lingua* Sulzen, *tanquam Salarios, vel Halopegia appellant. Circa hos occultant ſe Venatores cum bombardis, & pro more accedentes Capras ex improviſo feriunt. Wagnerus Hiſt. Nat. Helv.* p. 183. *Nitro impregnatas petras* memorat, quas adeant Rupicapræ. In Alpibus paſſim invenias talia loca, ita per longi temporis decurſum à Linguis Beſtiarum exeſa, ut Saxa ipſa videas excavata; *Gläck* Rhæti vocant, *Gläronenſes* & alii *Läckinen*, *Sultz-Läckinen.* Sunt autem hæc Saxa non, vel rariſſimè Sale quodam impregnata, ſed laxiora, arenoſa, ut arenam inde, veluti delicias facilè abligurire queant. An verò id fiat ad appetitum excitandum, vel pituitam ex Linguâ defricandam, vel, *Linctus ad Saxa. Sulzen.*

quod conjecto, digeſtionem promovendam nunc non definio: Certum hoc eſt, quòd obviam quamvis terram vel ſabulum deglutiant, ſi loca huic uſui deſtinata deſint. Merentur cum Saxis his lambitioni dicatis conferri, quæ refert *Plot Nat. Hiſt. of Staffordſh.* p. 151. & tantò lubentiùs huic loco inſeram, quòd Nitrum Saxis iſtiuſmodi eximant, & ab arenulis ſolis uſum deducant. *On the Banks of the River* Stour *I was ſhewn a large Rock, at which it has been obſerved, that Birds do lye frequently pecking and licking it, an 'tis ſuppoſed for the Salt they find in it: That many Birds delight in licking of Salt, eſpecially Pidgeons, is very certain, but that there is any in this Rock I muſt confeſs I could not find, tho I endeavour'd it nicely; perhaps they may rather come for a ſort of Gravel in this Rock, that may be fitter than ordinary for breaking the Corn that they have eaten, which in ſuch Animals as theſe, that have no Teeth, is perform'd in the Gizzard by the help of Gravel: Yet neither can I conclude, that there is no Salt in the Rock, becauſe I could not taſt it, for I very well know, that moſt other Animals are nicer in their Senſes than Mankind.* Quod de Avibus mediantibus arenulis & ſiliculis, digeſtionem promoventibus, obſervant Zoologi, id pariter locum habet in Ruminantibus, quæ inferiori Dentium anteriorum ordine carent, ut illæ omnibus, & proin maſticationem peragunt ruminando. Obſervavimus ipſas Capras & Vaccas paſſim abligurire de Muris, & Terra, quod proficuum ipſis videtur.

Venatio. *Cum in Venatione urgentur*, ita pergit *Geſnerus* l. c. *altiùs ſemper aſcendunt, donec nullus ad eas canibus pateat acceſſus*; dico potiùs, hominibus, quandoquidem Canum in hoc Venationis genere nullus eſt uſus.

Cicuratio. *Captas aliquando cicurari* ſcribit *Geſner.* p. 322. non certè de adultis id aſſerere potuit, ſed juniores intelligere. Capiuntur autem hæ vel abſque ſingulari aliquo artificio, ſi aliquot duntaxat hebdomadarum ſint, & Parentes ſuos adſequi non valeant; vel, ſi paulò provectiores jam ſint ætate, ſequenti Stratagemate. Matrem lactantem ubi Sclopeto feriit Venator, humi procumbit, atque quatuor pedibus erectam, quan-

quantum poteſt, Matrem ſiſtit. Hanc videns proles, accedit Lactis alimento fruitura, accedentem Venator arripit, & ligat, ſæpe etiam vinculis ſolutam retrò curſitantem habet, matrem mortuam humeris geſtans. Domi deductus fœtus nutritur Capræ domeſticæ Lacte, qua ita delectatur poſtmodùm & cicuratur, ut cum Grege Caprarum in Paſcua Alpina veniat, indeque ſponte ad Stabula redeat. Aliquando tamen

Naturam licet expellas furcâ, uſque redibit,

grege domeſtico relicto altiora, & Naturæ ſuæ convenientiora loca petunt, ſi ætatis ſint paulò provectioris.

Gregatim communiter incedunt, ſocialitate gaudentes, non id tamen abſque aliquo ordine. Ducem habent, quem *Vorthier*, *Vorgeiſs*, q. d. *Capram præeuntem*, Venatores vocant: Altiori hæc conſiſtit loco, &, dum reliquæ pabulum demordent, arrectis auribus attendit ad quoſvis ſtrepitus, apertis oculis circumſpicit, ac ſi quid vel audiat, vel videat, ſibilo acuto, & claro, veluti ſigno dato, omnes monet, ut in fugam ſe aliorſum recipiant. Reliquæ interim Capræ vigilantium Militum officio ſimul defunguntur, & poſt capita erigere ſolent, quàm bis tèrve pabulo quidpiam abraſerint, nuſquam ita ſecurè, niſi per Hyemem, in rupibus inacceſſis, vel noctu, degentes. Non minùs autem pro prole ſua ſunt ſollicitæ, quàm pro ſe, defendunt illam ſæpè ſæpiùs à Vulturum inſultibus, quæ teneros Rupicaprarum fœtus vel unguibus ſuis rapiunt, vel alis priùs percutiunt, ut per Saxorum crepidines devoluti corruant: Probè etiam cavent, ne fœtus ſuos ante ad periculoſa ducant loca, quàm ſcandendi & ſaliendi ſint periti. *Vivendi ratio.*

Hybernacula Rupicapris ſunt propendentium Saxorum Cava, in medio ferè Monte ſita, ubi à Labinarum decurſu ſunt immunes, & in Cibum quærunt vel Radices Herbarum, vel Sarmenta Arborum, vel reſiduas ſub Nive virentes Herbas. Reliquo Anni tempore pabulantur in locis apricis, ſed ante Solis Exortum, & poſt hujus Sideris occaſum: Interdiu decumbunt in Nive, vel ſub Umbris Petrarum. *Hybernacula.*

Qui Rupicapris inſidiantur, laboribus plenum, & periculo haud *Venatio periculis & laboribus plena.*

haud carens, opus habent. Scandenda ſunt ſumma, & abrupta Alpium juga, per cautes horridas, & ſcopulos aliis inacceſſos, per Glaciem inveteratam, Nives induratas, quapropter armati incedunt Inſtrumentis ferreis TAB. IX. *Fig.* 3. quæ loris mediantibus Calceorum Soleis adaptant. Evenit haud rarò, ut ad altiſſimi Saxi parietem perpendicularem conſiſtentes, & vix dimidii pedis baſi innixi eò feram adigant, ut hâc anguſtiſſimâ, nec aliâ, viâ evadere poſſit. In anguſtias tales redacta Rupicapra aut globulo trajicitur ab inſidiatore, aut ad id ſeſe reſolvit, ut juxta Venatorem transfugiat. In hoc caſu qui cautè ſe gerit, corpus totum Saxo immediatè applicat, ut nullus interſtitio ſit locus, ſic extrà trajiciens fera redit, ſalvo manente Venatore, vel ab hoc ipſo ad ima præcipitatur, ut propriâ mole ruat, & corruat; quòd ſi vel minimum ſpatiolum inter Petram & Venatorem deprehenderit Capra, hoc ſubingredi tentat tali vi, quæ inſidiatorem ipſum deorſum, ad mortis fauces, trudit. Caſum hunc ſequentibus Rhythmis deſcribit *Räbmann Geſpräch von Bergen*. p. 458.

TAB. IX. *Fig.* 3.

Das Steinwildpret, Steigt überhoch
Oder ſteht in ein felſig loch
Vnd über hochſte felſen ſpringt,
Mit Liſt der Jäger nachher tringt,
Vnd wann er mit geſchwinder hand
Ein Gams getrieben an ein Wand,
Das ſie nit weiter weichen kan
So fahet ſie zu trähnen an,
Vnd plerret doch, und wiſpelt nicht,
So aber ong'ferd ſie durchſicht
Zwiſchen dem Jäger und der Wand
Mit ſtarkem ſprung ſie durchhin rant,
Vnd ſtürtzt den Jäger in das Thal
Zu ſeinem gwiſſen todesfal.
Wird aber mit fürſichtigkeit
Das Gemſchthier an dem Orth erleit,
So falt es oft ab felſen hoch,
Da d'Heüt gmeinlich ganz bleiben noch.

Ta-

Taceo nunc, eò uſque cogi aliquando Venatores, ut ſi vitam ſaltu ſalvare cupiant, calceos exuere, & calcaneum cultro vulnerare neceſſe habeant, ut Sanguine effluxo veluti glutine medio parieti alicui adhærere, & ſic tutiùs tantò tranſilire valeant.

Circa Rupicaprarum Venationem hoc inſuper memorari meretur, quòd Glaciem inveteratam, colore præſertim cœruleo nitentem, nec dum Nive tectam non tranſcurrant; ſed inſidiatori potiùs ſeſe ſclopeto trajiciendas, quàm lubricæ viæ dedant: Ita accidit ante paucos annos *Georgio Schänio*, Novenenſi Rhæto, ut ad Rheni Poſterioris Scaturiginem, & Gletſcheri maximi (qui ad Milliare in longum, dimidium in latum, & centenos aliquot pedes in altum ſe exporrigit) radices ſpatio unius horæ Rupicapras tres transfixerit.

Id porrò monent Rupicaprarum Venatores ſeipſos, & alios, ut adverſis Ventis prædæ inhient; venti enim ab inſidiatoribus venientes, & feras adſpirantes, effluvia ſimul tum hominum, tum pulveris pyrii illuc devehunt, quæ illas commovent, & ad fugam diſponunt. Certum quippe hoc eſt, odoratu pollere præcellenti, quem vel Nervorum Olfactoriorum inſignis magnitudo arguit.

De 'Αιγάγροις conſtans eſt Venatoribus perſuaſio, durioris *Pilæ.* vitæ, & vix interimendas eſſe, quæ Ægagropilas in Ventriculo geſtant, ut vel hinc Pilarum præſentiam inferant, ſi globis aliquot lethaliter transfixæ feræ tergiverſentur diu, antequam procidunt. Faciliùs mehercule hanc vitæ tenacitatem perſuaſeris Philoſopho, quàm earundem, vel etiam Hominum ab eſu Doronici, aut geſtatione Ægagropilarum, impenetrabilitatem. Facile quippe fieri poteſt, ut Ægagropilarum Alexipharmaca, & verè Bezoardica, vis majus Caprarum fibris nerveis, membraneis, & carneis, concilient robur.

Sunt Venatores, qui globulos plumbeos carni Rupicaprarum infixos ſtudioſe aſſervant, tanquam excellens diureticum, *Globuli plumbei.* quod materiam morbi per vias urinarias ægri copioſè & potenter educat, ſi Aquam is bibat globis illis affuſam. Fides ſit penes expertos.

ταῦτα μὲν περὶ ταῦτα. Inſerviant, quæ hactenus de Rupi-

capris retuli, Appendicis loco ad Hiſtoriam horum Animalium Geſnerianam, Aldrovandinam, aliamve.


Pergo ad alia nova hujus Itineris & Anni obſervata, quæ confuſâ, ut hactenus conſuevi, ſerie proponam.

Via Romana. *Vallenſtadium* oppidum inter, & Ripam *Lacûs* porrigitur per prata paludoſa *Via Romana* Glareâ & Lapillis ſtrata. Taliſmodi Romanæ munificentiæ monumentum ad ſeſquihoram ferè protenſum inveni nupero Anno in Comitatu *Badenſi*, inter Pagum *Groſs Tettingen*, & *Limagi* cum *Arolâ* confluxum: Utramque ſtructuram à nemine, quod ſciam, hactenus deſcriptam, heîc loci in gratiam Antiquitatis ſtudioſorum memorare, & Badenſem quidem delineare volui *TAB. X. Fig. 1.* TAB. X. *Fig.* 1. Id genus vias, in Hungariâ paſſim obvias commemorat Illuſtr. atque Exc. Comes *Aloyſius Ferdinandus Marſiglius* in *Prodr. Oper. Danubial.* p. 25.

Ligna tortuoſa. In Monte *Guntzen* ſupra *Sarganſam* obſervantur Ligna *Fagina* aliis, quæ alibi creſcunt, duriora, graviora, & variè intorta, nodoſa. Notandum, ſubjacere illis Venas celebres illas Chalybis deſcriptas in Ὀυρεσιφ. Anni 1703. p. 81. Derivari hoc Phænomenon debet ex principio diverſo ab eo, quod explicavi in Ὀυρεσιφ. Ann. 1702. quoniam non alibi in eadem, & majori etiam altitudine Montium obſervatur: Incolæ ipſi arceſſunt hanc Lignorum ferream quaſi duritiem à ſucco nutritio particulis ipſis Chalybis imprægnato, & veluti ferruminato, cui Philoſophus haud difficilem præbebit aſſenſum, ſi Ligna nôrit per macerationes in Aquis Chalybeatis, & Martiatis duriora reddi, & ferro penè invicta. Conſtat præterea ex plantarum analyſi vegetabilibus omnibus ineſſe particulas ferreas, quæ proin fuere ex Terra cum ſucco nutritio elevatae. Elevabantur autem plures, ſi Terræ viſcera venâ ferri ſint referta.

Alpina. Hâc occaſione commemorandum venit aliud Phænomenon circa *Ligna*, quod jucundas pariter Phyſico ſuggerit contemplationes, atque Scriniariis utilitates haud contemnendas. Quod in Sylvis *Glaronenſis* Ditionis editioribus creſcit, *Abietis* rubræ Lignum (*Hochwälder Holz* noſtrates vocant) levius eſt, poroſius, operibus quibuſvis ſcriniariis, præſertim

Pl. 3.



Sumptibus D. Johannis Thorpe, M.B. Oxon. Societ. Reg. Socij.

tim Muſicalibus aptius; Circuli, quos *annos* vulgò vocant, ſunt arctiores, ut ejuſdem ætatis Ligna *Glaronenſia* anguſtioris ſint diametri, latioris noſtra. Rationem exinde derivo, quòd in editioribus Sylvis in poros & tubulos Arborum ſurgant duntaxat tenuiores particulæ, quæ minus etiam ſpatium in latitudine explent, relictis in fundo craſſioribus, & magis reſinoſis.

Deſcripſi in 'Ουρεσιφ. Anni 1703. *Speluncam Divi Martini* perforatam, in ſummo *Flimſenſis* Montis Jugo conſpicuam: De hac bene conjectat Rev. D. *Wildius*, Glaronenſium Paſtor primarius, eam nominis ſui originem trahere potiùs à D. *Matthæo*, quam à D. *Martino* (ut ſit propriè *Matthisloch*, pro quo ſenſim per inſertionem τȣ̃ *r* exortum *Martisloch*) ſolet autem die huic Sancto conſecrato Sol per illam comparere. *D. Martini Spelunca.*

In 'Ουρεσιφ. Anni 1702. p. 6. mentio fit *Pſeudadamantum*, ſeu Cryſtallulorum puriorum Alpinorum, qui reperiuntur *auf dem Aubrig* Ditionis *Suitenſis*. Quæ nunc porrò de iis obſervârim, paucis indicabo ſimul, & delineabo. Sunt ex his Lapillis plerique equidem integri, utrinque cuſpidati, quos ἀμφήκεις nuncupant Græci; aliqui tamen hedris lateralibus vel carent prorſus, TAB. X. *Fig.* 2. vel paucis ſunt præditi *Fig.* 3. vel omnibus quidem, ſed iis peranguſtis *Fig.* 4. Alii hedras habent laterales longiores, & pyramidales, ut reliqui *Fig.* 5. alii invicem ſunt innati *Fig.* 6. & variè adnati *Fig.* 7. Per *innatos* intelligo, qui in eâdem lineâ rectâ invicem innaſcuntur, ſeu, quorum Axes unam conſtituunt lineam rectam; per *adnatos* autem, quorum Axes angulos formant diverſimodè coëuntes. Sunt tandem, quorum corpori alius Cryſtalli innati pyramis immergitur, ut reliquum hujus corpus pro petiolo alterius intuearis, *Fig.* 8. *Pſeudadamantes.* TAB. X. *Fig.* 2. 3. &c.

Nunc pergo ad Obſervationes Barometrico-Meteorologico-Geometricas, unde ſitum Thermarum Favarienſium reſpectivum quàm prope colligere dabitur. *Obſervationes Barometricæ.*

Die 7. Jul. 1704.

Tigguri horâ 12. merid. ſuit Barom. majus		2
	Thermometr. maj.	191
	Hygrometrum	38

 quod

quod adeò arguit inſignem humiditatis in Aëre præſentis gradum, ſicut Thermometra caloris.

Secuta eſt nocte ingruente Pluvia cum Tonitrubus & Fulguribus, quæ tempeſtatem minabantur gravem alibi fortè obortam. Navigabamus tunc in Lacu Tigurino.

Die 8. Jul.

In Vico *ad Lacum* (*Lachen*) aſcendit cœlo ſereno Mercurius ad 1. uſque gradum: Manſit cœli ſerenitas uſque ad Veſperam.

Vallenſtadii horâ 7. p. m. Barom. maj. $4\frac{1}{2}$.

Tiguri per totum diem ſubſtitit Mercurius in 1.

h. 8. a. m.	Barom. min. ſimpl.	46.	hor. 1. p. m.	46.
	Thermometr. maj.	196.		192
	Hygrometr.	29.		30

Cœlum erat nunc ſerenum, nunc nubibus obductum, interdum audiebantur Tonitrua. Ante Meridiem ſpiravit Aquil-Oriens ad Aquilonem, poſt Occidens.

Ex hujus Diei obſervatione foret *Lachen* Vicus ejuſdem cum Urbe *Tigurinâ* altitudinis: *Vallenſtadium* autem *Tiguro* altius 280. pedd.

Die 9. Jul.

Horâ 5. antemerid. Vallenſtadii fuit Merc. 3.

Ragazii horâ 12. merid. 5.

In Thermis Fabariis. h. 11. p. m. 10.

Attollebant ſeſe hoc die Nebulæ montanæ in altum, cum ſerenitate ſubſecutâ.

Tiguri h. 7. a. m.	Barom. maj.	1.	h. 1. p. m.	$\frac{1}{2}$.
	Thermom. maj.	180.		185.
	Hygrom.	$27\frac{1}{2}$.		30.

Ex hujus Diei Obſervationibus conſtaret, *Vallenſtadium* ſuperius eſſe *Tiguro* 160. pedd. & *Ragazium Tiguro* 360. *Vallenſtadio* autem 200. *Thermas* tandem *Fabarias Tiguro* 760. *Ragazio* 360. *Vallenſtadio* 560.

Die 10. Jul.

In Thermis Fabariis h. 5. a. m. Merc. 10.

Tiguri h. 7. a. m.	Barom. maj.	1.	h. 2. p. m.	$\frac{1}{2}$.
	Thermom. maj.	179.		189.
	Hygrom.	33.		40.

Continuat dies ſerenus, poſt meridiem calidus; pergit ſpirare Occidens.

Ex hodiernâ Obſervatione forent Thermæ Fabariæ ſuperiores Tiguro 720. vel 760. pedd.

Die

Die 11. Jul.

In Thermis hor. 8. a. m. Merc. alt. 9.

Tiguri h. 6. a. m. Barom. maj. ½. h. 1. p. m. ½.
Thermom. maj. 177. 188.
Hygrometr. 31. 39.

Continuat ſerena caliditas, ſpirat Zephyrus.

Juxta hunc Computum Thermæ forent Tiguro altiores 680. pedd.

Die 12. Jul.

In Thermis hor. 9. a. m. Merc. alt. 8¼.

Tiguri h. 6. a. m. Barom. maj. ½. ſupra primum h. 2. p. m. item.
Therm. maj. 168. 188.
Hygrom. 39. 44.

Continuat Tiguri eadem Tempeſtas, idemque Ventus.

Hodie Thermæ ſuperiores forent Tiguro 700. ped.

Die 13. Jul.

In Thermis hor. 10. a. m. Merc. alt. 9½.

Tiguri h. 7. a. m. Barom. maj. ½. ſupra. h. 4. p. m. o.
Thermom. maj. 176. 201.
Hygrom. 42. 50.

Continuat eadem ſerenitas Aëris, idemque Ventus.

Altitudo Thermarum ſupra Tigurum hodie 800. vel 760. pedd.

Die 14. Jul.

In Thermis h. 5. a. m. 10½.

Ad radices *der grauen Hornen*, quas conſcendi, 25. ubi circa Meridiem cecidit pluvia.

Tiguri h. 6. a. m. Barom. maj. ½. h. 3. p. m. ½.
Thermom. maj. 188. 204.
Hygrom. 41. 51.

Continuat tempus ſerenum: Spirat Occidens ad Aquilonem.

Hodie Thermæ forent altiores Urbe Patriâ 800. pedd. mons ipſe, quem conſcendi, Thermis 1140. Tiguro 1940. pedd.

Die 15. Jul.

Hor. 6. a. m. deſcendit Merc. in Thermis ad 14½.
5. p. m. 15.

Veſperi oritur Tempeſtas, ut Wartoviæ & alibi in Comitatum Sarunetum ceciderit prægrandi corpore Grando.

Tiguri h. 10. a. m. Barom. maj. 10. h. 3. p. m. 1½.
Thermom. maj. 193. 200.
Hygrometr. 33. 44.

Tiguri quoque ſub veſperam effunditur Imber cum Tonitru & Fulgure.

Die 16. Jul.

Tiguri h. 6. a. m. Barom. maj. 2. h. 1. p. m. $1\frac{1}{2}$.
Thermom. maj. 180. 185.
Hygrom. 23. 34.

Cœlum ante Meridiem nunc ſerenum, nunc nubilum, poſt autem percalidum.

Die 17. Jul.

In Thermis h. 7. a. m. Merc. alt. 14.
1. p. m. $14\frac{1}{2}$.
In Cœnobio Favariano h. 2. p. m. $17\frac{1}{2}$.
Tiguri h. 10. a. m. Barom. maj. $1\frac{1}{2}$. h. 1. p. m. $1\frac{1}{2}$.
Thermom. maj. 179. 185.
Hygrom. 34. 38.

Continuat Cœlum calidum & ſerenum; Ventus idem.

Ex hodiernâ Obſervatione Cœnobium altius eſt Thermis 240. pedd. Tiguro Thermæ 960. vel 1000. Cœnobium ipſum 1240. pedd.

Die 18. Jul.

In Thermis adhibito novo Barometrico Tubo
h. 6. a. m. Merc. alt. $11\frac{1}{2}$.
4. p. m. $10\frac{1}{2}$.
Tiguri h. 6. a. m. Barom. maj. 2. h. 12. 2.
Thermom. maj. 184. 173.
Hygrom. 44. 37.

Spirat Ventus Auſtr-Auſtr-Occidens: Dies pluvioſus.
Altitudo hodierna Thermarum 740. pedd.

Die 19. Jul.

In Thermis h. 9. a. m. Merc. alt. $10\frac{1}{2}$.
Cœlum inconſtans.
Tiguri h. 10. a. m. Barom. maj. $1\frac{1}{2}$. h. 1. p. m. $1\frac{1}{2}$.
Thermom. maj. 151, 152.
Hygrom. 20. 19.

Aër pariter nunc pluvioſus, nunc ſerenior.
Altitudo Thermarum hodierna 720. pedd.

Die 20. Jul.

In Thermis h. 6. a. m. Merc. alt. $9\frac{1}{2}$. Dies ſerenus.
Tiguri h. 9. a. m. Barom. maj. 1. h. 5. p. m. 1.
Thermom. maj. 160. 163.
Hygrom. 19. 27.

Dies nubilus; circa meridiem effunditur pluvia larga. Spirat Auſtr-Orien-Oriens.

Altitudo hodierna 680. pedd.

Die

Die 21. Jul.

In Thermis Merc. alt. 9. Cœlo ſereno.
Tiguri h. 10. a. m. Barom. maj. 1. h. 2. p. m. 1.
Thermom. maj. 156. 159.
Hygrom. 12. 9.
Dies inconſtans: Cœlum ſub veſperam ſerenaſcit.
Altitudo hodierna Thermarum 680. pedd.

Die 22. Jul.

In Thermis Merc. alt. 9. Cœlum conſtans ſerenum.
Tiguri h. 8. a. m Barom. maj. 0. h. 12. 0.
Thermom. maj. 153. 166.
Hygrom. 3. 14.
Manè nebula; reliquum Diei ſerenum. Spirat Ventus idem.
Hodierna Altitudo 720.

Die 23. Jul.

In Thermis Merc. alt. 9. Cœlum hîc, ut Tiguri, ſerenum.
Tiguri h. 7. a. m. Bar. maj. 0. h. 1. p. m. $\frac{1}{2}$.
Thermom. 158. 171.
Hygrom. 28. 29.
Flat Aquilo ad Orientem.
Altitudo hodie 720. vel 760.

Die 24. Jul.

In Thermis Merc. alt. 9. Cœlum hîc & Tiguri conſtans ſerenum.
Tiguri h. 10. a. m. Bar. maj. 0. h. 1. p. m. 0.
Thermom. maj. 171. 173.
Hygrom. 26. 26.
Altitudo hodie 720.

Die 25. Jul.

In Thermis Merc. alt. $9\frac{1}{2}$. Aër utrobique calidus & ſerenus.
Tiguri h. 7. a. m. Barom. maj. 0. h. 2. p. m. $\frac{1}{2}$.
Thermom. maj. 168. 188.
Hygrom. 30. 40.
Altitudo hodie 760. vel 800.

Die 26. Jul.

In Thermis Merc. alt. 10. Cœlum utrobique idem.
Tiguri h. 10. a. m. Bar. maj. $\frac{1}{2}$. h. 1. p. m. $\frac{1}{2}$.
Thermom. maj. 184. 188.
Hygrom. 36. 37.
Altitudo hodierna 760.

Die

Die 27. Jul.

In Thermis Merc. 10.

Tiguri h. 9. a. m. Bar. maj. $\frac{1}{2}$. h. 2. p. m. 1.
Therm. maj. 177. 190.
Hygrom. 42. 47.

Cœlum utrobique conſtans, ſerenum, calidum.
Altitudo hodierna 760. vel 720.

Die 28. Jul.

In Thermis h. 11. a. m. 10$\frac{1}{2}$. h. 6. p. m. 10.
Veſperi effunditur Imber cum Grandine & Tonitrubus.

Tiguri h. 6. a. m. Bar. maj. 1. h. 1. p. m. 1.
Therm. maj. 175. 195.
Hygrom. 41. 41.

Cœlum conſtans ſerenum.
Hodierna Altitudo 720. vel 760.

Die 29. Jul.

In Thermis Merc. alt. 10$\frac{1}{2}$. Tempus ſerenum.

Tiguri h. 10. a. m. Bar. maj. 1$\frac{1}{2}$. h. 8. p. m. 1$\frac{1}{2}$.
Therm. maj. 189. 187.
Hygrom. 34. 45.

Cœlum inconſtans. Veſperi effunditur Pluvia cum Tonitru & Fulgure. Regnat Ventus Auſtr. Occidens ad Auſtrum.
Hodierna Altitudo 720.

Die 30. Jul.

In Thermis manè 10$\frac{1}{2}$. Veſperi 11. Tempus ſerenum.

Tiguri h. 10. a. m. Bar. maj. 1$\frac{1}{2}$. h. 6. p. m. 2.
Therm. maj. 184. 173.
Hygrom. 18.

Dies nebuloſus: Veſperi circa horam 8. pluvia cadit cum Tonitru & Fulgure.
Altitudo hodierna 720.

Die 31. Jul.

In Thermis manè Merc. alt. 10$\frac{1}{2}$. à meridie 10. Tempus pluvioſum.

Tiguri h. 10. a. m. Bar. maj. 1$\frac{1}{2}$. h. 8. p. m. 1$\frac{1}{2}$.
Therm. maj. 181.
Hygrom. 15.

Cœlum inconſtans.
Altitudo hodierna 720. vel 680.

Die

Die 1. Aug.

Ragazii Merc. alt. 7.

Tiguri h. 6. a. m.	Bar. maj.	1½.	h. 6. p. m.	1½.
	Therm. maj.	177.		185.
	Hygrom.	32.		33.

Cœlum inconſtans. Differentia altitudinis 440. pedd. (quæ ſuprà fuit 360.)

Die 2. Aug.

Ad Lacûs Tigurini principium Merc. alt. 1½.

Tiguri h. 10. a. m.	Bar. maj.	1½.	h. 1. p. m.	1½.
	Therm. maj.	184.		191.
	Hygrom.	18.		24.

Veſperi effunditur Imber. Differentia altitudinis nulla, uti quoque ſuprà.

Ex his Obſervationibus conjectare licet, elevatiores eſſe *Thermas Fabarias Tiguro* 700. vel 800. pedd. Ecce enim *Altitudo Thermarum Fabarienſium.*

760 habemus novies.
720 ——— ſepties.
800 ——— ter.
680 ——— ter.
700 ——— }
960 ——— } ſemel.
1000 ——— }

Porrò, ſi valeat 760, *Cœnobium Fabarianum* altius eſſe *Tiguro* 1000. *Cœnobii.*
Ragazium Tiguro 400. *Ragazii.*
Vallenſtadium Tiguro 160. *Vallenſtadii.*

F I N I S.

ΟΥΡΕΣΙΦΟΙΤΗΣ HELVETICUS,

Sive

ITINERA

Per

HELVETIÆ ALPINAS REGIONES

Facta

ANNIS

MDCCII. MDCCIII. MDCCIV. MDCCV. MDCCVI. MDCCVII. MDCCIX. MDCCX. MDCCXI.

Plurimis Tabulis æneis illuſtrata

à

JOHANNE JACOBO SCHEUCHZERO,

Tigurino, Med. D. Math. Prof. Acad. Leopoldino-Carolinæ & Socc. Regg. Anglicæ ac Pruſſicæ Membro.

TOMUS SECUNDUS,

Nunc primum Editus, & comprehendens

ITER ANNI MDCCV.



LUGDUNI BATAVORUM,

Typis ac Sumptibus PETRI VANDER Aa.

M D CC XXIII.

JOHANNIS JACOBI SCHEUCHZERI,

Tigurin. Med. Doct. Math. Prof. Acad. Leopoldino-Carolin. & Socc. Regg. Anglic. ac Pruſſic. Membr.

ΟΥΡΕΣΙΦΟΙΤΗΣ HELVETICUS,

SIVE

ITINERIS ALPINI

Deſcriptio Quarta,

ANNI MDCCV.

Nunc primum Edita.

ITER ALPINUM QUARTUM,

ANNI MDCCV.

PERILLUSTRI SOCIETATI REGIÆ LONDINENSI.

ILLUSTRES NATURÆ CONSULTI,

Fuit ea apud Gentiles ſuperſtitioſa Religio circa Dierum in Rebus agendis electionem, ut quos adverſos ſibi experti ſunt atro notârint Carbone, nec facilè quid in tali die ſuſcipere auſi fuerint. Accidit ante annum, ut hoc ipſo, quo nunc Tiguro *diſcedo, die* 30. *Jul. in Urbem delatus fuerit, falſus licet, quæ DEI eſt Gratia, rumor, de* Naufragio *abs me, Conjuge mea, & Societate Amicorum, Amicarumque integra in* Lacu Rivario *facto, magno eorum, qui nos attinent, vel amant, luctu & mœrore, ut mille oculis mille expreſſerit lacrymas triſtis nuntius. Abſtinuiſſet ab hac temporis circumſtantia, atro ſigno notanda Superſtitioſulus alius, ſeu Gentilis, ſeu Chriſtia-*

Iter felicibus auſpiciis cœptum in fauſto.

Die 30. *Julii.*

ſtianus, at ego Providentiæ Divinæ cuncta mea committens ſicuti pro conſervatione tam Corporis, quàm Animi, Supremo Numini immortales debeo grates, ita nihil hunc temporis articulum metuens, non temerè quidem, ſed invariata erga Creatorem meum & Conſervatorem benigniſſimum, imò verò Salvatorem T. O M. mentis conſtantiâ hoc Iter Alpinum aggreſſus Lacui Tigurino *me commiſi ſub Veſperam nominati ante Diei, unà cum Nobiliſſimis, Fidei meæ & Curæ concreditis Juvenibus, Domino* Johanne Heſſio, Rodolpho Lavatero, Joh. Jacobo Leone, Conrado Orellio, Joh. Caſparo Waſero. *Vobis autem, VIRI* Dignitate, Eruditione, Proſapia, Perilluſtres, *haud ſpero ingratum erit Excurſionis hujus, quæ multùm mihi conſtitit Laboris, multùm expreſſit Sudoris, ſucceſſum abs me percipere, & Tributum hoc Literarium eodem affectu à* Collega Veſtro *Indigno accipere, quo Laborum horum primitias amplexi eſtis, imò verò errantem me in Veritatis ſemitam reducere, titubantem in ſaxoſis, & periculoſis, viis erigere, labantem per lubrica Glaciei alpinæ, Nivis æternæ, & Montium caſus præcipitia ſuſtentare, ſed & firmo incedentem pede Favore veſtro, & Authoritate, per omnes Mundi Plagas extenſâ porrò ſuffulcire, animumque ſic ad Ulteriores in Studio* Naturali Hiſtorico Patrio *Progreſſus majorem dare. De ipſis autem his & prægreſſis qualibuſcunque, Vobiſque dicatis Laboribus hoc unicum addo, diſponere vos poſſe pro lubitu, rejicere, ſi diſpliceant, recondere, ſi placeant; æterno damnare ſomno, vel in dias protrahere luminis auras.*

Barometrorum ante diſceſſum collatio. 26. dig. 7. lin. Pariſ.

Barometrum Muſei mei correſpondens cum iis Baculis, & Vitris, quæ mecum in Itineris conſortium aſſumſi, vidi ante meum diſceſſum in 23″. dig. 9.‴ ſcrupul. initio numerandi facto a ſuperficie Mercurii per digitos, & ſcrupulos decimales Tigurinos, quorum ſcrupulorum unus, reſpondet 80. pedibus Tigurinis. talem autem digitum in ſuos ſcrupulos diviſum ſiſto *in Fig.* 1. *Tab. I. Itin. Alp.* 1703. Serena fuit & percalida Aëris qualitas, quæ duravit die quoque ſequenti, imò per totum fere Itineris decurſum.

Dies 31. Jul. Provincia ad Fines.

Craſtino mane, qui fuit 31. Jul. appuli in vico *ad Lacum, Lachen*, qui primarius eſt Provinciæ *ad Fines*, vel *Terminos*

dictæ

dictæ (*der Landſchaft March*) quæ Suitenſium eſt, per trihorium ſeſe in longitudinem protendit, atque priſcis temporibus limites conſtituit *Helvetiæ* & *Rhætiæ*, ſequioribus autem Seculis *Comitibus Rapperſuilenſibus* paruit, hinc A. 1330. hæreditario jure devenit ad *Habspurgicam* Domum, porrò ad *Auſtriacam*, tandemque A. 1408. *Helvetiæ* & nominatim *Suitenſi* Pago fuit incorporata. Sclopeti jactu ab hoc vico diſtat pagus *Altendorf*, q. d. *Pagus Veteranus*, cui nomen dedit Templum antiquis temporibus ibi extructum. Heic triſtes vidimus reliquias *Caſus Montis*, qui an- *Caſus* te annum contigit, & Incolis inſigne intulit damnum. Ta- *Montis ad pa-* liſmodi Caſus Helveti & Rhæti communiter vocant *Ruſi*, *gum* *Ruſinen*, forſan à rupibus, quæ decidunt, vel à torrentibus alpinis ad valles devolvuntur, & præcipua damna adferunt; vel à *ruina*, q. d. *ruinen* propter ſtrages, quas paſcua, ædes, ſtabula, pecora & homines inde patiuntur: aliàs etiam *Bergfälle*, quæ vox *Caſum Montium* invariato ſenſu exprimit: *Bergbrüche*, q. d. *rupturæ montium*, *Bergſchlipfe*, quo vocabulo denotatur Montis per lubricam viam ad ima devolutio. Exempla hujus generis ſuggerit tota, ſeu univerſa Helvetia, quæ heic loci recenſere ſupervacaneum, imò ἀπροσδιόνυσον judico, unico contentus, quod recentiſſimum eſt, & peculiarem in Itinerario hocce locum de jure meretur. En igitur Hiſtoriam!

Die 27. Sept. 1704. accidit in nominato antè pago *Altendorf*, ut noctu irruerint cum horriſono fragore à ſuperiori *Altendorf.* Montis parte, Saxa, Sabula, Arbores, quæ omnia Torrentis inſtar ad ima devoluta, devaſtârunt Sylvam ſpatioſam, prædia pinguia, paſcua opima, Agros fertiles, Arbores innumeras, frugiferas, imò & dejecit domos tres, ſtabula ſex, atque ſub horum ruinis obtexit, Lethoque damnavit Homines quinque, *Johannem Caſparum* & *Jacobum Kriegios* fratres, *Lucium Schulerum*, Virum Valeſtadienſem, & Ancillam *Annam Mariam Schäggi* de *Galgenen*, præterea duodecim numero Pecora, ut in hoc infortunio contraxerint Incolæ damnum 12000. circiter florenorum. videas quippe paſcua & agros Saxis & Sabulis, Lignis tumultuosè jacentibus ita ob-

obtecta, ut nulla unquam ſpes ſit alicujus inde trahendi uſus.

Tranſitus per Regionem ad Fines.

A Vico *ad Lacum* porrò Equis vecti pertranſivimus Regionem *ad Fines*, *March*, & in ea pagos *Galgenen*, qui ½ hora diſtat a vico primario. *Sibenen* ½ hora, ubi Pons Fluvioli *Aa*: *Schübelbach* ½ hora, *Butzicon* ½ hora, *Rychenburg*, ubi rudera ſunt Arcis cognominis ½ hora, omnes paſcuis pinguibus læte virentes & Arborum omnis generis frugiferarum conſitos: ad lævam habuimus, jactum ſclopeti circiter *Lintham*, *die Linth*, fluvium qui Lacui ſeſe immergit Tigurino, & trans hunc *Caſtra Rhætica*, *Gaſter*, quæ *Glaronenſibus* & *Suitenſibus* ex æquo parent. Ad dextram autem Montes gradatim altiores.

Territorium Glaronenſe. Aqua ſulphurea. Balneum Inferiorum Urnenſium.

Glaronenſe Territorium poſtea ingreſſi permeavimus Pagos *Under* & *Ober Bilten*, prope quem in prato eſt *Aqua ſulphurea* uſus aboliti, porrò *Nider Urnen*, ubi eſt *Balneum* in ουρεσ. A. 1703. memoratum & examinatum: *Ober Urnen*, *Näfels*, *Nefels*, *Nähenfels*, *Navalia*, ubi A. 1388. die 9. April: victoriam reportârunt celebrem *Glaronenſes* de *Auſtriacis*, & in facti memoriam quotannis Proceſſio à Pontificiis inſtituitur ſolennis: *Nettſtal*. Poſt Meridiem intravimus *Glaronam*, qui Vicus eſt totius Cantonis primarius, & aliis nominibus *Clarona*, *Glareona*, *Glarus*, *Glaris*, cluet, & qui *æmulus* eſt *Urbium Vicus*, uti *Hofmannus* eum nuncupat in *Lexico Univerſali*.

Glaronæ Situs 25. 7. Par. 25. 7½. P.

Mercurii altitudinem hic obſervavimus 23″. 0‴. cœlo ſereno. *Tiguri* exiſtente Mercurio in 23″. ½‴. juxta quem computum non altior foret Glarona Urbe noſtra 40. pedibus;

Die 1. Aug.

Glaronæ poſtquam viſunda alibi commemorata vidimus, poſtero die Calendarum Auguſti diſceſſimus. In tranſitu per pagum *Mitlöden*, qui ſemihorâ à Glaronâ diſtat, oſtenderunt nobis inſigne Providentiæ Divinæ Exemplum, *Marcum Ginſing* ſexennem puerum, qui ante paucas hebdomadas, ſub ruina Caſulæ à prægrandi ſaxo deciduo, coopertæ & dirutæ, trabes inter medias diffractas ſalvus fuit repertus.

Puer ſervatus inter ruinas.

Suantes Populi. Mappæ Helveticæ correctio

Hinc venimus *Suandam*, *Schwanden*, Pagum nobilem ad *Linthæ* & *Sernftæ* confluxum ſitum, qui *Suantibus* populis Plinio commemoratis Lib. III. c. 20. nomen dedit. Hujus pagi occaſione corrigi debet *Mappa Helvetiæ* Gigeriana, &



Bourg de *GLARIS*, *en Suiſſe*.



& ad ejus Exemplar ſculptæ omnes aliæ, quæ ad Fluminum memoratorum confluxum locant *Bettſchwanden.*

Suandæ multa Humanitatis officia nobis exhibuit Rev. ac Doctiſſ. Loci Diaconus Dominus *Henricus Tſchudius*, qui vernaculo idiomate *Hiſtoriam* parat *Glaronenſem*, de Regionis ſitu, Incolarum Moribus, Regimine, Chronologica rerum ad *Glaronenſes* ſpectantium recenſione. In hujus Viri & *Fratris* ſui, qui Loci eſt Judex, Comitatu conſcendimus hac ipſa die Montem *Guppen*, qui *Glarniſchii* eſt ultimus fere appendix. Quæ in Aſcenſu & Monte ipſo obſervavimus, continuato nunc Relationis Itinerariæ filo exponam. *In Monte Guppen.*

Supra *Suandam* in Montis aſcenſu, *Rivus* occurrit *fontanus* frigidus, temporarius ad Majales referendus, quoniam per Hiemem ſe abſcondit, & Majo menſe rurſum è viſceribus Terræ prorumpit. De eo obſervant Accolæ, non fluere antequam Hyberni frigoris tranſierint omnes reliquiæ, & proin ex ejus fluxu prognoſticantur Verni Aëris blandum, nullum hyemis acerbitate interpolatum teporem; cujus Phænomeni rationem ſuggerit vernæ ipſius Auræ talis & tam conſtans tepor, quo tantum jam nivis eſt reſolutum, quantum ſufficit ad Hydrophylacium illud, è quo rivus præſens fluit, adimplendum, durat autem effluxus ad autumnales uſque Menſes, quamdiu ſcilicet in Penu illud ſubterraneum ſatis Nivis & Glaciei in editioribus Alpibus reſolutæ influit. *Rivus temporarius,*

De hoc *Fonte* id inſuper memorabile eſt, quod *Saponi* ſit *incommiſcibilis*, adeoque ejus Aqua ad expurganda Lintea-mina, uti quoque ad coquenda Piſa & Fabas, utpote quæ in illa non emolliri ſe patiuntur, inepta. Taliſmodi quoque *Fons* eſt prope *Halloviam*, vicum *Scaphuſienſis* Territorii, *der Hammer Brunnen* dictus, in quo pariter non ad emollitionis ullum gradum coqui poſſunt Legumina, & ſapo non reſolvitur, ſed illicò rurſus coagulatur in unam maſſam, Linteamina quoque, quæ in ea dealbantur aſperiora redduntur, & minùs durabilia. Perrarum hoc Fontium binorum Attributum, ſi æquâ Philoſophiæ Trutinâ examino, non aliam ejus invenio cauſam, quàm particularum aquearum minimarum majorem præ aliis aliorum Fontium molem, quapropter cor- *Saponi incommiſcibilis & Piſis coquendis ineptus.*

corticem piſorum aliorumve Leguminum non ſubire nec proin pulpam interiorem emollire poſſunt. Incommiſcibilitatem Saponis quod attinet, poteſt ea in comparationem trahi cum ſimilibus aliorum Liquorum vel concretorum phænomenis, ut Olei & Aquæ, quæ licet invicem diu, & in lacteum tertii generis liquorem commixta, rurſus tamen ſe extricant, ut oleum ſuperiorem, quam ante habuit, ſtationem recuperet: cumprimis autem Reſinarum in ſpiritibus ardentibus ſolutarum coagulatio in Aqua communi affuſa ſubſecuta huc quadrare mihi videtur. Hic videas reſinas in minimas moleculas diſcerptas unam eandemque, quæ homogenea videtur, liquidam maſſam conſtituere, conturbari autem & in craſſiorem molem coire ſtatim, ac craſſiores immiſcentur particulæ aqueæ, quæ reſinoſas ſeparatas ſervare non valent, nec proin impedire, quo minus hæ coëant. Pari ratione non poſſunt particulæ Saponis fontanis aliis commiſcibiles in conſortio craſſiorum partium diviſæ ab invicem ſuſtentari, ſed facile in poris anguſtioribus ſeſe conjungunt, & in unam ſenſim maſſam colligunt, effectus ſic exhibentes diſproportionatæ inter partium gravitatem, magnitudinem, & pororum figuram ac amplitudinem, relationis.

Converſationes jucunda de

Anheloſæ quidem ſunt ſcanſiones Montium, minùs tamen moleſtæ, ſi jucunda converſatio intercedat, quam pro vehiculo habuit *Eraſmus* in Itinere. Ita fateor magnæ nobis fuit ſublevationi *Tſchudiorum* ſupra memoratorum dulce colloquium, imò & uſui. Data fuit occaſio *de Rupicaprarum venatione*, & circa eam obſervandis differendi, quam materiam mox diſcutiemus, ſi ex monte reduces *Suandæ* animos recollegerimus, & corpora laſſa refecerimus.

Rupibus Glacialibus,

De *Glacialibus rupibus*, quarum aliquæ viſuntur ſupra montem *Guppen* ad Radices altiores *Glarniſchii*, & de *Aquis alpinis*, quas non Æſtate duntaxat, ſed & Hyeme ſuppeditant.

Torrentum Eluvionibus,

De Torrentum alpinorum Eluvionibus, quas paſſim *Draconum* nomine indigitant Alpicolæ, dicentes, *es ſeye ein Drach ausgefahren*, *evolaviſſe Draconem*, loquendi modo deſumto forte à Draconum atque Torrentum pernicitate; & quod

quod hinc fortè nata ſit multorum Draconum in Helveticis Hiſtoriis commemoratorum Fabula.

De durâ & mille periculis expoſita eorum Vita, quos *Wild-haüer* vocant, Fœniſecarum genus eſt ex pauperrima plebe, qui Fœnum hyberno Vaccarum ſuarum pabulo deſtinatum non in pinguibus pratis paſcuiſque alpinis amplioribus, quæ non habent, colligunt, ſed in altiſſimarum Alpium deſertis rupibus & areis, ſæpe vix decempedalibus, attamen adeo præcipiti loco ſitis, quorſum alii contendere audent nec ipſi, nec pecora ſua illuc mittere. In his Rupicaprarum potius paſcuis Fœnum ſecant audaculi, id in retis globoſam formam colligant, & per Saxa centenorum aliquot paſſuum præcipitant, mortis filii, ſi vel vertigine corripiantur in crepidinibus adeò anguſtis, & præruptis, vel ſaxa ceſpiteſve eorum Pedibus cedant, vel ipſi retibus, quæ pedibus protrudunt, humi cubantes ſe irretiant, & ſic una cum fœno abſciſſo, mortis ſymbolo, ſeſe ipſos Matri omniſecæ tradant: qualiſmodi triſtium caſuum Exempla paſſim nobis retulerunt Gentes Alpinæ. *Fœniſecæ alpinis.*

In ſummo *Guppen* montis jugo conſiderationi noſtræ ſubjecimus *Cryptæ ſubterraneæ* profundiſſimæ aperturam. In hanc ubi lapides projecimus, auribus proſequuti ſumus per longum ſatis ſpatium tinnientes veluti reflexi undique à parietibus cavi montis ſaxi ſonos, ut hinc & ex foſſis in eadem planitie montoſa paſſim collapſis, judicaverimus eſſe montem illum revera intus cavum, & fornice tenui ſatis ſaxeo terreoque opertum, qui occaſione Terræ Motus, aliave corruere facile poſſit. Cavum illud Montis ab ipſo, quem injecti Lapides excitant, ſono *das Döneloch* appellant Incolæ. *Montis Cavum.*

In hâc montis altitudine ubi conſedimus Experimentum Barometricum facturi, vidimus Mercurium delabi ad 21″. & inde judicavimus, eſſe nos Glaronâ altiores 2320. pedibus, Tiguro autem 2360. Ne autem conſtitutos nos putes in ſupremo Montis jugo, erigunt ſe ſupra *Guppen* Montem ſcopuloſi *Glarniſchii* culmina 3. vel 4000. pedibus, quantum ex aſpectu colligere licet. *Guppen Montis altitudo. 23. 4. P.*

Hic ubi quievimus, locus eſt nivem nec hyeme ſufferens, *Locus Nivem non ſufferens.*

 atque

atque proin caloris quendam ſubterranei effectum tantò facilius ſentiens, quoniam cavam internam Montis concamerationem ſupra jam conjecturavimus.

Reliquiæ Diluvianæ. Altiori adhuc quam ubi conſedimus loco, diverſæ ſunt Animantium marinorum in Diluviana ſtrage depoſitorum reliquiæ. Invenimus nos ipſi inter innumera nullius figuræ & diverſiſſimæ molis, per quæ proreptavimus, Saxa, unicum *Pectunculitæ* veſtigium in Lapide rubro Martiali ſucco perfuſo, & *Oſtrei* valvam in Saxo griſeo, quod ex innumeris conſtans globulis lente minoribus *Phacolithi*, vel *Hammitæ*, præ ſe fert ſpeciem; *Cornu Ammonis* item in ſaxo ſubcœruleo fragmentum.

Lapides Figurati Caudæformes. Aſt enimverò his omnibus anteferendi ſunt Lapides, quos ante annum à Glaronenſi Venatore Domino *Trümpio* obtinui, in altiſſimo Montis hujus pariete collectos. Cornu Ammonis primo intuitu referunt, ſed penitiùs conſiderantibus ſub alio longe conſpectu obveniunt. Uncialis plus minus ſunt Latitudinis, Longitudinis nunc ſemuncialis, nunc uncialis, ultra biuncialem non vidi, non enim aliud quam fragmenta hactenus accepi. Strias habent profundè & arcuatim, per tranſverſum ductas, quæ in Lateribus in ſpinam coëunt, eo planè modo, quo Cornua Ammonis ſpinata. Striæ ſingulæ ſignantur inſuper Lineis innumeris ſubtilibus parallelis angulatim in dorſo ſtriarum, lineolis quoque tranſverſim arcuatis, coëuntibus; per mediam longitudinem utrinque deſcendens conſpicitur fiſſura, quæ Lapidem in duas partes manifeſtè dividit. Cœterùm attendi meretur cavitatis veſtigium ſaxea quidem materia repletum, quod per totam tranſit Longitudinem, ut hinc conjecturare liceat, eſſe hos Lapides caudæ vel ſpinæ dorſalis, quorundam Animalium, ſeu piſces ſint ſeu cruſtacea quædam fragmenta, tandem enim in obtuſam apicem figura deſinit, compreſſæ latitudinis, ſupernè convexa, infernè concava. Supinam partem repræſentare volui in TAB. I. *Fig.* 1. pronam autem, in qua veſtigium & Lateralium ſtriarum in ſpinam coalitus viſitur, in TAB. I. *Fig.* 2. Jungi debet Figuratis his Lapidibus *Caudæ* cujuſdam *Animalis Foſſilis fragmentum*, quod ex *Neocaſtrenſi Comitatu* ob-

TAB. I. Fig. 1. TAB. I. Fig. 2.

TAB. I.



obtinuit quondam Excellentiſſimus Præpotentium Belgii Fœderati Ordinum Ablegatus, Dominus *Petrus Valkenerius*, quodve inſerere volui *Specimini Lithograph. Helvetiæ Curioſ.* pag. 66. & fig. 88. depingere.

Marmor.

In eodem hoc Monte *Guppen* invenitur paſſim *Marmor nigrum venis albis.*

Vena Ferri.

In Deſcenſu Montis vidimus reliquias *Fodinæ Ferri* olim cultæ, nunc deſertæ, cujus meminit quoque *Wagnerus Helvet. Curioſ.* pag. 351. Venam, quæ gravis eſt & metallo dives videtur, nobiſcum prædæ loco reportavimus. Venam hanc fuderunt in loco quodam prope Suandam, qui adhuc ab antiquis poſſeſſoribus nomen ſuum, *in der Herren*, derivat.

Vena Argenti.

Non Ferro duntaxat, ſed & *Argento* prægnantem voluere hunc Montem *Felix Grebelius* Tigurinus, & *Conradus Grebelius* Badenſis, qui unà cum *Glaronenſibus* lucri damnive ſociis A. 1525. & 1526. operariis ex Joachimica valle vocatis venas aperuerunt, teſtibus *Ægidio Tſchudio* in *Annal. Glarov.* MSC. & *Valentino Tſchudio* in *Hiſt. Refor. Glar.* ad h. a.

Ex Monte reduces corpora ab Itinere laſſa refecimus cœna opiparâ, quam nobis appoſuit laudatus ſupra Dominus *Tſchudius* Suandenſis Diaconus, & magis adhuc animos converſatione jucunda pariter, & eruditâ.

Dies 2. Auguſt. Suandæ altitudo 26. 7. P.

Sequentis Diei, qui fuit 2. Auguſti, initium facit Experimentum Barometricum *Suandæ* inſtitutum, quod nobis Mercurium exhibuit in 23″.9‴. ubi heri quoque ſubſtitit *Glaronæ.* Non inde inferre audeo, ejuſdem eſſe bina hæc loca altitudinis, certus altiorem aliquantum eſſe *Suandam Glaronâ.*

Freyberg, Rupicaprarum Aſyla.

Suandâ non dimovemus nos, antequam plenam habeamus informationem Hiſtorico-Politicam Alpinorum quorundam Jugorum, quæ prope adſtant, & *Aſylum Rupicapris* in Helvetia unicum præbent, ſi alium eximas Montem in Glaronenſi quoque Territorio, *Wiggis*, *Weiggis*, *Wyggis*, dictum, qui eodem Aſyli jure donatus eſt A. 1662. Menſe Majo. Illa juga de quibus nunc, κατ᾽ ἐξοχὴν vocantur *Freyberg*,

q. d. *Liberos Montes*, quos Rupicapræ liberè pervagari poſſint, abſque inſidiarum ullo periculo. Eſt hoc Capræ Alpinæ Genus meticuloſum adeò, ut vel leviculus auræ motus illas protinus in fugam agat, ita tamen quæſitum, ut nullibi ipſis ſit benè, ubivis Venatorum inſidiis expoſitum, in abruptiſſimis licet & altiſſimis Alpium, atque inacceſſis prorſus præcipitiis. Hìc tamen tutos inveniunt receptus, imò alliciuntur ad hanc ſacram quaſi Anchoram ex aliis vicinis montibus hoc ipſo ſuffugii titulo. Invitavit autem Glaronenſes ad *Freyberg* montem Aſyli Jure donandum ipſa illius ſituatio. Incluſa enim ſunt ejus juga ab una parte *Lintha*, ſeu *Limago*, ab altera *Sernftâ*, Fluminibus binis, quæ tranſnatare nec poſſunt, nec audent, nec volunt, ſi ita loqui licet, quandoquidem ad imas deſcendendum ipſis foret valles, quod naturæ Animantis altivagi repugnat. Situm verò Geographicum exhibet
TAB.II. Mappa Glaronenſis Territorii abs me correcta TAB. II.

In Regimine Democratico, quale Glaronenſe eſt, rara admodum eſt ejuſmodi coërcitio, & uti primo intuitu videtur, Libertati Populi adverſa, ſed ſapienti Populi conſilio, ſi legis effectum conſideremus, ad totius Glaronenſis Nationis uſum directa. Ecce enim feras, quæ in Venatorum aliquot inciderent manus, toti Populo, imò ſingulis Familiis communes. Sancitum quippe Plebiſcito, ut ſponſo cuilibet Glaronenſi concedantur pro nuptialibus ferculis duæ Rupicapræ. In eum finem ne libera ſponſorum Venatio novas crearet turbas, conſtituti ſunt certi, & ii quidem numero 12. Venatores, juramento ad hoc conſtricti, ut adjudicatas à Conſiſtorio Matrimoniali binas feras in ſponſi uſum feriant, nec plures. Vocantur hi propterea *Freyberger Schützen*, & pro mercede ſibi appropriant pelles. Nec tamen his ipſis licitum extra tempus Venationi deſtinatum, quod à *D. Jacobi* Die ſeſe protendit ad diem *S. Martino* ſacrum, inſidias feris his ſtruere. Juga hujus Tractus montoſi liberi ſunt *Büelſtock*, *Gantſtock*, *Rothberg*, *Saſsberg*, *Vorſtegſtock*. Limites autem inter Montem Liberum, *Den Freyberg*, & exteros ubi venari licet (*Die Auſſerbirg* vocant,) conſtituit rivulus quidam de-



MAPPA TERRITORII GLARONENSIS.



defluens *Zwiſchen Bächi und Baumgarten Wand.*

Invitat me occaſio montoſi hujus ferarum Aſyli ad ipſam *Rupicaprarum* Hiſtoriam, de quibus in tertio, ni fallor, Itinere Alpino quædam commemoravi. Nunc porrò, quæ ad complendam Naturalem harum Ferarum Hiſtoriam faciunt, huic loco inſeram. *Rupicaprarum*

Diſtinguunt Venatores Rupicapras in *Wald- & Hochbirg-Thier:* illas ſylvaticas dixeris, quoniam ex altioribus Jugis deſcendere ſolent in Sylvas, & ibi pabulum quærere; has alpinas, quòd ſumma inhabitent Alpium Cacumina, eaque nunquam, niſi hyeme urgente, deſerant. Illæ ſunt ponderoſiores magis & habitiores, ſed carnes habent minùs ſapidas, & crudiores; hæ è contra ſunt ſtaturâ quidem minores, ſed delicatiores, teneriores, & pro menſâ magis expetitæ, nec mirum, quandoquidem ipſæ cibis utuntur ſapidioribus longè, plantis ſcilicet minoribus, aſt mage aromaticis. *Diſtinctio.*

De locis illis, ad quæ Rupicapræ frequenter conveniunt, ut lambant de ſaxis quibuſdam arenoſis, *Gläk*, *Sulzen*, *Sulz-läckinen*, *Läkinen* dictis, porrò adnoto, ultra ea, quæ in Ουρεσιφοίτ. Ann. 1704. commemoravi, eò congregari Feras præcipuè circa *Novilunium*, & *Plenilunium*, imò verò inſtinctu quodam Naturæ illuc à remotis etiam per aliquot dierum intervallum Montibus veluti trahi, aut pelli, ibi verò ſi appulerint, & aliquot dies requieſcere, tantaque cum aviditate, ut omnis alius pabuli veluti oblitæ de ſolis lingant ſaxis, hoc autem ſi fecerint ad ſatietatem, abſque mora pedibus volantibus in eas remigrent Terras, unde venerunt, remanentibus interim illis, quæ vicina, lambitivis ſaxis inhabitant ordinariè juga. Hæc, de quibus nunc ſermo eſt, Loca & tempora, probè obſervant Venatores, nec inde niſi prædâ onuſti ſolent redire. Inſuper animadverto duplicis generis eſſe hæc lambitiva, humida, *Naſſe Sulzen*; & ſicca, ſaxoſa, arenoſa, *Trokene Sulzen*: porrò eas Feras, quæ huc frequentes conveniunt macriores eſſe aliis, quoniam vel præ nimia lingendi aviditate pabuli obliviſcuntur, vel à materia hac ſalſa, nitro- *Conventicula ad Saxa arenoſa.*

ſa & arenoſa viſcidi humores, & corpora infercire apti, abſterguntur & foras amandantur, vel digeſtio ventriculi prohibetur, quò minùs laudabilis chylus generari poſſit.

Rupicapræ quæ Pilas geſtent. De Venatoribus loco citato retuli, perſuaſos eſſe de *Ægagropilarum* in Feris Capris præſentiâ, ſi globulis transfixæ, & lethaliter feritæ, licet, non tamen illicò concidant, ſed durioris ſint vitæ, & morti veluti invictæ. Aliud nunc Ægagropilarum indicium addidici, quod deſumunt ex macilentâ caprarum Figurâ. Confirmo hinc ipſum, quod olim formavi, ratiocinium. Eo ipſo nempe, quo Fibræ Corporis à Bezoardica vi Pilarum roborantur, fit, ut elaſticitatem majorem acquirant, ſeſe fortiùs contrahant & humores ſuperfluos, vel etiam alios impinguationi aptos extrudant, nec in poris hærere ſinant.

Venatorum inceſſus per Saxa calcaria. Inter alias, quas loco citato adnotavi, *Regulas Venatorias* hæc quoque una eſt, quâ qui prædæ huic Caprarum Alpinarum inhiant, ſoleis ſuis ferreis non facilè eunt per ſaxa calcaria, quandoquidem ſuper iis facilè prolabuntur, & ſuper his facillimè incedunt calceis exutis, induti autem ſoccis ex aſperiori panno confectis.

Rupicaprarum Morbi. Retulit ουρεσιφοίτης Anni 1702. *vertiginoſi affectus*, qui Rupicapram corripuit, Hiſtoriam; vivit equidem hoc animantium genus in ſtatu plerumque ſano, & reverà Athletico, ſuos tamen patitur manes, certis quandoquidem affligitur morbis, non in extrema duntaxat ſenecta, qua *ſcabioſæ* redduntur, & cute aſperiori tectæ, ſed & aliis ætatis ſuæ gradibus inferioribus iiſque lethalibus. Confirmat hoc Hiſtoria hujus Anni Rupicaprarum plurium, quæ in Monte Libero (*Freyberg*) & ad ejus radices magno omnium ſtupore inventæ fuerunt mortuæ, & pelle quidem ſcabioſâ, imo fere leproſâ, ſcabrâ, fiſſuris hiante corrupta. De inſolito hoc Phænomeno varii judicant varia, prout quiſque altiorem in Phyſica Experimentali ruſtica, aut venatoria, acquiſivit gradum. Sunt qui Rupicapras illas à *Labinis* dicant involutas, quandoquidem aliquæ ad Labinas fuerint inventæ, & ſub Nive ipſa ſcabie putredinoſa, ac verminoſa, conſumtas: aliis accuſantibus *Conta-*

gium

gium ipſarum *Caprarum* domeſticarum, quæ ſub Petris hinc inde cubantes ſemina ſui contagii ſcabioſi reponant, & ſic rupicapris adventantibus communicent. Sunt tandem, qui Cauſam mali conjiciunt in inæqualem *Veris* præſentis *conditionem*, *calidam* primò, poſt *aſperiorem*, atque in ea ſunt vero quàm maximè ſimili ſententia, excidiſſe Capris feris pilas hyemales regnante calore, non tamen potuiſſe cutem depilatam facile ſufferre frigoris ſequentis fere hyemalis qualitatem, quin conſtipati fuerint præter morem cutanei pori, & cutis ipſa in fibris ſuis ita contracta undique, ut paſſim egerit fiſſuras, quæ ab exudante paſſim per glandulas ichore poſtmodùm fuerint repletæ, in Tubercula ſcabioſa elevatæ, unde ſimul in inordinatum degeneravit motum maſſa ſanguinea, & forte in ſalſam, ichoroſam, vappam converſa, quæ ſenſim feras ipſas valuit ad morbos alios viſcerum lethaliores diſponere, & mortem denique ipſam accerſere. Confirmat hujus ratiocinii veritatem morbus ſimilis ferè, quo ex *Muribus Alpinis* plures hoc eodem anno periiſſe dicuntur.

Occaſione pilorum hyemalium, quos ineunte Vere deponunt Rupicapræ, memorandum eſt inſuper, *pilos hyemales*, quibus Autumnali tempore muniuntur adverſùs frigoris ſecuturi injurias, eſſe nigros, longos, aſperos, craſſos, æſtivos autem rubeſcentes. *Rupicaprarum pili.*

Nunc *Suandâ* pedem dimoveo, ſecundo *Limagi* ſeu *Linthæ* Flumine. Majorem *Glaronenſis* Ditionis *Vallem*, *Das groſſe Thal*, peragraturus. *Glaronenſis Vallis Major.*

Memorat *Wagn. Helvet. Cur.* pag. 113. Balneùm *Lochſeiten*, fontem tepidum, qui *Loco vulgò dicto* Ovia *oriatur*, *indeque* Suandam *deducatur*, *ut contra varios corporis affectus in uſu ſit.* De hoc nil memoro aliud, quàm quòd non ampliùs in uſu ſit. *Balneum Lochſeiten*

Haud procul à Vico trans *Lintham* eſt Sancto *Wendelino* Sacrum quondam *Sacellum*, ad quod ſæpe viſitur Sacrificali effigie Spectrum, quod tamen præſentis non eſt conſiderationis. Translati ſunt reditus pingues ſatis, huic Sacello proprii, Suandam, ut ad uſus ſacros deſtinarentur. *S. Wendelini Sacellum*

Ad

Ad dextram nobis tranſeundus fuit pagus *Nitfuren*, Parochiæ Suandenſi incorporatus, quem mox ſequitur pagulus alius Parochiæ ejuſdem, nomen forte habens à Rivo adjacente, qui eodem titulo *Der Vor-* oder *Leüggelbach* appellatur. Memoratu dignum eſt de hoc rivo, ſpumante Lapſu præcipitari ex montis alti caverna, in quam per ſubterraneos ductus ſeſe effundit, primam ſuam Scaturiginem ſumens ex Lacu montano *Supra-Blegenſi*, *dem Oberblegi See*, memorato *Wagn. Helv. Cur.* pag. 57. dimidiæ horæ dicunt eſſe Lacus hujus ambitum, & in eo præcipuè hoſpitari *Lucios* Piſces, quos inter perhibent vivere prægrandem, qui reliquos penè omnes devoret.

Leüggelbach.

Lacus ſupra-Blegenſis

Luciis ferax

Labina Hiſtoria.

Haud longè ab hoc rivo accidit Anno 1687. ſequens commemoratione ſimul & Commiſeratione digna Hiſtoria. Propoſuit ſibi *Nitfurenſis* quidam civis pecora ſua ex *Leüggelenſibus* montibus ducere *Nitfuram*, ſed viam hanc tenere non poterat, propter nivem altam nimis, nec audebat, propter *Labinarum* ſeu Nivium conglomeratarum, quas in Lapſus procinctu vidit, metum. Clamoribus igitur vicinum alloquitur pagum, ut in ſubſidium vocet viros robuſtos, qui ſe & vaccas ſuas ex periculo tam evidenti ſalvare poſſint. Accurrunt aliqui cordati curantes non magis proprium à Labina mox ruitura periculum, quàm officium proximo periclitanti præſtandum. Nam ecce vix dum Monti appropinquant, celeri Lapſu per præcipitia montis latera fertur Labina, quæ omnes repente involvit & operit. En quouſque ſeſe extendant mutui auxilii Limites! Adfuit nova hominum Turba, opem latura, oppreſſis, forte Parentibus, Fratribus & Amicis. Horum adminiculo effoſſi ſunt ex gelido Nivis ſepulchro omnes vivi ad duos, quorum unus cum reliquis fuit extractus, ſed mortuus, alter verò poſtero demum die, qui fuit 10. Januarii, repertus. Unus horum, qui remanſerunt vivi, poſt octo horarum ſpatium demùm fuit protractus. Triſtes id genus quotannis obtingunt à Nive in Labinas convoluta Caſus, unde non è re fore judico, integram Labinarum Hiſtoriam Itinerario præſenti inſerere,

eo

eo nempe loco, ubi *Summæ Alpes* ſunt Cæſari dictæ, ubique frequentiſſimæ accidunt Labinæ.

Fuit in hac vicinia quondam balneum *Leügelbachenſe*, *Das Leüggelbacher Bad*, quod nunc ex uſu neglecto concidit. *Balneum Leügelbachenſe.*

Sequitur Pagus *Luchſingen*, Parœciæ Suandenſi quoque innexus, ad quem defluit *Rivus Luchſingenſis*, *Der Luchſinger Bach*, originem ſuam ſumens ex Alpe *Bächi*, cui nomen dant fontes ſeu rivuli plurimi, qui ibi ſcaturiunt. *Rivus Luchſingenſis*

Prope hunc pagum eſt *Balneum Luchſingenſe*, *Das Luchſinger Bad*, ſub rupe profluit, ac per canales ſeu tubos ligneos eò ad uſum deducitur, multiſque medetur morbis. *Wagn Helv. Cur.* pag. 113. ♁e ac Oe prægnans dicitur, nunc autem non ampliùs nec à vicinis quidem frequentatur, non obſtante loci commoditate: ipſam autem aquam propter temporis præciſum ſpatium hac vice examinare non potui. *Balneum Luchſingenſe.*

Tranſeundus nobis porrò eſt *Adlenbach* Pagus cum rivo ejuſdem nominis, qui pariter ut omnes alii hujus Vallis in Lintham ſe præcipitat. Pagus ipſe ad Parochiam *Bettſchwandenſem* pertinet, uti quoque ſequentes trans flumen pagi, *Hatzingen*, *Diesbach*, *Im Thorenhaus*. *Adlenbach Pagus & Rivus.*

Hîc adaptavimus Experimentum Barometricum, atque comperimus Mercurii altitudinem 23″. 7‴. unde judicavi nos eſſe altiores *Suandâ* 160. pedibus. *Thorenhaus altitudo 26. 4. P.*

Nunc ſequitur Rivus *Diesthalenſis*, *der Dietshaler Bach*, originem ſumens ex *Lacu Diesthalenſi*, cujus meminit *Wagn. Helv. Cur.* pag. 58. & *Pfendler von Bergen* pag. 17. Pagus *Bettſchwanden*, eique innexus alius *Reüti*, ad quem eſt fornicatus è ſaxis pons Linthæ ripas conjungens. Juga quæ ad dexteram ſeſe erigunt ſupra Bettſchwanden & pagos vicinos, vocantur *Brunwald*, forſan *Brunnwald*, quoniam fontibus copioſis ſunt irrigua. *Rivus Diesthalenſis. Lacus Diesthalenſis. Bettſchwanden. Brunnwald.*

Porrò *der Durnagelbach*, rivus ſeu torrens potius, admodum vagus & inconſtans, nunquam fere eodem alveo *Durnagelbach.*

clauſus, non parvo incolis Ponticulos ſternentibus incommodo, qui toties ſe à rivo hoc ludi videntur. Huic Fluento comparant accolæ per Proverbium, homines, qui in actionibus ſuis ſunt errabundi, ingenio fluxi, & Proteo quovis mutabiliores, *Sie ſeyen ſo wankelbahr, wie der Durnagelbach.* E regione hujus infundit Linthæ Aquas ſuas

Brunnbach. rivus alius *der Brunnbach.*

Lindthal. Ultimus hujus Vallis Pagus vocatur *Lindthal*, quaſi dicas *Linthæ* ſeu *Limagi vallis*, Reformatæ Religioni addictus totus uti tota *Vallis Major*, exceptis paucis Familiis, quæ in Pago Lindthal Pontificiam ſervant Religionem, ejuſque cultum in peculiari Templo peragunt.

Aqua Aluminoſa Supra hunc Pagum ad radicem *des Stahelbergs*, loco valde præcipiti, & vix adyto, eſt *Aqua Oſa*, ſingularis haud dubiè efficaciæ, quæ Argentum injectum intra aliquot momentorum ſpatium aureo pulcherrimo tingit colore. Jacet hæc Aqua *in Herren Landvogt Stüſſis Gütteren*, ſed nulli hactenus uſui dicata, quoniam pauca nimis eſt, & guttatim duntaxat defluit, ac præterea fere eſt inacceſſa.

Poſtero die, qui tertius fuit Auguſti, ex pago *Lindthal* diſceſſimus, & reliquum *Vallis Majoris* peragravimus, viſuri rarum ſtructurâ & horridum ſitu Pontem, de quo mox. Hanc autem Viam fecimus in comitatu laudati ſupra Domini *Tſchudii* Suandenſis Diaconi, Domini *Zwikii* Paſtoris Bettſchwandenſis, & Domini *Zæhii*, Paſtoris Lindthalenſis. Antequam autem pedem ex pago ſemovimus, altitudinem Mercurii in Barometro obſervavimus 23″.

26. 1. P. Pagi Lindthal altitudo 5‴. duobus adeò ſcrupulis inferiorem judicavimus Pagum hunc 160. pedibus loco *in Thornhaus* ſuperiorem.

Via, quæ ducit ad Clauſtrum *Vallis Majoris, Des groſſen Thals*, eſt jucunda ſemper, & maximam partem plana, gratior tanto, quoniam tranſeundum eſt ad ultimum ferè finem nemus tacitum, & plenum varia fronde, quod inſuper ſacra quadam antiquitate ſe commendat. Tradunt quippe accolæ, conſediſſe amœnitate loci aliàs deſerti

ti; captos ad fontem rivumque quietum Helvetiæ Protomartyres ex *Legione Thebaica* reſiduos, *Felicem* & *Regulam*, & aliquamdiu in luco hoc vixiſſe DEO & Salvatori ſuo devotos. Oculos inſuper mirè delectat præter Rivum *Fetſchbach cataracta* ſpumoſa ad dextram larga ſatis & alta rivi *Schrayen* & *Fiſmathbach*, qui ex Alpibus Uriis *Fiſmatenſibus* originem ſuam ducit, per Alpem *Bärenboden* defluit, tranſeundus nobis ſemel adhuc, ſi ex Glaronenſi Territorio evaſerimus. Catadupæ hujus pulchritudinem auxit Iridis pulcherrimæ ſegmentum, quod per longum ſatis viæ ſpatium mire oculos noſtros mentemque affecit. *Fons S. Felicis & Regulæ.* *Torrentes alpini.*

Montes, qui Vallem hanc Majorem claudunt, ſunt ſequentes. *Montes*

Selbſanft : retrò hunc Glaronenſis Ditionis, & uti quidam volunt, totius Helvetiæ, altiſſimus Mons, iſque ferè inacceſſus *Tödtiberg*, juxta quem ex Valle Glaronenſi Majore tranſitus patet in Rhætiam & primùm quidem ad *Deſertinam*, *Diſentis*, Benedictini Ordinis Cœnobium. In hujus montis ſeptentrionali parte *Cryſtalli vena* eſt; & haud longè ab ea certus quidam diſtrictus, *Die Öhlbanken* dictus, quoniam *Petrolei* odor, tempore æſtivo præcipuè, ſentitur, Venæ latentis Index. *Selbſanft.* *Tödtiberg.* *Cryſtalli.* *Petrolei Vena.*

Huic adſtat *Limmeren*, per quem inRhætiam itur, ſed viâ ſalebroſâ valde & difficili, non proin niſi Venatoribus & Alpicolis uſitata. Hîc quoque *Olei bituminoſi* in Terra deliteſcentis indicia ſe per odorem produnt, atque Origo oſtenditur *Limagi* ſeu *Linthæ* Fluvii. Ex hac nimirum Alpe rivus prodit der *Limmerenbach* dictus, quem pro vera *Limagi* ſcaturigine vulgò agnoſcunt, licet perperam, potiores enim Aquas *Linthæ* infundit rivus alius *Der Sandbach* dictus, qui profluit ex *Sand Alp*, & ſpumante lapſu per profundas ſaxorum voragines ſub Ponte *Bantenbrugg* dicto & mox deſcribendo pergit, ſeſeque cum rivo jam nominato miſcet, & in hoc confluxu demum *Linthæ* nomen, *die Linth*, aſſumit. De hac Alpe arena- *Limmeren.* *Limagi Scaturigo.*

 ria-

Muſica alpina.

ria ſive *Sand Alp* referunt Alpicolæ, quòd certis temporibus ibi in Aëre audiatur ſuaviſſimus Sonorum Muſicorum concentus.

Gamſchi Stok.

Inter Alpes *Sand Alp* & *Alten Ohren* eſt jugum *der Gamſchi Stok.*

Kammer Stok.

Sulzen.

Memorandum porrò venit altiſſimum Jugum der *Cammer Stok* dictum, quod copioſo gaudet Rupicaprarum proventu propter bina loca linctoria, quæ *Sultzen* & *Sulzläkinen* vocant, & Capras alpeſtres etiam è longe alliciunt: duplex autem hic eſt lingendi occaſio, una ad Saxa arenoſa ſicca, altera ad humida, *eine trokne und naſſe Sulz*, de quibus ſuprà. Ut ut autem plurimas nutrit hic mons

Rupicapra in certis Alpibus nullas geſtant pilas, frequentes in aliis.

Rupicapras, nullæ tamen earum, quod memorabile eſt, *Ægagropilas* ferunt, quum è contrà paucæ ſint *Limmerenſes* Capræ, quæ Pilas non geſtent. Dignum eſt utique hoc Phænomenum altiori ſcrutinio, & ſine ambagibus inde derivandum eſt, quod in certis Alpibus iis ſpeciatim, quæ Soli ſunt expoſitæ, certæ creſcant plantæ, quarum radices fibroſæ vix in ſtomacho digeſtibiles, aromaticæ tamen & Ægagropilis generandis aptæ, non item in aliis, quæ à Sole rarò illuſtrantur. Confirmant hujus rei veritatem, ſi non ætiologiam, conſimiles Hiſtoriæ in Helvetia reperiundæ. In Vallis *Maroz Rhætiæ* montibus Meridionalibus, quorum latus ſeptentrionale Solis lumen non admittit, rariſſimè reperiuntur Ægagropilæ, plurimæ è contra in Jugis Soli expoſitis Septentrionalibus. Pariter in *Sylva Rhætiæ*, *Rheinwald* vulgò dicta, Ægagropilas geſtant omnes ferè Capræ Jugorum Septentrionalium, quibus carent incolæ Montium Meridionalium, atteſtantibus id Viris Reverendis atque Clariſſimis Domino *Jacobo Piceuino*, & *Johanne Leonhardo*, quorum ille à ſacris officiis eſt Eccleſiæ *Soglienſi* in *Valle Prægallia*, hic vero Eccleſiæ *Novenenſi in Sylva Rhenana*, poſtea *Trimontanæ* infra *Curiam*.

Montium & Vallium Helvetiæ prima inhabitatio.

Orta eſt in aſcenſu Montis inter ὀρεσιφοίτας omnes Quæſtio non minùs Hiſtorica, quàm Phyſica, de prima Vallium

lium & Montium, qui plerumque horridi ſunt aſpectu, inhabitatione, & cultura. Fuerunt, qui antiquis temporibus Valles primùm habitatas voluêre, utpote calidiores, commodiores, ſicuti etiam nunc plurimas ob cauſas, ab omnibus omninò Gentibus præferuntur Montibus. Prætenderunt alii, Montes horumque apices initio fuiſſe ab hominibus occupatos, quandoquidem nullum ſit dubium, fuiſſe inferiora Montium latera, & Valles ipſas Montibus interjectas, ſylvas denſas & horridas, quæ ſucceſſu temporis & ſeculorum debuerunt à montivagis dejici, eradicari, & in Prata virentia, agroſque fœcundos commutari, ſenſim adeò ad habitationem aptæ reddi. Confirmare videntur hanc Hypotheſin Structuræ quædam Architeturæ perantiquæ, ex opere cœmentitio factæ, humiles admodùm, & Saxis applicitæ in Alpe *Glaronenſi Mülli-bach* adhuc conſpicuæ, quas *Heidenhaüslein*, *Caſas Gentilium* dixeris, vulgo vocant; De quibus tamen potius videtur ſtatuendum, fuiſſe extructas occaſione irruptionis Gothicæ, ut eò confugere licuerit, ſi quando turmæ quædam Armipotentes Valles tranſierunt, quemadmodum probabile eſt in hunc ipſum finem inædificatas eſſe rupibus, quandoque vix acceſſis, nullaque prorſus commoditate alia, quam lato in ſubjectas valles proſpectu gaudentibus tot numero Arces per totam Helvetiam reperiundas, ut nimirum eo ſe recipere potuerint, veluti in Aſyla Helvetii, atque ſic à barbaræ Gentis furoribus ſeſe vindicare. *Heiden-haüslein*

Nunc per Sylvam haud inamœnam, cujus Arbores hoc ipſo tempore dejiciuntur, ut ſecundo Limago Tigurum devehantur, iter noſtrum proſequimur ad *Pontem* celebrem illum & raræ ſtructuræ *Die Bantenbruk* dictum, qui fornice ſaxeo rupes altiſſimo locatas aëre ſurgit, & præcipitium infra ſe aliquot forſan centenos pedes per Saxa à Natura profundatum, id quod horridum dat ſupra infraque proſpectum, qui delineari citius & potius poteſt, quam verbis deſcribi. Operæ igitur pretium duxi pri- *Pons Bantenbruk.*

miſ ſaltem penicilli mei rudis lineamentis pingere pontis adeo rari faciem, cum vicinorum ſaxorum ſtructuris, ut habeat quid Lector, quo Oculos mecum mentemque delectet. Vid. TAB. III.

TAB. III.

Ab hoc ponte reduces duxerunt nos, Venatores noſtri per Sylvam admodùm præcipitem & ſcanſu difficillimam *Kintzenhoren*, ubi offendimus *Marmor* nigrum, in Alpinum paſcuum *Altenohren*, & hinc poſtquam membra valde feſſa paululum repoſuimus, atque tenue ad fontem vivum prandium ſumpſimus, in Alpem & Caſam Alpinam *Bärenboden*, ubi altitudinem Mercurii habuimus 21″. indeque conjecturavimus, altiores nos eſſe pago *Lindthal*, unde hodie mane divertimus, 2000. pedibus, & judicare poterunt alii, annon hodie ſuſtinuerimus, non equidem Atlanticos labores, attamen grave molis penè Siſypheæ onus? Exhauſta tot laboribus diurnis corpora ingruente nocte repoſuimus, ſed in lectis, *quibus culcitra, plumæ pulvini deerant: Omnium inſtar nobis fœnum fuit, molle, odoratum, ex variis herbis ac floribus ſaluberrimis congeſtum. Hoc pro pulvino capiti, pro culcitra nobis totis ſubſtravimus, & pro ſtragulo etiam inſtravimus*, tum ut conſuleremus neceſſitati, accommodaremus nos tempori, & monitis pareremus Magni noſtri *Geſneri* in *Deſcriptione Montis Fracti* p. 51. In Cubili hoc gramineo, & undiquaque rimoſo, lectiſque plus quàm ſtramineis conquievimus, tam benè, quàm in ſtrato plumarum congerie tumido, Indicaque teſtudine Eboreque fulgido.

Kintzenhoren. Marmor.

Bärenboden altitudo.

23. 4. P.

Inde tamen traxit nos bono manè Diei 4. Auguſti tum longitudo Viæ hoc ipſo Die dimetiendæ, tum matutinæ auræ nimis illuſtris noſtræ Caſæ illabentis frigus. Surreximus proin, nec tamen ante ex Diverſorio noſtro alpino diſceſſimus, quàm oculos mentemque recreavimus proſpectu latè per *Vallem Glaronenſis* ditionis *Majorem*, quam pridie ac heri peragravimus patente. Nec etiam nunc pedem dimoveo prius, quàm digna quædam circa integram hanc vallem memoratu Hiſtorico Naturalia tum recenſuero, tum Ætiologiis neceſſariis illuſtravero.

Ex



Jt. 4.



Ex alta hac ſpecula video ſurgentes in Æthera horridas Alpium ſupra memoratarum cautes, juga æterna nive & glacie tecta, quæ mihi nil boni, nil frugiferi promittunt. Quid enim amabo! judicii formare poterit Naturæ Ruſpator de Agris & Pratis, cujus vicinia æviterna ſplendet nive? Quid ſperare Æſtatis in perenni hyeme? Quid caloris, ubi conſtans regnat frigus? Siſte gradum mens præoccupata immaturis Judiciis, ſiſte Linguam Viator, ſiſte Calamum. Deſcende in ſubjectam oculis vallem, & nudis tuis uſurpa manibus, pedibuſque calca vernantia prata, maturas ſegetes, fructus varios, imò in *Valleſia*, aliiſque *Helvetiæ* Vallibus, omnis generis ad dulciſſimas uſque uvas, & poma pyraque, proprios alias calidiſſimarum Regionum fructus. Majus utique apud nos regnat frigus inter 45. & 48. Latitudinis gradus medium. In Cauſa eſt ipſe elevatior Helvetiæ ſitus & montoſa conditio, ſed hi ipſi montes rurſus in Cauſa ſunt fœcunditatis Soli, qua gaudemus. En Paradoxum Phyſicum! Sed en Ætiologiam! Helvetia noſtra ſi unicus foret mons, ſive elevatior unus Europæ cumulus, infeliciſſima utique foret omnium aliarum inferiorum Regionum, imò verò ex ſeptentrionali ſaltem parte, vera Zonæ frigidæ imago huc translata, expoſita adventantibus undique ventis, frigida adeò, & ſterilis, ut nulli ad maturitatem venirent fructus, paſcua ipſa rigerent, & in alias terras migrare deberent Coloni. Nunc autem in tanta Montium, Valliumque mira diverſitate Alpes ipſæ, ut ut perpetua Nive obſeſſæ, exiſtunt cauſa occaſionalis & ſine quâ non, ut cum Scholis loquar, noſtræ fertilitatis. Exemplo ſumite, *Illuſtres Naturæ Conſulti*, Hortos Veſtros Inſulanos, quos muris altioribus circumdatis ad avertendas ventorum è mari ſpirantium injurias, & cogitate, idem, quod vos ex Arte petitis, beneficium conceſſum nobis eſſe à benigniſſimo Creatore. In ipſis Murorum pinnis, in ipſis puto Alpium Cacuminibus, vel editioribus quibuſvis partibus conſtans flat & frigidæ quidem Auræ Æolus, ut in media æſtate

Regionum Alpinarum horrida facies, ſed amœna fœcunditas.

ſtate frigus ſentiatur mediæ hyemis, & vicinæ quoque Regiones à vicinia nivoſarum Alpium non parum patiantur incommodi, præcipites pruinas, Nives, Grandines aliaque Frugibus infeſta Meteora. Interim certum hoc eſt, quòd in Vallibus non alius ferè ſit venti, quàm ex una vel duabus plagis, acceſſus, quum alios omnes avertant altiſſimi Montium muri, & cœterùm frigoris vicini effectus moderatur radiorum à montium in valles reflexorum concentrata activitas. Nec hoc diffiteri poſſumus in extrema, quam præ oculis habemus, valle circa pagum ultimum *Lindthal*, tanquam ultimo Glaronenſis Territorii angulo, Alpibus nivoſis prope adſito, tardiùs decedere nivem quàm in campis apertioribus circa Glaronam ipſam, nihilominùs, quod mirum, illic gramen lætè vireſcit, & æquè citò ſurgit, quam hîc; quoniam ibi copioſior & conſtans per totam hyemem Nix Radices Terræ non ſolum non enecat, ſed amicè fovet, poros Plantarum ſervando apertiores, & exhalationes calidas impediendo, hîc autem tenuis, ſæpe vix ſummam Tellurem operiens, cooperantibus Borealibus ventis fibras Vegetabilium arctiùs longè conſtringit, ut pori non primo ſtatim vere diſcedente licet rigido vellere reſerari queant. Idem ſumma cum admiratione obſervare licet in ipſis paſcuis alpinis editioribus, ubi Montibus ipſis Glacialibus & præaltis nivium cumulis, adſita videas paſcua lætè virentia, florentes herbas, matura fraga, verbo album colorem juxta viridem, Hyemem juxta Æſtatem, Frigus juxta Calorem. Adorate nobiſcum Sapientiſſimam DEI Bonitatem, cui placuit certos & notos in fines altiſſimo Europæ Situ locare Helvetiam noſtram, ut ſpeciale diveſque Aquarum per alias Regiones diſpartiendarum promptuarium, ſed inſimul, ne nos prominentiæ hujus montoſæ incolæ fame periremus & frigore, ita Vallibus interſtinguere Montes, ut hi Murorum inſtar illas defendere, illæ autem hortorum ad inſtar nobis ad vitam & delectationem inſervire poſſent, imò verò multifario ſitu interſecare valles, ut hîc commodiùs pro-

Providentiæ Divinæ effectus.

pro-

proveniat hoc frugum genus, alibi aliud, adeoque commercia Helveticæ Nationis ſicuti animi ipſi firmius ſtabiliri. Sed nobiſcum quoque veneramini juſtiſſimam Divini Numinis potentiam, quâ arcum ſemper habet tenſum & ſagittas eidem impoſitas, ſpicula intelligo nivoſa, & glacialia, quibus nos rebelles erga ipſum Peccatores vehiculo Ventorum & Meteororum, petere, ac ex merito punire quovis momento valet, imo nec aëreis duntaxat, & aqueis, ſed igneis quoque Meteoris: quæ inter recenſeri meretur *Terræmotus*.

Terrificæ huic Concuſſioni obnoxia eſt præ aliis Helvetiæ partibus Ditio *Glaronenſis*, & in hoc territorio præcipuè *Vallis* hæc, quam præ oculis videmus, *Major*, *Das groſſe Thal.* Operæ pretium erit, antequam hanc Regionem deſerimus, inquirere tum in Hiſtorias, ceu res facti, tum earundem cauſas Phyſicas. *Terræmotus Ditionis Glaronenſis.*

Materiam facti conteſtatur non ſolus ille Terræmotus, quem hoc ipſo Anno ſenſere Glaronenſes in Pagis *Molliſio*, *Mollis* & *Navalia*, *Näfels* d. $\frac{22}{2}$ $\frac{\text{Maji}}{\text{Iunii}}$, ſed cumprimis concuſſiones illæ numero circiter quadraginta in Annis 1701. & 1702. obſervatæ, quarum occaſione conſultum duco integram tenere Terræmotuum in Ditione Glaronenſi obſervatorum Hiſtoriam, inchoando eam à temporibus antiquioribus, & deſcendendo ſic ordine Chronologico ad noviſſima.

A. C. 1573. die D. Thomæ ſacro, ſub Veſperam concuſ- 1573.
ſa fuit vehementer Ditio Glaronenſis. *Joh. Henr. Tſchud. Hiſt. Glar.* MSc. A. 1594. mota eſt die D. Martino ſacro 1594.
magnis tremoribus Glaronenſis Terra, eo quidem cum effectu, ut ex *Glarniſchio* Monte totius Territorii editiſſimo, ceciderit ingens fragmentum, cujus lapſus Sylvæ ſubjectæ partem peſſundedit, Agros Glaronæ vicinos texit atque rivum fontanum operiit, ut magno ſumtuum laborumque impendio reparari debuerit. *Tſchud.* L. c.

A. 1654. quindecies concuſſa fuit Glaronenſium Ditio. 1654.
Wagn. Helvet. Cur. pag. 372.

A. 1661. d. 9. Januarii (Tſchudius ponit 8.) horam inter 1661.
decimam & undecimam veſpertinam ſuccuſſum fuit totum

pariter Glaronenſe Solum. Ex MSC. *Bibl. Tig.* N. 74.

1663. A. 1663. d. 10. Sept.hora 10. nocturna tremuit motu ingenti tota Terra Glaronenſis, & rurſum die 13. Menſis ejusdem. *Tſchud.* L. c.

1665. A. 1665. d. 1. Martii hora 2. noctis contremuit rurſum tota Regio Glaronenſis magno omnium terrore. *Tſchud.* L. c.

1668. A. 1668. die 20. April. horam inter tertiam & quartam pomeridianas vacillavit ſub pedibus & mugiit ſimul terra in eodem Pago. *Tſchud.* L. c.

1670. A. 1670. d. 7. Jul. hora 3. antemeridiana tremiſcebat quoque terra, uti quoque Die 18. Septembris ejuſdem Anni. *Tſchud.* L. c.

1673. A. 1673. die 13. Febr. gravido ſe corpore in variis Territorii hujus locis tremefecit Tellus. *Tſchud.* L. c.

1674. A. 1674. d. 6. Dec. Ingenti motu gemuit Terra non ſola Glaronenſis, ſed tota ferè Helvetica. Accidit hoc die Solis ante concionem matutinam, & mox poſt viſi fuerunt *Navaliæ* de Cœlo cadere duo *Globi igniti. Tſchud.* L. c.

1679. A. 1679. d. 25. Januarii horam inter ſecundam & tertiam poſt μεσονύκτιον tremuit rurſus abdito murmure tellus. *Tſchud.* L. c.

1681. A. 1681. d. 27. Januarii excitabantur in viſceribus Terræ motus violenti poſt meridiem inter horam 10. & undecimam aëre exiſtente frigidiſſimo. *Tſchud.* L. c.

1682. A. 1682. die 2. Maji bono mane inter horam ſecundam & tertiam commota fuit Terra cum ingenti fragore, quem ſubſecutus eſt.

Die 7. ejusdem menſis Sonitus alius Tormenti majoris ſimilis, eo quidem effectu ut contremuerint ubique feneſtræ in toto ferè Glaronenſi Territorio. *Tſchud.* L. c.

1685. A. 1685. d. 26. Febr. ſub veſperam inter horam 8. & 9. concuſſa Tellus tota ferè Helvetica graves dedit intra viſcera motus. *Tſchud.* L. c.

Die 9. Sept. ſecutus fuit alius Terræmotus aëre ſereno. *Tſchud.* L. c.

A,

A. 1687. d. 5. Mart. alius ſatis vehemens. *Tſch.* L. c. 1687.

Omnium ferè ii maximè attentionem merentur, qui contigerunt in Annis 1701. & 1702. quandoquidem ab Augu- 1701.
ſto menſe illius ad Februarium hujus, ſex adeò menſium 1702.
ſpatio, numerant alii 37. 40. alii, imo & 50. atque 60. quos ordine nunc quoque recenſebo, retento numero primo. Imò verò hujus maximè ſunt loci, quoniam *Vallem Majorem* præcipuè attinent, quam hactenus peragravimus.

I. II. III^m. ſuccuſſionem ſenſit Pagus *Lindthal* cum vicina I. II. III.
Tellure d. $\frac{19}{30}$ Auguſti A. 1701. inter horam 6. & 2. veſpertinas una cum ſonitibus ingentibus, qui audiebantur in Aëre

IV. Motus contigit hora 9. ejuſdem veſperæ. IV.

V. Craſtino die, qui fuit 31. Auguſti ſt. n. poſt horam V.
tertiam.

VI. Die 1. Sept. hora 11. noctis. VI.

VII. Die 2. Sept. poſt horam nonam ante meridia- VII.
nam.

VIII. d. 4. Sept. hora 8. matutina terrefecit populum VIII.
Bettſchwandenſem ſacro cultui tunc vacantem ſonitus fremitusque ingens.

IX. & X. ejuſdem diei veſperâ horâ quintâ, ſeſeque IX. X.
invicem ſubſequebantur brevi aliquot minutorum interjecto Spatio.

XI. d. 5. Sept. hora 9. pomeridiana Terræ concuſſio XI.
fuit vehemens.

XII. bihorio poſt. XII.

XIII. d. 6. Sept. hora 10. ingruentis noctis, eaque rur- XIII.
ſus magna.

Hos tredecim priores motus ſenſit ſola *Vallis Majoris* extrema clauſura, quam heri pedibus noſtris emenſi ſumus.

XIV. d. 7. Sept. ſenſibilis maxime fuit cum murmure ſo- XIV.
nitu & ſuſurris terrificis. Occupavit hic totam Montium Catenam, quæ ſeſe porrigit à Pagis *Bettſchwanden* & *Linthal* Vallis Majoris Glaronenſis ad pagum *Aeſch* in *Valle*

 Schä-

Schächenſi Ditionis *Vriæ*. Ut ut autem fuerit hæc concuſſio vehemens in locis memoratis, nil tamen ejus perceperunt Incolæ *Vallis Minoris* Pagorum *Mathæ* & *Elmæ*.

xv. XV. d. 8. Sept. horâ primâ noctis ſenſerunt *Bettſchwandenſes* & *Linthalenſes* ἐπικλίντην, ſeu Arietationem.

xvi. XVI. d. 10. Sept. horâ 8 matutinâ.

xvii. XVII. d. 13. Sept. horâ 10. antemeridianâ.

xviii. XVIII. d. 18. Sept. Veſperi horâ quartâ.

xix. XIX. die 19. 8. Sept, horâ octavâ matutinâ fuit Motus terræ valde vehemens.

xx. XX. eodem die validior adhuc. Talem edidit fragorem, quem ſaxa pulvere pyrio diſcerpta auditui offerunt, & Templum, in quo dicebatur tunc Concio, vehementer ſuccuſſit. *Linthalæ* tamen fortior fuit quam *Bettſuandæ*.

xxi. XXI. die 12. 23. Sept. paulò ante horam quartam veſpertinam tremuit Terra momentaneo ferè ſuccuſſa fragore, & cum ſuſurris, qui audiebantur Aëre exiſtente ſereno & Sole ſplendente.

xxii. XXII. d. $\frac{29}{10}$ Sept. hora 7. pomeridianâ percipiebatur nova, licet debilis, concuſſio à *Linthalenſibus*. Tellus erat humidior quàm fuit antè.

xxiii. XXIII. d. $\frac{12}{23}$ Octobris horâ ſextâ matutinâ ſuccuſſio fuit admodùm levis, à multis tamen obſervata in caſis & ſtabulis. Hactenus Terram per quinque dies antecedaneos operiit nix.

xxiv. XXIV. d. $\frac{15}{26}$ horam inter octavam & nonam veſpertinam erat Telluris motus mediocris: per totum diem vallem occupavit cumulus tumidæ nebulæ, ſed rediit meſonyctio inſequente ſerenitas, ut omnes potuerint numerari Stellæ.

xxv. XXV. d. $\frac{2}{13}$ Novembris horâ ſeptimâ matutinâ patiebatur Terra levem tremorem, qui tamen obſervatus fuit ex utraque Limagi ripa.

xxvi. XXVI. d. $\frac{1}{12}$ Dec. percipiebatur veſperi horâ octavâ, cœlo ſereno & gelido. Ante biduum autem cecidit pluvia ex aëre calidiore.

XXVII.

XXVII. $\frac{8}{19}$ Dec. horâ quartâ matutinâ impetus fuit inter fortes connumerandus. *XXVII.*

XXVIII. d. $\frac{17}{28}$ Dec. h. 6. matutinâ perceptus fuit tremor alius in toto diſtrictu Linthalenſi. *XXVIII.*

XXIX. In Μεσονυκτίῳ inter $\frac{19}{30}$ & $\frac{20}{31}$ Dec. obſervatus fuit fremitus ex utroque Linthæ ſeu Limagi Latere. *XXIX.*

XXX. d. $\frac{24}{4}$ $\frac{\text{Dec.}}{\text{Ian.}}$ horam inter ſextam & ſeptimam excitavit mortales arietatio vehemens. Quatriduo ante regnabat in Atmoſphæra frigus penetrans, ſubſecuto Natali Salvatoris Feſto præter ordinem calido ſenſerunt hunc motum Linthalenſes & Bettſchwandenſes, fortius tamen illi, quàm hi. *XXX.*

XXXI. d. $\frac{13}{24}$ Februarii horâ nonâ pomeridianâ obſervatus fuit novus motus in utroque enarratorum Pagorum. *XXXI.*

XXXII. d. $\frac{6}{17}$ Januarii mediocri motu tremuit Terra Linthalenſis, paulo ante horam decimam antemeridianam. *XXXII.*

XXXIII. d. $\frac{24}{2}$ $\frac{\text{Sept.}}{\text{Octob.}}$ expergefecit plures cives Lindthalenſes alius fremitus bono manè perceptus. *XXXIII.*

XXXIV. d. $\frac{28}{9}$ $\frac{\text{Nov.}}{\text{Dec.}}$ tres ante horam quintam matutinam perceptæ fuerunt diſtinctæ ſuccuſſiones, quæ diutius durarunt præcedentibus. Extendit ſeſe hic Terræmotus per totum Territorium Glaronenſe, Molliſium uſque. Qui lectis erant tum temporis affixi, ſenſerunt motum Librationis & reciprocæ concuſſionis. *XXXIV.*

XXXV. XXXVI. & XXXVII. DEO benigniter ita annuente, clauſere Actum hunc Tragœdiarum aliquando, ni ſeria pœnitentia flectatur miſericordia ſummi Numinis, ſubſecuturarum Monitorium, die $\frac{30}{10}$ $\frac{\text{Jan.}}{\text{Feb.}}$ 1702. hora 7. matutina. Prodromus fuit mugitus ſuſurrans in Aëre, ſecuta mox concuſſio fortis, qua arietatæ fuere ipſæ ædes, & de novo rurſus 24. horarum ſpatio elapſo, licet cum minori violentia, & fortius quidem in Pago *Bettſchwanden*, quam in *Lindthal.* *XXXV. XXXVI. XXXVII.*

Ad Ætiologiam ubi devenio, non fuſè doceo, ſed tacite præ- *Ætiologia.*

præſuppono, receptam inter modernos de Terræmotuum ex accenſis ſub Terra ignibus, origine, eorundemque cum cuniculis igniariis in bello uſitatis comparatione. Hoc ſaltem ſi non fuſè diduci, pro veritate tamen ſtatui debet, loca montoſa præ aliis Terræmotibus eſſe obnoxia. Poſtulat id à priori Montium ipſorum ſtructura, quatenus ex ſtratis conſtant inordinatâ admodùm, divinâ tamen, Architecturâ, invicem inædificatis, & cavitates in ſinu ſuo habent variæ figuræ & amplitudinis Aëre refertas variis halitibus imprægnato, supernè autem & ad latera parietes habent undique clauſos, qui proin ab accenſo in viſceribus igne & rarefacto majusque ſpatium poſcente Aëre ſuccutiuntur & aliquando diſrumpuntur. In Teſtimonium vocare poſſem Juga illa Americæ Peruviana, imò totam ferme Montium Catenam, quæ Europam & Aſiam ad inſtar oſſaturæ colligat, ſpeciatim verò montoſas partes Siciliæ, Calabriæ, Apenninas atque Helveticas noſtras, & præſentes quidem Glaronenſium Alpes! Teſtimonia ſi vultis, en Magni illius *Ariſtotelis* effatum II. Meteor. 42. περὶ τόπους τοιούτους οἱ ἰσχυρότατοι γίνονται τῶν σεισμῶν, ὅπου ἡ θάλασσα ῥοώδης, ἢ ἡ χώρα σομφὴ, καὶ ὕπαντρος. qualis namque ſub montibus eſſe ſolet. En aliud *Plinii* quod ex *Ariſtotele* promſiſſe videtur, Lib. II. cap. 80. *Maritima maximè quatiuntur, Nec montoſa tali malo carent.* Tunc nempe in Regionibus montoſis ſimul & cavernoſis tremit ſuccuſſis fremitibus Tellus, quando ſimul adeſt in viſceribus ejus materia accendi & explodi apta, nitroſa ſcilicet & ſulphurea. Tali autem prægnantes eſſe Montes Glaronenſes, præcipuè illos qui Vallem Majorem claudunt, ac ſepiunt, imò verò ſuccenſiones in imis horum Montium viſceribus eſſe factas, ſpecialius nunc ut rem tangam, ac ob oculos ponam ea quæ in abdito fiunt, demonſtratum ibo: Ex recenſita 37. illorum Terræmotuum, qui Glaronenſem illam, in quam nunc proſpectus nobis patet, Vallem ad tremores concitârunt, conſtat, tria hæc accenſi ſub Terra Ignis Signa tantum non Pathognomonica frequenter admodùm fuiſſe obſervata.

1. Fra-

1. Fragorem in ipſa Terra & ſub pedibus. 2. Succuſſionem & Tremorem, quo ſaxa magnæ etiam molis magno cum fremitu devoluta paſſim per præcipitia fuiſſe Alpicolæ fuerunt teſtati. 3. Suſurrum, Sonitus & Murmura in Aëre, quæ paſſim deduco ex tremulo Alpium & Vallium interjectarum motu Aëri ipſi communicato, partim ex violento Aëris interni, & per accenſionem rarefacti, per poros Terræ anguſtiores tranſitu, quemadmodum videmus, vel potius audimus ſuſurrare ventos, ſicubi per Plateas vehuntur anguſtiores vel valles exiguæ latitudinis, vel Arborum frondoſarum interſtitia, & præterea cuivis notum eſt, integram Vallem, Monteſque vicinos, repleri ſonitu atque boatu Aëris ex anguſtis Tormentorum Canalibus exploſi. Sunt, inquam, indicia hæc ſufficientia quidem in ſe ad probandum id, quod volumus. Juvabit tamen certitudinis majoris ergò, & ad convictionem quorumlibet etiam ſcepticorum, ulteriores ex Natura loci ipſius, & circumſtantiis aliis inſtituere demonſtrationes, quæ nos ſimul in pleniorem ducunt Hiſtoriæ Glaronenſis Naturalis notitiam.

Vidimus, dum Vallem peragravimus Majorem, ſcatere eam, licet duorum duntaxat ſit Milliarium, Fontibus Medicatis & ſpeciatim ſulphureis, quos heic loci repetere ſupervacaneum autumo. Hi unde quæſo halitus ſuos ſulphureo-nitroſos habent, niſi ex Terra iſtiuſmodi particulis imprægnata? Pergo. Memorant nobis Incolæ exiccatos fuiſſe durantibus Terræmotibus, ſupra ordine Chronologico recenſitis, Anno nimirum 1701. & 1702. plurimos Fontes: unde hoc, niſi à calore & Igne ſubterraneo? nempe, ut diſtinguam eum à ſolari, cui attribuimus Phænomenon idem in Annis 1666. 1669. 1676. & 1686. obſervatum, quibus etiam Montes Glaciales majus quàm ullâ Hominum memoriâ paſſi ſunt decrementum, absque quod tunc terra ullos ſuſtinuerit tremores. Aliud ſulphuris Bituminisve in Terra latentis indicium præbent Alpes partim ſupra memoratæ, partim mox tranſeundæ, *Sand Alp*, *Limmeren* & *Fiſmatk*, in quibus ſentitur paſſim odor *Petrolei*, cujus

cujus tamen fontes hactenus nondum fuerunt detecti.

Nondum hîc eſt Demonſtrationis finis. Stuporem Glaronenſibus movit inſolitum hoc Nivis Phænomenon, quæ in extremo Vallis angulo, *in den Riedtwälderen*, *Oberreitenen*, minus profunda fuit quàm in pago *Linthal*, & hic minùs alta quàm in campis apertioribus verſus Suandam, quum tamen illuc Hyemem ipſam omnium commodiſſimè velut in angulum habitatæ Terræ ultimum omni jure quis ablegare poſſit; Unde hoc niſi à ſubterraneo calore? Tribui quidem poteſt hoc à nive petitum judicium, aliquando & ſæpe quidem venti Meridionalis Regimini, hic tamen conſiderandum venit, ut acceſſorium aliorum, Igniſque Latentis productum. Sed ubi Fumi & fuligines Ignis tam individui, quam corporis eſt Umbra, comites? Aperi Montium cruſtas, & oculis ſiſtam, de quo non dubito, fuligines ſaxis affixas, imò verò cinerum integros cumulos. Fumos autem oſtendam nunc, non fumos venditurus, ſed veram narraturus Hiſtoriam. Accidit ante ortum Solis Die $\frac{2}{13}$ Nov. quum ſcil. Terra quatiebatur concuſſione Numero vigeſima quinta, ut Aëre, licet gelidiſſimo, ex ſepulchro quodam tunc aperto cum omnium admiratione prodierit fumus. Quid plura? nonne plura ſi adderem, Soli viderer mutuari lucem? Adjungam nihilominus, ut agmen mearum demonſtrationum claudam, Feſtum Natalibus Chriſti Sacrum, circa quod præter morem Atmoſphæra blando calore fuit tota perfuſa. Nec Silentio prætereo foveas, quas paſſim in Alpibus Glaronenſibus obſervavi, & profundos hiatus, collapſorum hic ibi Saxorum Cavernarum ſubmontanarum Indices.

Hæc quidem, quæ hactenus de Terræmotibus Glaronenſibus diſſerui, ex genuinis deprompſi Phyſicæ Modernæ Principiis. Non autem deſunt talia, quæ dijudicanda linquo iis, qui in Philoſophia occulta & ſupernaturali expertos ſe putant: Accidit aliquando, dum Tellurem Vallis Majoris quaterent frequentes concuſſiones, ut Virum bonæ fidei

dei, Linthalenſem Civem, media nocte nomine ſuo appellaverit vox improviſa atque incognita, qua monitus & expergefactus è feneſtra proſpicit, atque hominem videt, an genium? Lucernam portantem, & Templum Domui ſuæ adſitum intrantem: clauſis foribus videt ingenuus noſter Teſtis Templum ipſum flammis undique correptum, quod tamen ſalvum perſtitit & integrum. Alio tempore contigit, ut Pueris ſex in Templum euntibus viſum fuerit hoc ædificium corruere, & Saxum unum ab alio diſſolvi, Nunc determinet mihi quiſpiam, quis fuerit hic δαδȣχος, qualenam Templi incendium, qualiſve ruina, vel etiam, quid mali bonive portendant hæc prodigia, quis inter res viſas, & Terræ inſecutos Tremores nexus?

Probabile eſt, quod hîc ὡς ἐν παρόδῳ moneo, plures in montoſis locis oriri Terræ ſuccuſſiones, abſque accenſióne, ſaxorum ſubterraneorum in cavitates gravi delapſu.

Aſt manum de Tabula. Sat vidimus periculorum, ſat Rationum. Non habebunt, quod conquerantur de nobis *Glaronenſes*, præteriiſſe nos Ditionem ſuam ſicco pede, non obſervatis ſcilicet iis, quæ memoratu ſunt digna. Nunc pedem promovemus viſuri, quid porro ſeſe offeret.

Ex Alpe *Bärenboden*, ubi noctem tranſegimus, contulimus nos in Alpem *Fiſmat*, *Fiſat*, quæ *Uriorum* eſt, & celebris propter *Loca Linctoria*, *Sulzen* dicta, ad quæ frequentiſſimè magna confluit Rupicaprarum copia, ita ut nunquam non ibi aliquæ poſſint inveniri, & à Venatoribus illuc ſæpiſſimè euntibus Arte & Marte conquiri. Vidimus nos ipſi Turmam, & inſidias ipſis ſtruximus. Heic cum Voluptate experti ſumus *Virgilianum* illud Æn. IV. 152. *Fiſmat. Sulzen.*

Poſtquam altos ventum in Montes atque invia luſtra
Ecce feræ ſaxi dejecti vertice Capræ
Decurrere jugis. ———

Capræ hæ feræ, ſi ex quocunque rationis alicujus inſtinctu delectarentur voluptate & amœnitate loci, huc certe convenirent, etiamſi nulla adforet lingendi occaſio. Sunt Saxa magnæ molis & ſtructuræ ordinatæ ſatis, in ſtrata

Cc nempe

nempe diſpoſita, in Amphitheatri formam ſemicircularem erecta, & ita quidem, ut paſſim feris aperta ſit evadendi per ſaxorum rimas & paſcuorum interjecta ſpatia, occaſio: ſed & ad radices petrarum latè patens campus, partim nive perenni tectus, partim omnis generis herbis alpinis lætè virens, in quem pro lubitu pabuli vel recreationis gratià exſpatiari poſſint. Sicuti autem omnes Alpes Valleſque alpinæ unæ aliis ſunt ſuperiores, ita quoque diſtinguitur hæc Fiſmatenſis Alpis in ſuperiorem & inferiorem, *in die Obere und Undere Fiſmath.*

Saxa frumentalia referuntur ad antediluviana.

In Inferiori occurrunt, Saxa illa *Frumentalia* fuſci coloris, deſcripta à me fuſè partim in *App. Miſcell. Curioſ.* A. 1697. & 1698. pag. 63. partim in *Specimine Lithographiæ Helveticæ* pag. 30. ſub titulo *Lentium lapidearum ſtriatarum, utrinque convexarum vitreis figura ſimilium, in Maſſa lapidea vario ſub ſchemate conſpicuarum:* denique in Ὀυρεσιφ. Anni 1702. pag. 7. ut omnino ſupervacaneum ducam, plura vel ex locis citatis huc exſcribendo transferre, vel inſuper addere. Hoc unum ſilentio involvere nequeo, eſſe me ſollicitum admodùm de inventione analogici alicujus corporis marini, ut inter Diluvianas reliquias hunc quoque figuratum Lapidem referre poſſim. Huc me movet non una ſuſpicio. In Patria vera horum Lapidum, quorum aliquot milliones ſi velis offendas, in Monte ſcil. *Aubrig* Ditionis *Suitenſis*, paſſim Frumentalibus interſperſa inveni, *Oſtrea*, *Pectines*, aliaque *Conchylia* petrefacta marina, imò verò Frumentali immerſum teneo elegantiſſimum *Echinum* antediluvianum. Sed nondum his obſervationibus fundo conjecturam meam. Haud procul *Bononiâ* invenit Frater, diligens mecum harum rerum ſcrutator, in integro ferè Conchularum, Cochlearum, Echinorum minutiſſimorum, aliorumve corporum verè marinorum, ſed occaſione Diluvii in ſtrato argillaceo ſubmerſorum, & adhuc quoad figuram, cavitatem & lineamenta omnia invariatorum, cumulo corpuſcula, minutæ admodum molis, Lentibus noſtris ſimillima, coloris nunc albidi, nunc terrei,

nunc

nunc ſubcœrulei, quæ omnino neceſſe duxi hoc loco memorare, vel eum in finem, ut Maris accolæ vel inter arenas minutiores analoga quærant marina ad ipſa Littora, & hoc ipſo, ut pluribus id genus dubiis nos Lithologos liberare ſtudeant.

Ulteriùs profecti *durch die Ober und Under Orthalden & Guferen*, prandium ſumſimus in Valle alpina *Gemſchfayr*. Hic pranſi Mercurii altitudinem habuimus $20''$. $1\frac{1}{2}'''$. unde judico, altiores nos fuiſſe Alpe *Bärenboden* 680. & Valle *Linthal* 2680.

Paſcui Gemſch-fayr altitudo 22.5.P.

Dimiſimus hic Itineris Glaronenſis ſocios, Dominum *Tſchudium* & *Caſparum Störium* venatorem, virum piæ ſinceritatis, quem ante biennium DEUS ex præſentaneo vitæ periculo liberavit. Hiſtoriam, quæ à ſcopo meo non abludit, referam.

Accidit, ut Rupicapris inſidias ſtructurus ipſe, & cum eo duo alii, per Rupes Glaciales *Limmerenſes* incederent, ipſe autem ὁδηγὸς præiens dum firmo pede ſuper nivem ſe ingredi putabat, ſubitò incideret in fiſſuram profundam; Socii, qui hominem ex oculis amiſêre, de vita boni viri tantùm non deſperantes nihilominus omnes intentaturi vires in proximam Caſam alpinam (quæ milliare circiter hinc diſtabat) migrârunt auxilia petituri. Hi poſtquam pannos quoſvis rudes in lacinias reſciderunt, demiſſuri eas in fiſſuram & hominem extracturi, redierunt. Vir interim bonus frigore ſemimortuus, dimidio ſuo corpore erat in anguſto glaciali carcere detentus, umbilicotenus autem in Aquam cœterùm profundiſſimam ſimul demerſus, undique adeò catenis, Aquæ, Glaciei, Aëris, gelidis conſtrictus. Nihilominus tamen tot remanſerunt ſemianimi vires, quæ ſuffecerunt ad circumligandum ſe funiculo, quem Salvatores demiſerant. Hujus ope ad ſummam ferè fiſſuræ marginem protracto, rupto ſubitò funiculo, relabitur in priſtinum carcerem, imò verò ex Scylla in Charybdim. Periculum reduplicavit fractura, quam nunc paſſus eſt brachii, ſed & Funiculi dimidium, quod ipſe ſecum in infor-

Venatoris Hiſtoria præſentaneo vitæ periculo liberati.

tunii adaucti Signum retulit in foveam. Animo nondum deſpondent, reliquas ipſis lacinias denuò diſcindunt, atque demittunt. Has de novo ipſius brachii fracti ope circumligat, tentaturus quid DEI Providentia de ſe decreverit. Sic funiculi admodùm debilis ope, ſed Divinâ aſſiſtente gratiâ, protractus in dias Luminis Auras in Lipothymiam cadit, ex qua tandem ad ſe rediit, eos qui ſibi opem tulerunt oculis terrore tantùm non conglaciatis, læto tamen vultu aſpexit, & ita domum ſe deferri paſſus eſt, & nobis in ipſo hoc itinere faſſus eſt, vix temperare ſibi poſſe à Lacrymis, quoties periculi tam evidentis ab una parte, & Divinæ opis ab altera, memoria refricetur.

Schrayenberg. Claridenſes Alpes. Rupes glaciales.

Bono huic viro congratulati ex hac Caſa alpina Gemſchfayr ulteriùs progreſſuri vidimus juga *Des Glatten oder Schrayenbergs*, ex Stratis Saxorum parallelis conſtantia, ad Siniſtram verò Alpes *Claridenſes* & *Grieſſenſes*, & *rupes* ibi *glaciales* cyaneo colore ſplendidas.

Narratio fabuloſa de Claridenſibus Alpibus.

De *Claridenſibus* Alpibus referunt Incolæ Hiſtoriam, an Fabulam? fuiſſe à Paſtore Loci ſeu Senno Meretricem quandam enutritam, & tanti ab eo habitam, ut ex habitaculo ad Caſam Caſeariam per viam communiter lutoſam, & fœdam non incedere permiſerit proſtibulum, ſed ſuper caſeario ſtrato progredi, ne pedes delicatulas fœdaret, voluerit, imò verò Matrem pauperculam, quæ famis ſedandæ ergò aliquando Filium convenerat, lacte ac Sero Urinâ Equinâ permixto dimiſerit, unde hæc indignata omnia mala imprecata fuerit prodigo ſimul ac impio filio, atque ἔκδικον illud Θεοῦ ὄμμα piis efflagitaverit ſuſpiriis, ut debitam erga hominem, Benedictione maternâ indignum, exerceret vindictam, quam immiſerit etiam juſtiſſimus Vindex, Terræ mandando, ut abſorberet Caſam ab inutilibus Terræ ponderibus habitatam, & rupibus tum glacialibus tum ſaxeis, ut ſeſe ex alto præcipitarent, ac paſcua redderent infrugifera, unde factum, ut ad hunc ipſum diem Alpes illæ antehac pingues & fœcundæ, manſerint ſte-

ſteriles & incultæ. Eſt hæc hiſtoriola Alpina accolis & Paſtoribus ita impreſſa, ut, qui eam negaret, gravem irriſoris incurreret cenſuram. Et ſanè veri aliqua apparet ſpecies, ſi verum, quod nobis retulit Dominus *Carolus Joſephus Arnoldus*, Sacerdos in *Schächenthal*, ſe juvenem aliquando ſeſe in Alpes has contuliſſe, & ibi locorum, ubi ſteterit Caſa abſorpta, Sennum ibi latentem audacter provocaſſe, quo facto, dicit, Terram fuiſſe concuſſam, Saxaque hinc inde disjecta, magno αὐτόπτȣ Terrore, ut fugam mox arripuerit.

Hoſpitium noſtrum Alpinum poſtquam reliquimus, pervenimus in *Claus*, Paſcuum alpinum amœnitate ſimul ac *Claus.*
fœcunditate conſpicuum, ubi juga videas in Amphitheatri formam diſpoſita, & ex iis præcipites Cataractas tres, *Catadupæ montanæ.*
quæ mox confluunt in rivum ſuprà memoratum *Fetſchbach*, qui retro *Linthalenſem* Pagum Aquas ſuas *Limago* *Fetſchbach.*
ſeu *Linthæ* infundit.

Hinc perreximus per *Vorfrut*, *Saüboden*, *Clausthal*, *Balm*: vidimuſque ad dextram Montes Sylvoſos *Engliswald*, & *Wengiswald*, item *den Ober und Vnder Balmberg*, ad ſiniſtram verò *Den Wienerſtadel*, und *Vnderbödmen*. *Vorfrut, Saüboden, Clausthal, Balm. Engliswald, Wengiswald.*

In ipſa *Valle Clauſenſi*, im *Clausthal*, offendimus ad Viam *Terram rubri* incarnati Coloris Martialem. *Balmberg.*

Ex *Balm* deſcendimus viâ præcipiti & anfractuoſâ in *Vallem Schächenſem*, das *Schächenthal*, in cujus extremo angulo erigitur altiſſimus Mons *Scharhorn*, de quo perhibent, ejuſdem undique conſpici figuras. Ex hoc & vicinis aliis Montibus defluunt undique Rivi plures, qui partim ſpumantes per alveos curvos, ab his ipſis Torrentibus excavatos, partim ſub Cataractarum forma ſe præcipites dant, ex quibus admodùm conſpicua eſt *Die Stäube* cognominata, quoniam Aqua, antequam Vallem ſubjectam attingit, in pulverem, ut ita loquar, aqueum ſeſe commutat, id quod cum voluptate videre eſt in omnibus Cataractis montanis præaltis. Hi torrentes con- *Wienerſtadel. Underbödmen. Terra Martialis. Scharhorn. Torrentes Alpini.*

 ſti-

ſtituunt unà cum aliis, ex aliis hujus vallis partibus de-
Schächa. fluis Rivis, *Flumen Schächenſe*, *Die Schächen*, quod per totam Vallem defluit, & tandem Aquas ſuas ſaluberrimas glaciales *Lacui IV. Civitatum Sylveſtrium* communicat.

Æſch. Schwanden Pagi, qui ordine ab ultimo incipiendo ſequuntur, ſunt *Æſch*, *Eſch*, *Schwanden*, ubi eſt Sacellum, *Underſchächen*, ubi in ædibus Paſtoris ſupra nominati, Viri curioſi pariter eruditi & humani, pernoctavimus, inter alios cibos uſi ſumus Piſcibus in Butyro priùs frixis, & poſt in Aceto cum Pipere & Allio maceratis.

Balneum Infra-Schächenſe. Craſtino manè, qui fuit 5. Auguſti, deduxit nos Rev. Hoſpes ad *Balneum* Loci *Underſchächenſe*, *Das Underſchächer Bad*, quod antiqui eſt uſus, ſi verum eſt Teſtimonium ſequens ex Annalibus Underſchachii Parieti creta adſcriptum.

A. 1414. *Inventum eſt hoc Balneum a Magiſtro Leopoldo artis Magicæ Profeſſore; qui & A.* 1450. *hoc quod a Natura erat calidum ex mera malitia & perverſitate Diabolica ſubvertit. Extructa hæc Domus eſt A.* 1495.

Scaturit hæc Aqua dulcis ad radices Jugorum verſùs Meridiem ſitorum, & per Canales ſub ipſo Torrentis adſiti alveo ductos in Hoſpitium Balneatorium devehitur. Solatio dicunt eſſe Paralyticis, Nephriticis, & quotannis frequentant Familiæ quædam ex Oppido Altorfino. Examine proin dignam judicavi hanc aquam, neque tamen ex injectis pulv. Gall. Nitr. Sp. Nitr. Sal. Sal. Tart. Sp. Vitr. ſolut. Merc. ſubl. ullam ſenſi mutationem. Mirabar initio, aſt mirari deſii, poſtquam relatum mihi fuit, obſervatum olim fuiſſe ad ipſam ſcaturiginem teporem quendam, imo & fumos ſubinde aſcendiſſe, per aliquot tamen annorum intervalla fuiſſe neglectum hujus Aquæ uſum, ſcaturiginem collapſam, canales computruiſſe, ut præcedenti Anno denuò ſibi propoſuerit Loci Dominus inquirere in primos fontes, & reparare, quod neglectum fuerat, quæſierit proin diu

diu diuque, & inveniſſe hanc, quæ nunc uſui eſt, ſcaturiginem, quam non pro priſtinâ habeo, ſed pro fontanâ merâ, alpinâ nempe, quæ per ſe eſt tenuium partium, evaporationi commiſi in loco, ſed nullum prorſus obſervavi Sedimentum in fundo reſiduum, quod initio argillaceum exiſtimavi, quandoquidem in Saxorum rimis ad ſcaturiginem hærentem vidi Argillam flavam inſipidam, cujus partes facile poſſint ſeſe Fontanæ ipſi commiſcere, & ægris ita prodeſſe, quemadmodum inde vires ſuas trahunt plurima alia Helvetiæ Balnea dulcia.

Haud procul ab hoc Balneo in rupe præcipiti eſt Fodina *Cretæ*. Coagulatur hæc ex Aquâ e rupibus ſtillatitia, nec abſque periculo ferè poteſt eximi. Mollem & pultaceam fere ſubſtantiam incruſtat duriuſculus Cortex, ejuſdem cum ſtrato inferiori Cretaceo molliori ſubſtantiæ. Hanc materiam in paſtam compingi & forma paralelipipededa exiccari curat Paſtor. *Cretæ.*

Altitudo Mercurii in *Underſchächen* eſt 22″. 5‴. Hanc ſi cum ſuperioribus obſervationibus, in Glaronenſi Ditione factis, conferam, invenio Pagum hunc, Vallis totius ferè medium altiorem eſſe Pago *Lindthal* Glaronenſium 800. pedibus, & inferiorem Alpe *Bärenboden* 1200., altiorem inſuper *Tiguro*, ubi ſubſtitit hodie Mercurius 23″. $8\frac{1}{2}$‴. pedibus 1080. *Infraſchächii altitudo.* 25. 0. P. 26. 6. P.

Hac obſervatione peracta, deſcendimus per Vallem Schächenſem, juxta ejuſdem Nominis Rivum, per Pagos *Spiringen*, *Witterſchwanden*, *Trudelingen*, *Bruk*, ubi eſt Pons ſaxeus, *Loretten* Sacellum, *Bürglen*, tandemque pervenimus in Oppidum Uriorum primarium *Altorf*, *Altorfſium*, *Vre*, *Vry*, quod vix quadrantem horæ ab extremo Lacus quatuor Civitatum Sylveſtrium diſtat, & trihorio à pago Underſchächen, unde hodie diſceſſimus. In via vidimus ad ſiniſtram Vallis Underſchächenſis erectum montem *Spitz* ad dextram Juga *Windgäll*, *Gamperſtok*, *Roſsſtok*. In Cacumine Alpis *Windgäll* frequentem dicunt Ventum frigidum, eumque adeò ferocientem, ut haud ra- *Spiringen, Witterſchwanden, Trudelingen, Bruk. Loretten, Bürglen. Altorff. Spitz, Windgäll, Gamperſtok, Roſsſtok.*

rò

rò ſaxa fiſſilia ponderoſa loco ſuo dimoveat, & in Aërem liberum proripiat.

Venti ſtati. Altorfii dum dego, memor ſum ejus, quod de ventis ſe obſervaſſe aſſeruit Paſtor noſter & Hoſpes Underſchächenſis, nimirum in Vallibus Helveticis ventos fluere ordinariè ſecundis Fluminibus, & juxta ſitum ipſarum Vallium, utpote intercluſarum: in *Lacu Urienſi* autem, qui Pars eſt Lacus IV. Civitatum in peculiari Libro deſcripti à *Joh. Leopoldo Cyſato*, Archigrammateo quondam Lucernenſi, noctu ad horam uſque nonam diei ſpirare communiter *Euros*, interdiu autem ab hora nona antemeridiana ad Veſperam Zephyros, circa meridiem quidem fortiſſimè petenda eſt hujus Phænomeni ratio ex iiſdem Fontibus, unde deduximus Ætiologiam ventorum ſtatorum regnantium in Lacu Rivario, ſitu nempe Lacus ab Oriente in Occidentem inter altiſſima Montium Juga protenſi. Hoc tamen inſuper in materia ventorum obſervari meretur, antequam Altorffio diſcedimus, frequenter admodùm ſpirare hîc & in plana περιχώρῳ ventos Meridionales, *Die Fön*, & eo quidem effectu, ut omnis generis Fruges citiùs matureſcant, quàm in aliis à *Gotthardo* remotioribus Helvetiæ Locis *Suitia*, *Subſylvania*, *Tugienſi* diſtrictu & *Lucernenſi* Territorio, Lacui eidem adſitis, imò tanto cum impetu perflari hoc vento Regionem Uriorum, ut Navibus, regnante eo, nemo ſe committere audeat, & in oppido ipſo ex Lege ſtabilitâ, Ignes vel non accendere in domibus ſuis teneantur Cives, vel cautiſſimè cum iis procedere, ne incendio omnia pereant. Qui ſitum locorum oculis Philoſophicis intuetur, ei non mirum videri debet, ſi Auſtri frigidiores ſunt nobis à Summis Alpibus remotioribus, quàm vero Uriis proximis Nivoſarum Alpium accolis, quandoquidem hi ſentiant ventum Meridionalem in anguſtiis Alpium ad imas earum radices preſſum, & hoc ipſo calidiorem, nos vero cum aliis Helvetiæ Populis eundem quidem ventum, ſed magis dilatatum, & particulis nivoſis glacialibus fœtum, quibus caret Urienſis.

Auſter.

Auſter frigidior nobis, quam Urienſibus.

Nun-

Nuncupari poteſt hic Helvetiæ Angulus Montium altiſſimis Jugis undique clauſus, *Vriorum* Regio cum *Vallibus* ſuis *Schächenſi* (Schächenthal) & Ruſæ ſeu Urſæ, quæ ſeſe juxta Fluminis hujus ductum protendit ad Urſarios uſque, vel montem Gotthardi, verum Fortitudinis Helveticæ Antiquæ modernæque ſeminarium. Priſci *Tauriſci*, ita vocabantur Populi, qui nunc *Vrii*, *die Vrner*, audiunt, ii fuerunt & primi Gallorum, qui Romanorum temporibus, Julio Cæſare fortiſſimo illo Gentium Alpinarum domitore regnante, Helvetios reliquos allicuerunt, ut ſecum trans Alpes in Italiam migrare, & Terras illas vino & fructibus delicatioribus fertiles occupare ſibi propoſuerint. Primi inquam fuerunt, qui fœcunditate Regionis tranſalpinæ pellecti ex Gallia Celtica, & ſpeciatim Pago Tigurino, cui accenſebantur, Expeditionem magni momenti Bellicam ſuſceperunt, & Juga Alpium ſummarum ſuperarunt. De hac re ita *Plinius* Lib XII. c. 1. *Produnt Alpibus coërcitas, & tum inexſuperabili munimento Gallias hanc primam habuiſſe Cauſam ſuperfundendi ſe Italiæ, quod Elico ex Helvetiis Civis earum* (ſcribit *Pintianus Civis Rom.*) *fabrilem ob artem Romæ commoratus ficum ſiccam & uvam oleique ac Vini præmiſſa* (*Primitias* legit *Dalechampius*, quas è muſto *Sacrimas* vocari *Feſtus* tradit) *remeans ſecum tuliſſet.* Et *Livius Lib* V. *cap* 33. *Gallicam Gentem traditur famâ, dulcedine frugum, maximeque vini, nova tum voluptate captam Alpes tranſiiſſe, agroſque ab Ethruſcis ante cultos poſſediſſe: & inveniſſe in Galliam Viam illiciendæ Gentis cauſa Aruntem Cluſinum irâ corruptæ uxoris ab Lucumone, cui tutor is fuerat ipſe, præpotente Juvene, & à quo expeti pœnæ, niſi externa vis quæſita eſſet, nequirent, hunc tranſeuntibus Alpes auctoremque Cluſium oppugnandi fuiſſe.* Et *Polybius Lib* II. *Galli cùm ob vicinitatem loci frequenter ad Tyrrhenos converſabantur, ſpecie ac fœcunditate regionis pellecti exiguam quandam nacti occaſionem Exercitum comparant, factoque in Tyrrhenos impetu finibus expellunt, campos deinde ipſi tenent. Galli* hi certe non alii fuerunt,

Urii, Tauriſci.

runt, ut ſolidè domonſtrat *Tſchudius* in *Helv. Ant.* MSC. quam *Helvetii* & præcipuè *Tauriſci*, *Hedui* enim *Bituriges*, *Tectoſages*, *Inſubres*, *Ligures*, *Salluvii*, *Carnutes*, *Aulerici* vel alii Galliæ Populi non facile potuerunt ob Vini, ficuum & aliarum frugum præſtantiam allici, ut in Italiam migrarent, quandoquidem *Gallia Narbonenſis* cum vicina *Sabaudiâ*, *Burgundiâ*, aliiſque *Galliæ* Hodiernæ Provinciis, Oleo, Vinis, Ficubus, aliiſque id genus fructibus ſatis per ſe abundant, quibus caret *Helvetia*. Tauriſcorum appellatio tam latè diffuſa olim fuit, ut *Cluverius* in *Germaniâ Antiquâ Vindelic.* Cap. 2. pag 728. perhibeat, *omnem Illyricæ Gentis partem, quæ inter Germaniam & Italiam, item inter Galliam & Pannoniam juxta Danubium Flumen & in Alpibus porrecta antiquiſſimis ſeculis dictum fuiſſe uno nomine Tauriſcos, nempe à ſitu regionis Alpibus ſuperſtratæ montibus, quos illi ſuâ Linguâ* Thi Thuren, *quemadmodum alio vocabulo* Thi Alben & Alpen: *quæ vocabula etiam nunc apud Incolas horum Montium Germanos integra durant, etiam ultra Dravum in Carinthia, ac Styria & trans Danubium in Suevia.* Speciatim verò *Tauriſcorum* ſedem figendam eſſe in *Uriorum* hodierno Territorio, non una nos movet ratio. *Lepontios* & *Salaſſos Tauricæ Gentis Cato* arbitratur. *Plin.* L. III. c. 20. Adſtipulatur ei *Polybius Tauriſcos* ad *Rhodani* fontes locans. Lib. II. *In Alpibus*, inquit, *ab utroque latere loca montuoſa habitant, ad eam partem, quæ verſus Rhodanum & ſeptentrionem ſpectat, Galli qui Tranſalpini appellantur. Ad eam vero, quæ campis, ſcil. Italiæ imminet, Tauriſci, Agones & alia pleraque Barbarorum genera, à quibus non genere, ſed differentia loci (ſcil. Alpium interjectu) differunt, ideò Tranſalpini dicti, quod trans montes colant.* Hi *Tauriſci*, *Lepontii* & *Salaſſi*, quia Regiones fœcundas magis, quàm Uriorum Ditio eſt, incolunt, veroſimiliter ab ipſis *Uriis* tanquam veris *Tauriſcis* originem ſumunt, ibi fuere depoſiti. Imo ab his populis Tauriſcos illos, de quibus *Plinius* l. c. (*juxta Carnos quoſ-*

dam

dam Tauriſci appellati nunc Norici) ſeu *Stiriæ* modernæ incolas dirivat *Tſchud.* l. c. *Stiriis* certè, qui *Steyrmärker*, *Stiermärker* audiunt, æque ac *Uriis Tauri Caput* pro Inſigni manet. Modernorum *Tauriſcorum* ſeu *Uriorum*, *Der Urneren*, nomen manifeſtiſſimam habet à Tauro derivationem; Forte non in Hercinia ſylva duntaxat, ſed in Regionibus noſtris Alpinis, quoque olim fuit *tertium genus eorum, qui Uri appellantur, magnitudine paulò infra Elephantos, ſpecie & colore & Figura Tauri. Cæſ. Comment. de Bell. Gall.* VI. Germanorum hoc eſt vocabulum, qui adhuc hodie *Urum* appellant *Ein Urochs*. Imo paſſim in Helvetia *Tauri* appellantur *Uren*, teſte Stumpf. *Lib.* VI. c 26. Bellicoſa hæc Uriorum Gens animos in Bello excitat prægrandis Cornu murmurante ſono, qui hoc gerit Cornicen communiter appellatur *Der Stier von Uri*, *Taurus Urienſis*, Romanorum more, qui ſuos quoque habuerunt Cornicines. Hinc rectè *Glareanus Urios* vocat *Tauriſcorum* reliquias, & *Tſchudius Altorfium* Oppidum *Uraniam Tauriſcorum*, *Tigurinorum vicum Maximum*. conf. *Guillim. Rer. Helv. Lib.* III. c. 1.

Die 6. Auguſti in *Curia Altorffina* vidimus inter alia Libertatis Helvetiæ Monumenta per Picturas repræſentata, Mappas Geographicas ſpeciales *Territorii Urienſis*, *Vallis Lepontinæ* Uriorum Dominio ſubjectæ & Limitum inter *Urios* & *Angelimontanum* Abbatem poſitorum, quæ inſervire poterunt aliquando Geographiæ Helveticæ correctioni, poſterior cum primis, prior enim potius ad Pictoris Phantaſiam exarata, quàm ad Naturæ ductum. Mercurii in Barometro altitudo fuit cœlo ſereno, quo per totum ferè Itineris decurſum fruiti ſumus DEI Gratia, fuit 24″. 1½‴. unde conjecto, inferius eſſe hoc oppidum Pago *Underſchächen* 1320. ped. Tiguro autem, quod alio tempore ejuſdem cum Altorffio altitudinis comperi, 200. pedd. quandoquidem in Muſeo Patrio ſubſiſtit Mercurius in 23″. 9‴.

Topographia Ditionis Urienſis. *Vallis Lepontinæ.* *Territorii Angelimontani.* *Altorffii Altitudo.* 26. 9. P. 26.6.½ P.

Hodie trihorium nobis peragendum reſtat ad locum

Zum Stäg, ubi divertere ordinariè ſolent, qui *Gotthardum* ultro citroque tranſmigrant. Tranſiimus autem pagum *Erſtfeld*, qui horâ unâ Altorffio diſtat, & inde nomen derivaſſe videtur, quod hîc primùm Campos coluerint veteres Tauriſci, porrò *Durch die Claus nechſt dem Ellbogen Kappelein:* ulterius pagum *Silenen*, *Syllenen*, *Silinen*, *Silanum*, cujus Eccleſia cùm reditibus quondam pertinuit ad *Abbatiam* Regiam *Tigurinam*, vi Diplomatis *Beroldo* vel *Berchtoldo*, *Hiltigardæ* Abbatiſſæ Presbytero, conceſſi à *Ludovico Germanico* A. 858. uſque ad Annum 1426. quo ſeſe ab obligatione hac liberavit 80. Florenorum Rhenanorum pretio.

Erſtfeld. *Claus.* *Silanum.*

Marmor. In Parochia *Silana Marmor* reperitur *nigrum*, & aliud *nigrum venis albis*.

Zum Stäg. Juxta Diverſorium noſtrum *Zum Stäg*, cujus Hoſpes eſt *Johannes am Port*, vir admodum humanus, & Cryſtallis, quibuſcum negotium peragit mercatorium, dives, defluit rivus *Kerſtenenbach*, *Kerſtelenbach*, aquas vehens glaciales frigidiſſimas, quarum potu ſeſe ſecuriſſimè recreare poſſunt advenæ. Trahit is originem ſuam ex Rupibus glacialibus prægrandis molis *im Ruppletenthal*, Parœciæ Silenenſis. Juxta rivi hujus ductum ſpirat per totum fere diem ordinariè, meridie excepta, *Auſtroriens*, *Sudoſt* Nautis communiter dictus, qui media æſtate hoſpites advenas mirè reficit.

Kerſtelenbach Rivus Glacialis. *Ventus ſtatus.*

Vitriolum. Tribus quadrantibus horæ à Diverſorio reperiunda eſt Vena *Vitrioli* ſatis dives.

Pyritæ dodecagoni. Præter *Cryſtallos* varii generis poſtmodum recenſendas exhibuit nobis Hoſpes *Pyritem* aureum, quem ex Valleſia obtinuit pulcherrimum, ferrugineo colore extus veſtitum, figura dodecagonum, cujus magnitudinem in hoc figuræ genere perraram heic appingere è re duxi TAB. IV.

TAB. IV.

Hic *Zum Stäg* incipit *Gotthardi* latè ſumti aſcenſus, quandoquidem abhinc ad ſummum Montis hujus Jugum continuò itur aſcendendo, ita namque ut ſubinde, præſertim in Urſaria Valle, occurrat Vallis alicujus planæ inter-

terval-

TAB. IV.



Jt. 4.



tervallum. Cœpimus proin & nos ſcandere Gotthardum *Gotthardi aſcenſus.* die 7. Auguſti horâ quartâ matutinâ, poſtquam Mercurii altitudinem obſervavimus 24″. indeque concluſimus, elevatum eſſe hujus Loci Horizontem ſupra Altorffium 120. (quæ die 28. Jun. comperta eſt 160.) ped. Ita autem conſcen- 26. 8. P. duntur ſummæ hæ Alpes, ut à dextra aut ſiniſtra ſemper fere fluat *Urſa* vel *Ruſa* Flumen, cujus proin delineandæ commoda dabatur occaſio: ſæpiſſimeque tranſeundi ſint ultro citroque Pontes maximam partem fornicati, ut Torrentum eludant inſultus, & gravia ferant Equorum Clitellariorum quotidie meantium & remeantium illiſque injecta pondera. Via jucunda ſimul eſt & horrida, nunc enim, præcipuè in imis Gotthardi partibus tranſeundæ ſunt ſylvæ peramœnæ, nunc per ipſa Arborum interſtitia in profundo cernes ſpumantes per præcipitia ruere Ruſæ & aliorum Torrentum aquas, nunc cominùs eminùſve conſpicies ruentes ex altis Montium parietibus Catadupas, nunc Urſæ ipſius multas numero Cataractas tam prope, ut ipſa quoque Aqua in pollinem vaporoſum reſoluta, mox, ſi paulùm ſiſtas gradum, undique perplutum te intuearis, nunc oculos mentemque delectant Iridis pulcherrimè colorati arcus, nunc terrores incutiunt antiquæ ſaxorum capiti tuo impendentium ruinæ, vel hyberno tempore Labinarum periculoſiſſima à levicula occaſione ruituræ moles. Ubique tandem utrinque ſurgentia videas altiſſima Montium juga, quorum diverſimodus aſpectus, figura varia. Plantarum varietas, plurima tibi ὀυρεσιφοίτῃ ſimul & βοτανοφίλῳ movebunt gaudia, ſed & admirationem concitabunt artificia Humanæ induſtriæ, cujus ſpecimina paſſim obſervabis in ſtructura Pontium in ſaxis duriſſimis hic illic perfoſſis in viis fornicatis & fere penſilibus.

Loca quæ pertranſii ſunt ſequentia. *Riedt* dimidiâ fe- *Riedt.* rè horâ à *Stäg* diſtans pagulus, quem mox ſequitur *Maitſchligen.* *Maitſchligen.* Intermedia fere via inter binos hos Pagos monſtravit Itineris dux & comes. præcipitium, ad quod ante *Labinæ damnum.* Bennium officiario cuidam Gallico Labina involvit 22.

 Equos

Equos cum ſervo, ex quibus quatuor duntaxat ſalvi extracti ſunt.

Inſch, Gurnellen. Ex altera Urſæ Ripa videas prope Riedt pagulum *Inſch*, & prope Maitſchligen *Gurnellen.*

Weiler, Waſſen. Horam unam ſi ulteriùs pergas, occurrit *Weiler, im Weiler*: & eodem porrò intervallo *Waſſen*, ubi eſt celebris Cryſtallorum foſſor *Caſparus Gammen.*

Meyenbach. Hic Ruſam influit *Der Meyenbach*, qui ex Bernenſium Alpibus vicinis ſuas petit Aquas.

Wattingen. Semihorà à Waſſen eſt *Wattingen*, prope quem ſtrata Montium conſtant è Laminis perpendiculari ſitu erectis; eodem interjecto ſpatio occurrit *Geſtinen* vicus celebris, *Geſtinen.* quem transfluit Torrens ex *Rupibus* Geſtinenſium *Glacialibus* originem ſuam ſumens, ad quas plurimæ quoque fodiuntur *Cryſtalli.*

Schöllenen. In *der Schöllenen* inter Geſtinam & Urſellam ante paucos annos detecta eſt Vena *Cryſtalli*, unde lapides hujus generis pretioſos traxerunt pro 1500. florenis.

Alius ferè horæ ſpatio ſupra Geſtinen eſt *Pons Diaboli* dictus, *Die Teuffelsbrugg*, de qua ſequentem narrant Fabellam Accolæ. Majores ſuos cogitaſſe, de Tranſitu commodo ab una Urſæ Ripa ad oppoſitam, aſt non unas exhibuiſſe difficultates præcipitem locorum ſitum & horridam Urſæ ſpumantis, Petrarumque altarum faciem. Interveniſſe verò Diabolum, & ſuam promiſiſſe operam, ſiquidem ipſi adjudicent primum, qui Pontem jam factum tranſiret. Sanxiſſe hoc Pactum Urios, ſtruxiſſe Pontem Diabolum, interim tamen, ne quis hominum in Dæmonis infernalis rete caderet, cogitaſſe illos de alio corpore animato, quod prima vice tranſiret Pontem, adduxiſſe canem, & fruſto panis in oppoſitam Urſæ Ripam transjecto alliciuſſe eum ad id arripiendum: ſic captum fuiſſe hunc Canem, & à Diabolo in mille fruſta diſcerptum, Diabolicam interim Artem humano deluſam fuiſſe conſilio, Pontem fabricatum magno tum accolarum, tum cœterorum ultro

citro-



TAB. V.



Jt. 4.

citroque commeantium juvamine. Minus tamen placuiſſe Cerbero hanc innoxii Canis offam, unde nova intentarit Pontem jam factum deſtruendi molimina, hunc in finem autem humeris ſuis velut alterum Atlantem ſuſtuliſſe ingens ſaxum, ut ejus Caſu fabricam recens extructam ruinæ daret, coactum tamen rurſum fuiſſe ex objurgatione Sancti cujuſdam, qui obviam venerit impoſtori, deponere ſaxum & à propoſito ſuo abſtinere. En Hiſtoriolam Pontis, Etymologiam Nominis, ſed & Pontem ipſum cum ſpumante ſub eo Urſa in TAB. V. Saxum ipſum idque horribile ingens demonſtratur infra Geſtinam ad Viam. TAB. V.

Ponte Diaboli ſuperato, devenimus mox in *Vallem Urſariam*, quæ *Urſella* alias & *Urſara*, *Das Urſeren Thal* vocâtur. Anguſta hæc eſt & vix milliare unum lata, duoque longa, pinguibus tamen gaudet pratis, & incolas habet aliquos Pagorum ſatis divites pro loci altitudine & deſerto in ſummis Alpibus ſitu, ubi nullæ ampliùs creſcunt Arbores, ſed fruticulis Chamœrhododendri culinarium ignem alere tenentur vallicolæ, ea autem Ligna, quæ grandioris ſunt molis, & ædificiis ſtruendis aliiſque caſibus conducunt, magno Labore ac ſumtibus ex Pago Geſtinen, & inferioribus adhuc Locis adferre. Dubium eſt, an *Urſaria* hæc *Vallis* nomen ſuum traxerit ab *Urſis*, quod Beſtiarum genus antiquis fortè temporibus Incolis fuit infeſtum, an verò ab *Urſa* Amne, qui Vallem hanc perfluit? Priori opinioni favet *Gul. Ræt.* p. 105. b. quoniam adhuc in Vallis inſignibus conſpicitur Urſus. Cœterùm hoc incolis ſolatio eſt in tam frigidum Helvetiæ angulum ablegatis, quòd Rempublicam conſtituant ab omni alio jugo liberam, & Confœderationis potiùs quàm ſubjectionis jure Pagi Urienſis protectione, & vicinorum Rhætorum Amicitiâ gaudeant, quorum Nationi olim fuerunt accenſiti, ſicuti adhuc Epiſcopum Curienſem in Spiritualibus attinent. *Urſaria Vallis.*

Primus Pagus, qui occurrit, Vallis totius Nomen *Urſeren*, *Urſaria*, *Urſella* retinet, & prætere vocatur *an der Matt*, *Urſaria.*

Matt, Pagum dixeris ad Prata vel Paſcua ſitum, ſupra hunc & nullibi in tota Valle plantatam videas Abietum
Sylvæ Munimentum. Sylvam, quam omni curâ conſervant, ut muniminis vicem gerat Pago huic contra Lapſus Labinarum, id propter etiam ſub graviſſima pœna prohibent, ne quis ſacrum hunc Lucum violet vel reſciſſione Lignorum mutilet.

Hoſpital. Semihorulæ Spatio ab hoc Pago diſtat *Hoſpital*, *Spital*, Xenodochium vel Hoſpitium dixeris, quoniam ab antiquis temporibus hîc divertere ſolebant advenæ, per Gotthardi juga Iter facientes, vel etiam hîc infirmos curare. Proſtant adhuc ſicuti quoque ad Pagum Geſtinen vetuſtarum Arcium rudera, Nobilitatis antiquæ, quæ his locis
Cryſtalli. conſedit indicia. Qui Cryſtallos in hac valle geſtit vel videre vel coëmere, reperiet illos Urſellæ apud Ammannum *Mejerum*, & Hoſpitalæ apud Ammannum *Mullerum* utriuſque Loci Hoſpites.

24. 1. P. *Hoſpitalæ* Mercurii altitudo fuit 21″. $6\frac{1}{2}$‴. unde judico altiorem eſſe hunc Locum Diverſorio *am Stäg* 1880. & inferiorem Gotthardi Cacumine 1320. ped.

Hoſpitio hoc Hoſpitalenſi relicto ulteriùs progreſſi poſt
Gotthardi jugum. bihorium ſuperavimus *Gotthardi* ſummum illud, per quod communis fit tranſitus, Jugum, cui ſuperimminent alia adhuc altiora, ut altius quàm Gotthardi Hoſpitium eſt, ſcandere neceſſum haberent, qui ſummarum Alpium Cacumina ſuperare deſiderant.

Nunc poſt exantlatos tot medii fere Itineris noſtri Alpini labores conſideamus paulisper in hac editiſſima Europæ ſpecula, viſuri & conſideraturi rara, quæ hîc contingunt, ſeſeque obviam ſiſtunt, Naturæ Miracula. Non unum autem nobis evolvendum eſt penſum, ſed ex Loci commoditate, & obligationis, quam in me ſuſcepi, jure
Gotthardus. multiplex. Deſcribendus autem ante omnia venit *Gotthardi Mons* ipſe, ut altiſſimum Europæ jugum cum ſuis Partibus, pervaganda ſunt ejus paſcua, pererrandi ſcopuli ſteriles,

riles, introſpicienda Hydrophylacia. Sed porrò à nobis pertractanda eſt *Labinarum* ita vulgò dictarum materia, *Labinæ.* quandoquidem hæ moles nivoſæ multùm hac illac per Gotthardum Itinerantibus faceſſunt periculi atque Damni. Erunt proin in tam rara Labinarum Hiſtoria examini tum Phyſico, tum Hiſtorico, ſubmittenda illarum Etymologia, Genera & Species, Cauſæ efficientes, præſervantes, curantes, damna, aliæque notatu dignæ circumſtantiæ, quibus ſubjiciam denique Hiſtorico Chronologicam Labinarum recenſionem, quotquot ſcil. ex Libris impreſſis, Codicibus Manuſcriptis, & Relationibus Epiſtolicis producere valeo.

Sequetur integra *Cryſtalli* Hiſtoria Lapidis illius, quem *Cryſtalli.* ἀπόῤῥοιαν περιφεγγέων ἀμβρότȣ ἄιγλης, *radium lucidi divini ſplendoris* vocat *Orpheus de Lapidibus* p. 199. quoniam in Gotthardo ejuſque capitibus & brachiis collocari debet genuina horum lapidum Patria. Præcipue propoſui mihi exhibere Vobis variantes Cryſtallorum ſpecies, cum earum ſynonimis, ut ſpecimen ſimul ſiſterem *Operis* integri *Mineralogici*, quod vellem hac methodo elaboraret pro Rei Litterariæ Publicæ commodo, cui regnum hoc in amplo Naturæ Theatro & ipſis Hiſtoricorum & Phyſicorum Voluminibus percurrendi, & penitius cognoſcendi, data fuit occaſio. Non tamen, ſi Memoria me non fallat, obliviſcar abſtruſiſſimum licet κρυςαλλογενεσίας negotium, quod non quidem enucleare præſumo, difficultate rei abſterritus.

Tandem ſi triplici hoc munere pro viribus defunctus fuerim & receptui cecinerint Viæ Comites ſimul & Duces, in conſortio *Equorum Clitellariorum* Montem ex Meridi- *Equi Clitellarii.* onali Latere juxta *Ticini* ductum deſcendere, & *Airolum* petere in animo habeo. Faveat DEUS, ut hactenus, ita porrò cœptis.

Conſcendimus tandem τὰ ἀκρώρεια, ἄκρα ſeu κορυφὰς, *Juga*, *Vertices*, *Cacumina Montium*, ſuperaturi ipſas *Alpes* *Alpes ſummæ.* *ſummas*, id eſt *ſummitates Alpium Cæſari* memoratas *Lib. III.*

Ee ubi

ubi ſcribit, *Antuates, Veragros, Sedunoſque à finibus Allobrogum, & Lacu Lemano, & Flumine Rhodano ad ſummas Alpes pertinere.* Abeunt hîc in divortia Commentatores, *Henricus Glareanus, Ægidius Tſchudius, Reimundus Marlianus Leander, Stumpfius, Jovius, Cuſpinianus* interpretantur *ſummas Alpes* per juga quædam peculiaria ex omnibus Alpibus Helveticis ſumma, unde in omnes plagas tendant Flumina, & ſpeciatim per Alpes *Sedunorum, Veragrorum,* & *Antuatum,* quorum ſupremum Cacumen ſit *Mons Gotthardus* cum ſuis Ramis, *Furca Criſpalto & Valdotio.* Potior mihi uti & *Plantino Helv.* p. 52. videtur *Simleri* ſententia, quæ τὸ *ſummum* non explicat ut proprium his vel illis *Valleſiorum, Sabaudorum, Uriorum, Rhætorum* Jugis Alpinis, ſed ut appellativum commune quibuſvis aliis, verbo *Cacumen montis. Ego quod pace tantorum virorum dixerim,* verba ſunt hæc *Simleri de Alpibus* p. 98. *arbitror nomen Summi non hîc poni, ut aliquæ Alpes iſto quaſi proprio titulo diſcernantur ab reliquis Alpibus, ſed eſſe nomen appellativum, ut Grammatici vocant, & idem eſſe atque* τὰ ἄκρα τῶν Ἄλπεων, *quæ paulò poſt Cæſar vocat Culmina, itaque pertingere ad ſummas Alpes, id eſt quod Strabo vocat* μέχρι τῶν ἄκρων ὑπερβολῶν τοῦ ὄρους. *Apud Dionem, qui eadem de Veragris refert, ſcribitur, eos uſque ad Alpes incolere: hic ſimpliciter dicuntur juxta Allobrogas ad Alpes incolere, quod Cæſar clarius expreſſit, uſque ad ſummas Alpes, hoc eſt Summitates & Cacumina Alpium. Sic vocat Livius ſummum verticem, & Antoninus ſummum Penninum, ſummum Pyrenæum.* Non tam longis intervallis diſſidere mihi videntur quidem *Simleri* & aliorum ſententiæ, quin conciliari queant: Verum eſt & ſuo loco demonſtrandum, eſſe nominatas ſuprà *Alpes Veragrorum, Rhætorum, ſummas* & præ aliis altiſſimas, ſed & verum, ſingulas harum ſuas habere *Summitates,* ſeu Cacumina, ut qui per *ſummas Alpes* Iter feciſſe perhibetur, *Summitates* ſeu *Summa Summarum Alpium* pertranſiiſſe dici poſſit.

Hæ

Hæ Alpium Summitates, hi Montium vertices, varia acceperunt per Helvetiam nomina. In Scriptis *Tſchudianis* paſſim appellantur *hohe Fyrſten*, *Alp Fyrſten*, *Bergfyrſten*, ad imitationem ædium, quarum faſtigia ſumma vocamus *Fyrſten*, *Firſten*, *Fürſten*, Latini etiam *Culmina*, quia veteres de *Culmo* ædificia contegebant. *Serv. Ecl.* I. Sicuti autem *Faſtigium* notat non ſolùm ædium, ſed & aliarum rerum ſummam altitudinem, ita eadem ratio eſt *Culminis. Culmina Alpium* à Romanis occupanda memorat *Cæſar de Bello Gallico Lib. VII.* Non ita exolevit Culminis antiqua vox, quin aliqua faſtigiorum alpinorum veſtigia inde à Romanorum tempore apud nos remanſerint. *Reginæ Montium*, quæ *Ditionis Suitenſis* eſt, Summitas adhuc nuncupatur *Kulm*, *auf der Kulm. Cyſat. Luc. See* p. 229. In alium paulò & vocabulo montis generali perallelum ſenſum pertraxerunt ſignificationem vocis *Cuolm* Rhæti, verticem quidem montis vocant *ſü ſom l' cuolm*, ſed & pedem imum *gio dim l' cuolm.* *Culmina Alpium, Alpfirſten.*

Summas eſſe *Alpes Helveticas* præ multis, ſi non omnibus totius Europæ montibus, non ſolùm ſenſu ſuprà expoſito, quo quivis etiam monticuli ſuas habent ſummitates, ſed & communi, ut Helvetia cum ſuis Montibus ſitum obtineat in Europâ altiſſimum, conjecto ex nivoſis per totum annum *Cacuminibus*, præcipuè autem ex *Fluminum ortu*, & verſùs omnes Mundi plagas *decurſu.* Infirmum hoc argumentum videtur *Simlero de Alp.* p. 98. b. videamus cur, interpolando quæ contra inferri poſſunt. *Primum enim*, inquit, *cùm ſummi nomen reſpectu alicujus rei minùs altæ dicatur, hic non ad alias Alpes refertur, neque enim Cæſar huc ſpectavit, ut oſtenderet, quænam Alpes altiſſimæ eſſent, ſed Alpes ſummæ ab eo dicuntur reſpectu vallium. Seduni enim & Veragri, atque Antuates campos & imas valles circa Lemanum & Rhodanum habitabant, & ab his loca proxima uſque ad Culmina Alpium.* Explicant hæc Verba Cæſaris textum, non contra me, argumentis ex Natura, non Cæſare petitis, militantem pu- *Sunt Alpes Helveticæ in Europa ſummæ.*

gnant. *Deinde non protinus illi montes ſunt altiſſimi, ex quibus magna flumina oriuntur, & in diverſas Orbis partes defluunt : nam ex Pinifero monte quatuor flumina ad quatuor Mundi Cardines fluunt, Egra, Mœnus, Nabus & Sala: è Rhætorum etiam Monte, qui ab Aquila nomen habet, Arliberg, quatuor flumina defluunt. Rurſus Danubius, primi nominis Europæ fluvius, in plano loco, aut ſaltem non alto monte oritur: ut jam prætercam Moſcorum & Tartarorum Flumina, quorum multa in latis campis fontes ſuos habent: Ac Veterum aliqui crediderunt Veſulum inter Alpes celſiſſimum eſſe. Et adhuc inter ſe certant Rhæti, Helvetii & Valleſiani, penes quos ſint altiſſimæ Alpes: eſt igitur hæc res dubii & incerti judicii.* Immotæ eſt Veritatis aſſertum, eſſe omnia Flumina conſideranda, ut plana inclinata, in quorum ſummo ſit fons ſeu ſcaturigo, in imo Oſtium. Ut hinc non ſufficienter expreſſiſſe videatur *Becmannus Hiſt. Orbis Terr Geogr.* p. m. 61. cauſam fluxus Fluviorum, quando ſcribit: *Fluunt omnes Fluvii (niſi ex accidente ratio particularis interveniat)* 1. *ob preſſuram aquæ ſequentis. Et* 2. *Fluxum hunc peragunt, quia minimæ omnes Aquæ particulæ rotundæ eoque magis volubiles ſunt.* 3. *Eodem motu, & in eadem altitudine fluunt, idque non adeò ob declivitatem locorum ſuccedentium, ſed ob aquarum inſequentium preſſuram.* Hiſce oppono, quæ de neceſſaria inæqualitate Terræ exterioris, vel ob diſpenſationem Aquarum ita diſſerit Celeberr. *Woodward Geogr. Phyſica*, abs me in Latinum ex Anglico Idiomate translata, p. 130. *Suppoſita licet Stratorum Solidatione, & proin Vaporum ipſorum condenſatione, aſt denegatâ Fracturâ manſiſſet Aqua ſemper infra Strata, nec unquam ſupra hæc aſcendiſſet, ſic defuiſſent rurſum in univerſa pene Terra Flumina & Fontes, quandoquidem Aqua ſolet per ipſorum Stratorum fiſſuras ſurſum tendere, nec præter hanc aliam invenit viam. Sublevata equidem fuiſſet Aqua ad imam Stratorum ſuperficiem, ſed tranſitus per illa, & exitus, prorſus interceptus, ſi Marmorea & Saxea Strata non fuiſſent fiſſa, ſed remanſiſſent continua. Fiſſuræ alium inſuper obtinent uſum,*

qua-

quatenus recipiunt, & intra ſe recondunt, Metalla & varii generis Mineralia, una cum Aqua illuc delata, & ſucceſſivè depoſita, collecta tandem in venas, quæ effodi poſtea ſolent ad Humani Generis varios uſus.

Poſitis etiam ſtratorum Solidatione, Fractura, Vaporum item condenſatione, & libero adſcenſu, ſed negatâ Dislocatione, quorundam Depreſſione, aliorum Elevatione, non extitiſſet Cavitas quædam vel Alveus ad recipiendam Aquam, non Rupes, Montes, aliæve Globi inæqualitates, & abſque his ſtagnare debuiſſet Aqua in Terræ ſuperficie, nec per hanc potuiſſet commodè diſpenſari, non potuiſſent Flumina aut Rivi decurrere per Globi faciem, niſi elevatis priùs ſtratis, & Collibus ſupra vicinas planities, & Campos erectis, quo ipſo fuerunt Fontes Fluminum altiùs ultra ordinariam Terræ ſuperficiem evecti, ut defluere potuerint Aquæ per planum inclinatum, abſque quo ſtagnaſſent in perpetuum. Premunt omnino Aquæ ſequentes, eas, quæ præfluxerunt, non propter ſolam aquearum particularum volubilitatem, ſed præcipuè quòd ex altiori loco defluunt. Quem, quæſo, fugit, Alveum Oceani eſſe depreſſiorem totius ſuperficiei terreſtris locum, unde gradatim fiat aſcenſus ad ſumma Alpium Cacumina Docet hoc Autopſia, confirmat Ratio, comprobant Experimenta. Hiſce innixus fulcris dico, *Piniferum montem* (cujus Hydrophylacium quondam non ſine admiratione conſpexi) eſſe ſupremum apicem quatuor concurrentium inclinatorum Planorum, quorum infimam partem conſtituant Oſtia, *Mæni* ad Moguntiacum, ubi Rheno ſeſe infundit, *Egræ* prope Leitmeriz in Bohemia, ubi Albin influit, *Salæ*, ad Calbam Archiepiſcopatus Magdeburgenſis, ubi eidem Albi miſcetur, tandem *Navæ* ſeu *Nabi*, qui Danubio aquas ſuas tradit. Utut igitur Mons hic non ſit ex altiſſimis, imo vix inter mediocres referri mereatur, altior tamen eſt fluminum recenſitorum, quæ è ſinu ſuo fundit, Origo planitiebus *Moguntiacâ*, *Magdeburgicâ*, *Bohemicâ* & *Bavaricâ*, per quas decurrunt illa Flumina. *Danubii* (qui

molli & clementer edito Montis Abnobæ jugo effuſus, plures adit populos. Tac. de Mor. Germ. C. 1.) fons in vicô *Eſchingiaco* Furſtenbergiorum ex communi hactenus opinione conſpiciundus altior certè eſt Campis, *Sueviæ, Bavariæ, Auſtriæ, Hungariæ, Serviæ, Bulgariæ, Wallachiæ*, & *Moldaviæ*, quas Regiones omnes alluit, altior tandem *Ponto Euxino*, in quem evolvitur. Quid nunc dicam de *Alpibus* noſtris *Rhæticis, Valleſiis*, omnibusque *Helveticis*, quæ juxta Piniferum & Abnobam, montes ſurgerent, ut inter lenta viburna Cupreſſi? Nonne pari jure de illis inferre poſſum, altiores eſſe *Germaniâ* & *Belgio*, quas Regiones perfluit *Rhenus, Galliâ Narbonenſi*, quam permeat *Rhodanus, Italiâ*, quam alluunt *Addua* & *Ticinus*, altiores proin *Mari Mediterraneo, Oceano Germanico*, & *Ponto Euxino*. Taceo nunc minores Fluvios, qui magno numero ex Alpibus noſtris ſcaturiunt, & ſeſe in Rhodanum, Rhenum, Adduam effundunt, qui ſanè omnes & ſinguli totidem ſunt teſtes, quàm in Alpibus Helveticis plura longè reperiantur Hydrophylacia, quàm in ulla Europæ parte. Demonſtrari id facilè poſſet, ſi ſpecialem inire computum vellem, nolo autem quia ſatis probaſſe Cauſæ Veritatem mihi videor.

Labinarum Onomatologia. *Labinæ* vel *Labenæ* vocabulum ad ultimam Latinitatem relegandum notat nivoſas ingentes moles conglomeratas, quæ per declivia Alpium Latera *labi* (inde autem nomen) ſolent. In vernacula nobis Linguâ vocantur communiter *Louwinen, Lauwinen, Schneelauwinen, Lauwenen, Loüwinen, Loüinen, Lovenen, Laüwinen, Lobinen, Lobinenſtrich*, quaſi Leænæ, uti quidem videtur *Phil. Camerario. Hor. ſubciſiv. Cent.* 11. §. 77. à bruti hujus celeritate, impetu & immenſis viribus, quibus non facilè reſiſti poteſt, Mihi cum *Simlero de Alpibus* p. 113. videtur Latina æque ac Germanica denominatio arceſſenda à Rhætis, qui Italico Idiomate Labinas vocant *Lavine*, vernaculo autem *Lavigne*. Scribantur hæ voces vel enuntientur à nobis Germanis, uti ſcribuntur, & erit Etymologia

gia in vado. *Ægid. Tſchud.* utitur in *H. A.* MSC. p. 394. voce *Schnee Schlipfe*, quæ τὸ materiale & formale Labinarum optimè exprimit; alii Labinas vocant *Schneebrüche. Gulerus Ræt.* p. 169. *Schneeläſte*, ſatis emphaticè. Helvetii Gal. Ling. *Levanze*, *Vallantze*, a valle, (quòd conglomeratæ illæ nives in valles uſque à ſummis montium jugis decidant) vocant *Plantin. Helv.* p. 40. *Spelmannus* Labinis ſynonimas facit in Gloſſario ſuo *Riſinas*, quando & has explicat per Nives conglomeratas per montium præcipitia dilabentes. Perperàm, *Riſenen*, *Riſinen* nobis, *Lavinær* Rhætis, nuncupantur præcipitia ipſa Alpium juga, per quæ Labinæ delabi ſolent, non verò Labinæ ipſæ. Forſan per *Riſinas* exprimere voluit Spelmannus, vel alius, ex quo vocabulum mutuò petiit Scriptor, montium illos Caſus, Rupes & Terras per præcipitia defluas, *Rufinen* appellatas Rhætis, quibus nunc propter affinitatem jungimus Labinas. *Lauwenzüge* vocantur Striæ illæ, quas labentes nivoſi glomeres in Nive reſidua formant.

A Labinis inſuper differt *Nix cumulata vento* apud *Curtium Lib.* V. *Cap.* 4. n. 18. *Caſus Nivium Olao Magno Hiſt. Gent. Lib.* I. C. 20. *ein Windweben*, *Zuſamen geweheter Schnee*, *Schneegeweheten*, quæ Viatores nunc abſorbet, nunc etiam inſtar Labinæ labendo opprimit, uti id accidit in *Albula* monte A. 1673. in Aprili quatuor Viris robuſtis, qui à tali Nive cumulata, corporibus illorum illapſâ tecti occubuere. De hac Nive dici poteſt & debet, quòd ſeſe demittat potius, proprio pondere gravata, & de rupium extremitatibus, vel tectis vel Arboribus veluti pendula: de Labinis autem, quòd convolutæ in globoſam molem devolvantur. *Nix cumulata vento, Schneegeweheten.*

Labinarum genera ſunt potiſſimùm duo, *unum*, *ſi novæ & molles duntaxat Nives conglobantur & labuntur. Simler* p. 113. b. vocant has *Windlowenen*, tum à Cauſâ, vento nivem recens delapſam, commovente, tum ob effectum, quoniam celeriter ruunt, & lapſu ſuo ventum procelloſum exci- *Labinarum genera.*

excitant, qui etiam eminùs quæque proſternit, Abietes craſſiſſimas frangit, homines & jumenta ſuffocat, ædes & ſtabula ſubvertit; item *Staublowinen*, *Staubloweln*. (*Räbm. Geſpr.* p. 132.) à vento & pulvere nivoſo, quo conſtat, & quævis in valle obvia obtegit ac involvit, alii κατ᾽ ἐξοχὴν *Schneelauwinen*, quòd ex mera Nive conſtant: Itali *Lavine di Freddo*, Engadienſes *Lavigne da fraid*, quaſi dicas *Labinas ex frigore*, *Labinas hyemales*, hybernas, quoniam hyeme potiſſimùm & frigidiſſimâ aëris temperaturâ (quâ nivei flocci recens lapſi raram poroſam conſtituunt maſſam, à vento quovis facile diſſipabilem, nec dum propius coactam oriri ſolent, ſunt hæ admodum periculoſæ, eo ſcilicet ſenſu, quatenus fugâ non tam facile evitari poſſunt, & citò ſæpe Viatores obruunt, nec via recta decurrunt, ſed à vento flante nunc hac, nunc illac pelluntur: alio tamen reſpectu minûs lethales, quàm quæ mox deſcribendæ veniunt, quoniam minùs ſunt compactæ, ut qui iis involvuntur, faciliùs ſeſe extricare queant, nec vitam ſtatim ſuffocati amittant. *Alterum*, pergit *Siml. quod inveteratam nivem quoque trahit & multum Terræ ſecum abripit.* Nuncupantur hæ *Schloſs* & *Schlaglauwinen*, quoniam non tam ſecundante vento, quàm ponderoſa mole cuncta, quæ in Via occurrunt, poſternunt, diruunt, nec ſolam nivem ſecum vehunt, ſed & arbores radicitus extirpatas, rupes & ſaxa prægrandia, (unde & *Grundlowenen* appellantur, *weil Sie den Grund ſelbs mit ſich fort führen*, *oder alles von grund ausreiſſen*) & Viatores, quos corripiunt, vel ſtatim ſuffocant, vel tam arctè claudunt, ut capite ſolo liberi, reliquo autem Corpore integro involuti ſeſe exſolvere nequeant, ſed perire neceſſum habeant. Hoc ſanè ſenſu prioribus ſunt magis exitiales, minùs tamen periculoſæ, quatenus non tam citò defluunt, nec etiam tam latum occupant ſpatium, quin maturè conſpectæ evitari poſſint. Itali hoc Labinarum genus vocant *Lavina di Caldo*, Engadienſes *Lavigna da chiod*, quoniam verno potiſſimum tempore, quo calor redit & nives conſtipat, excitari ſolent. Solent hæ delapſu ſuo ingentes con-

concitare fragores, tonitrui ſimiles, ob concuſſam violenter terram, & repercuſſam ad latera montium aërem tremulum. Utrumque genus deſcribit Carminicè *Rebmannus* p. 131.

Der Schnee durch ein klein Windlein leicht,
Oder von Vogels fluk bald weicht,
Vnd rukt uber den Berg hinab,
Alſo das das Land erthönd darab,
Vnd ſtoſt zu grund Baum und Erdrich.
Felſen, Hauſer, und was dergleich,
Menſchen und Viehe, was es trifft an.
Muſs ztodt, zu grund und Boden gan,
Solch Schneebruch ein Lowin genant,
Den Bergleüthen iſt wol bekant:
Wann aber ſtarke Wind entſtond
Das Staubloweln hiemit angond
Den Schnee dik in der Luft umbtreiben
Da muſs der reiſend Menſch oft bleiben.
Das Er vom Schnee wird tieff bedekt,
Wird bald erfröret und erſteckt,
Wo nicht das Volk grabt nach mit gwalt
Vnd alſo ihn bey leben bhalt.
Vnd er nit ztieff hinunder fallt.

Et *Claudianus de* 4. *Conſ. Honorii:*

——— ——— ——— *multos hauſere profunda*
Vaſta mole nives, cumque ipſis ſæpe Juvencis
Naufraga candenti merguntur clauſtra barathro, plauſtra
Interdum ſubitam glacie labente ruinam
Mons dedit.

Et *Silius Italicus*:

Tum quâ durati concreto frigore Collis
Lubrica fruſtrantur Canenti ſemita clivo,
Luctantem ferro glaciem premit, haurit, hiatu
Nix reſoluta viros, altoque à culmine præceps
Viventes turmas operit delapſa ruina.

De *Labinis* ſeu *Caſibus Nivium* in Montibus, qui *Sue-*

ciam à *Norwegia* dividunt, videatur *Ol. Mag. Hiſt. Gent. Sept.* Lib. II. C. 15.

Cauſæ efficientes. *Labinarum Cauſæ efficientes* exiſtunt quæcunque quovis modo, mediatè aërem vel immediatè nivem, in altiſſimis Montium Jugis movere aut devolvere aptæ natæ ſunt: uti Lapides & ſaxa decidua, venti, Nix recens delapſa, mobilior inveterata, flocci ex Arboribus delapſi, nix vento cumulata: arboreſque putredine conſumtæ quæ collabuntur, Sonus tintinnabulorum, Campanarum, Sclopetorum, vox hominum clamantium aut etiam colloquentium, Pluvia, Calor vernus, Rupicapræ & aviculæ quævis; *His vel leviſſimis Commotionibus nix impulſa in globum initio convolvitur, is ubi multis provolutionibus concreverit, etiam propter magnitudinem & inæqualitatem volvi amplius non poteſt, vehementiore tùm impetu delabitur, & continuo progreſſu auctior vires majoremque molem acquirens, Saxa, Arbores, Ibices, & alia quævis animalia, Homines, Tuguria, & quicquid obvium fuerit involvit, & ſecum abripiens ad imos Montium pedes defert. Hujuſmodi Nivium moles ſæpe complura Jugera occupat, tantoque cum fragore è montibus decidit, ut terra ipſa concuti videatur, & procul inde diſtantes atque hujus rei ignari tonitru ſe audire exiſtiment. Siml.* L. c. Sic effectus ex hactenus dictis, & porro ex ſpeciali Labinarum Hiſtoriâ infra contexenda pateſcunt.

Præſervatio. Pergimus ad Methodum præſervatoriam, & curatoriam, quâ mala à Labinis inferenda præcaveri, & illata vel tolli vel diminui poſſint. De priori ita *Siml.* p. 114 *Quo loco Caſus Nivum ex alto monte metuendus eſt, illic nullæ ſunt Domus, nulla Tuguria, aut boum Stabula in ſubjecta valle, ſed incolæ proximo aliquo loco, ubi collis forte interpoſitus nivium Caſum coërcet, ædificare & habitare ſolent. Atque apud Urſarios in Montis Gotthardi radicibus ingens Sylva proceriſſimarum Abietum, ab ipſa Natura molibus Nivium oppoſita videtur; cùm alioqui nullæ aliæ arbores, aut Sylvæ illic in ea parte montis creverint: triangu-*

gulari autem formâ conſita eſt, ut quamvis nives arbores dejicere ſoleant, hic tamen non ſit periculum, ne ſubvertatur, cum angulo oppoſito quaſi perfringere conetur incidentem molem, & ſuâ magnitudine, quâ ſubinde latior & denſior eſt, ſe defendat. In Helvetia paſſim ad Radices montium extruuntur *muri triangulares*, ut ad anguli acuti occurſum Labinæ diffractæ ad latera abſque inſigni damno declinare poſſint. Tale propugnaculum viſere licet in Fractu *Davoſiano* ſupra Templum ordine medium. Aliàs, ſolent ædes & ſtabula proximè ad radicem montis, vel imminenten petram ædificari, ut Labinæ deciduæ illa corripere nequeant. *Itinera propter Vallium anguſtiam nonnunquam, quoniam aliter fieri non poteſt, per loca huic periculo obnoxia tranſeunt, quare ut diſcrimen evitare poſſint, qui illuc iter faciunt, plerumque ſummo manè, quando minus periculi eſt, viam ingrediuntur, & taciti, quàm celerrime poſſunt, periculoſa loca prætereunt. Accolæ etiam qui optimè naturam locorum tenent, & quando periculum immineat, certis ſignis cognoſcere poſſunt, peregrinos, quid faciendum ſit, admonent.* In vallis principio, ubi nullum adeſt periculum, ſolent ſclopeta explodi, ut periculum ruituræ labinæ explorari poſſit. Tintinnabula Equorum & aliorum jumentorum obturantur, converſatio Viatoribus interdicitur. In *Valle Averſanâ* Rhætiæ ſolent Campanæ non ultra aliquot Pedes à Terra elevari, ad impediendam Soni in remotiora Alpium juga continuationem: in aliis locis abſtinetur ab omni Campanarum pulſatione. Inter pagos *Lavin & Guardia*, *Engadinæ inferioris* extruuntur ad Viam Regiam fornices ſubterranei, ut eò confugere poſſint tranſeuntes, ſi Labinæ ruituræ quædam ipſis compareant indicia. Notant quoque & monent Viatores Alpicolæ, ut faciem Labinis ruituris non obvertant, ſed inde avertant, ſicque ſuffocationem facile orituram præcaveant, imo ſi fugæ nullus concedatur Locus, capita in ipſam nivem delapſam illico recondant, aliàs autem ad vel ſub proximam quamvis petram, montiſque latus confugiant,

Ff 2

ant, & quam prope id fieri poterit, ei faciem, totumque corpus applicent.

Curatio eorum, qui Labinis involvuntur. De cura eorum, qui Labinis involuti adhuc vivi degunt, vel ſuffocati eximendi ſunt, hæc habe: *Nonnunquam homines Nive conglobata involuti ſub ipſis nivibus vivunt, & operâ incolarum eruuntur, & quaſi ab inferis revocantur. Id autem accidit ferè, tùm ubi tantùm recentes Nives conglobatæ fuêrunt, & prope Valles, qua impetum ſiſtunt, aliquem involverint: Etenim ſi quis Nive obrutus eſt, manus ſub nive non prorſus obdurata movere, & aliquid ſpatii circa faciem excavare poſſit, aliquam ſub Nivibus reſpirandi facultatem nanciſcitur, atque in alterum & tertium etiam diem ſub Nivibus vivere poteſt. Siml.* L. c. Prima itaque involutorum Cura eſto, nivis aliquam portionem ab ore removere, ut reſpiratio quoquomodo peragi poſſit. Quadrat huc Hiſtoria infra recenſenda, quæ ante aliquot annos contigit *Scieriæ* (*Tſchierſch*) in *Curienſium Valle* (*Churwalder Gericht.*) Spem ſalutis adaugent, ſi prope involuti faciem jaceat truncus Arboris vel trabs quædam lignea; aut proſtratæ ædiculæ portio, aut Saxum, prope quæ Spatium quoddam nive vacuum excavatum reperiatur. *Montium verò accolæ ſi quandò hujuſmodi moles decidant, mox obſervant, an aliqui eo die iter ingreſſi ſint, & temporis ratione ſubducta, an Nivibus involuti ſint conjiciunt, atque confeſtim harum rerum periti Nives fodiunt & ſcrutantur, num aliquis lateat, cui adhuc opem ferre, & Vitam conſervare poſſint.*

Labinæ Cauſæ occaſionales Inundationum. Non hominibus duntaxat, Jumentis, Arboribus, & ædificiis exitio ſunt Labinæ, ſed occaſionaliter inundationes excitare, ſicque toti alicui Valli damnum haud leve inferre poſſunt. *Conſidunt atque ſubſiſtunt labentes nivium moles in Locis planis & Vallibus, atque illic aliquando viam montanis torrentibus in eos incidentes præcludunt, quæ ſi hominum operâ non fuerit rurſus aperta, illi in ſe collecti & aucti nonnunquam*

non

non parvo Incolarum Damno erumpunt. *Siml.* p. 114.

Cùm autem in ipſum Iter ingens aliquis Globus nivis deciderit, vix multo tempore ſolvitur, & per illum iter faciendum eſt, quaſi per novum quendam monticulum, aut Collem nuper in via ortum. *Simler.* p. 114. b. In tantum ſæpe accumulatur nix per Labinas devoluta, in Vallibus, ut molem aliquot Domuum ac Templorum adæquet, & centena aliquot plauſtra vel onerariæ Naves adimpleri poſſent. Haud raro quippe contingit, ut omnis nix, duas vel tres ulnas profunda, per præceps montis alicujus devolvatur latus, ad dimidii milliaris latitudinem, quæ per totum æſtatis decurſum liquefieri nequit. *Nix per Labinas devoluta diu in Vallibus durat.*

Hoc inſuper Silentio præteriri non debet, quòd corpora animata Labinis involuta diu per aliquot Septimanas & menſes maneant incorrupta, detecta autem & aëri expoſita tanto citiùs poſteà conſumantur. Hac vi corporum conſervatoria utuntur *Venatores*, qui Rupicapras aliasque Carnes ferinas in nive & glacie recondunt, & ſic diu à putredine præcavent. Non deſunt obſervationes, ut Nobis Helvetis, ita aliis, præcipuè Septentrionis, incolis, *Suecis*, *Danis*, *Norwegis*, *Moſcowitis*. In *Spitzbergæ* oris nullam prorſus patiuntur per decennium & plures Annos mutationem cadavera. teſte *Frid. Martens. Spitzberg. Reis* P. II. C. 1. *Bartholin. de Nivis uſu.* Cap. 12. p. 80. Ratio haud obſcura iis, qui Putredinis & Frigoris Naturam intelligunt. *Cadaverum putrefactio cùm præcipuas cauſas habeat Calorem ambientem & humorem intus augeſcentem, frigus autem in abſentia Caloris conſiſtat, & hæc abſentia Caloris cauſa per accidens ſit humoris conſiſtentis & concreti, quid mirum, ſi eodem modo cauſa ſit non conſequentis putrefactionis? quandoquidem ſublata cohibitâ cauſâ non minus tollitur aut cohibetur effectus, quàm illâ poſitâ & operante, hic idem ſequitur.* *Sturm. Phyſ. Hypoth.* p. m. 634. *Cadavera in Labinis diu manent incorrupta.*

F f 3 Nunc

Labinarum Hiſtoria Chronologica. Nunc tandem promovemus pedem ad *Hiſtorias Labinarum* memorabiliores, ſive damna *Helveticæ Nationi à Labinis* illata.

1477. A. C. 1477. *ad Montem Gotthardum ultra LX. Helvetiorum milites Belitionâ Patriam petentes unà cum equis nonnullis clittellariis eadem Nivis conglobatione opprimebantur. Wag. H. C.* p. 33. *ex Bulling. Chron. Tig. MS.* P. II. Cap. 8.

Avorum noſtrorum Memoriâ apud Glaronenſes accidit, ut Puer Labinæ à Monte delapſæ, qui vaccis, quas ad fontem proximum potatum ducebat, adſtabat, unà cum vaccis, fonte ac proximo horreo derepente involveretur, prima equidem die perticis longis puer inquirebatur, ſed incaſſum, ſubſequenti die cum parentes vicinos ſuos in auxilium accerſiſſent, ut Labinam dividerent, pueroque funebria exequerentur, vivus inde fuit maximo cum adſtantium gaudio extractus, mater vero eo viſo Lypothymiam eſt paſſa. Wagn. p. 35.

1651. A. 1651. d. 27. Febr. *Matthæ apud Glaronenſes ingenti globo niveo Stabulum unà cum tribus armentis, ac aliquot minoribus involutum, & ad imas montis radices truſum. Wagn.* p. 383.

1659. A. 1659. *in Januario in Valle magna dicta prope Dietſchbach apud Glaronenſes maximus nivium globus præceps è vertice montis ruens D. Capitaneo Provinciali Streiffio XXVIII. armenta, inter quæ XVIII. vaccæ erant, unà cum ſtabulo corripuit involvitque, ex his autem duæ ſupra ipſam Labinam elatæ.* Ex relatione ipſiusmet Capitanei *Wagn.* L. c.

1679. *A.* 1679. *d.* 27. *Jun. cùm præcedente nocte magna nix cecidiſſet in Alpibus Glaronenſibus multa centena ovium à Labinis correpta & occiſa ſunt. In ſola Alpe inferiore (Nideralp) prope Suandam ultra CC. ex quibus ſupra XXX. ad fratrem meum ſpectabant, & in alia quoque CC. oves periere.* Ex Communicatione Ven. D. *Abraham Wildii*, Paſtoris atque Decani Glaronenſis, *Wagn.* L. c.

A.

A. 1683. cecidit copioſa Nix, quæ paſſim in Labinis devoluta ſtabula tum pecoribus referta tum vacua, operiit, & in valle Majori Fœminam involvit, quæ tamen hora poſt rurſus fuit, & viva quidem, protracta. *Joh. Henr. Tſchud. Hiſt. Glaron.* MS. ad. h. an. 1683.

A. 1686. d. 29. *Junii accidit in Glaronenſi pago* 1686. *Schwanden, ut rapida nivium conglomeratarum Vehementia viri ſeptem, vociferantibus ac de vita jam jam periclitantibus ſuppetias ferre promti, inopinanter fuerint oppreſſi, ac involuti, adeò ut* 200. *viris extemplo congregatis poſt diuturnam adhibitis perticis ligonibus aliiſque organis, nimirum* 9. *horarum intervallo, perveſtigationem, quinque ex obrutis viri tandem defunctorum inſtar exemti, ac fœno, ſtramine veſtibuſque probè tecti trium aut quatuor horarum ſpatio in vitam revocati ſint, cæteris binis poſtridie mortuis protractis. In eadem Regionis parte horrea complura, ſtabula item vaccina, ac equina Labinarum impetu ſunt operta, pecoribus vaccis & Equis depereuntibus nonnullis. Eodem infortunio agitabatur pagus Elm. Pago* Matt *idem imminebat periculum,* 13. *culminibus, abſque tamen hominum detrimento, à nivea mole laceratis, ſoloque prorſus adæquatis* Ex relatione Rev. Dni. *Petri Zelleri* Paſtoris tunc Suandenſis vigilantiſſimi.

Cum A. 1499 *Imperator Maximilianus Rhætiam inva-* 1499. *ſiſſet, duobus mille militibus in mandatis datum, ut ſupra excelſum quendam montem irruptionem in Engadinam facerent. Accidit autem, ut Labina ex improviſo decidens ultra* 400. *milites obrueret, atque obtegeret: terrorem haud mediocrem id primum incuſſit, qui tamen mox in Cachinnum commutatus fuit, cùm à Nive ſepulti quaſi è Terra prodirent nullus equidem illorum periit, multi tamen læſi fuere, & quilibet vel haſtam, vel aliud armorum genus, vel pileum, vel calceos amiſit. Bilibald. Pirkheim de Bell. Helvet. L.* II.

A. 1602. 16. *Januarii horâ* 12. *noctu apud Davoſianos* 1602.

Rhæ-

Rhætos XIII. homines à Labina opprimebantur, qui omnes mortui reperti, præter juvenculam XIV. annos agentem, quæ à prædictâ horâ 12. nocturâ Sabbathi uſque ad Martis diem illi involuta, viva adhuc inde extracta fuit. Eodem tempore Johannes Sprecherus, cum Uxore ſua, filio & ancilla poſt horas X. ex Labina quoque vitam adhuc agentes, extracti, ſolo infante 9. Menſium vitam cum morte commutante. Fortun. Sprecher. Chronol. Rhæt Lib. VI. p. 316.

1609. A. C. 1609. d. 3. Mart. *apud eoſdem Rhætos in vico* S. Theodori XXVI. *homines ſimiliter à Labena fuere oppreſſi, inde* Petrus Gulerus *vir* LXXXV. *annorum tertio die è faucibus Lethi extractus, uti idem Author* αὐτόπτης commemorat W. p. 35.

1689. A. 1689. d 25. Jan. periere Labinâ involuti 57. homines in *Rhætigoviæ* pago *Saaſs*. Prodiit in memoriam rei A. 1697. Carmen lugubre, ex quo ea, quæ ad Hiſtoriam faciunt, huic loco inſerere conſultum duxi, quoniam in pauciſſimorum hominum manibus verſatur.

O Menſch bewein dein Sünd aus Reu,
Denk, was geſchach im Prettigaü
Bey Saaſs *in den drey Bündten*
Im Jahr Chriſti zu zellen ſeyn
Tauſend Sechshundert Achzig neün,
Fünff und zwantzig tag kundten
Des Jenners machen auch den Tag
Pauli Bekehrung voller Klag
Im Vollmond um acht uhren.
Morgens der Sonnen hitz anfieng
Oder ein Erdbidem ergieng
Das Schneebruch abwerts fuhren
Von Calmuren *Gebirg ſo hoch*
Herab an Calanda *Berg nach.*
Zum Homen, *und* Grüntholen
Ein Schneebruch entſtund ſehr gähling,
Nächſt Calanda *Maienſäſs gieng,*

Thät

Thät alles gnau wegholen
Den Güteren Zeſtiew *vorbey*
Durch die Mäder Fendrils *ganz frey*
Die Güetter zu Parſchleze
Durchrauſcht, und nahm ein Theil vom Wald
Mit ſo ſchröklich grauſamen gwalt,
Das er doch nicht zur Letze
Verwüeſt vil Berg auen und Ställ,
Fuhr durch den mittleren Berg gar ſchnell
Mit vil Gwurtz Holz auch Steinen.
Trang zur Nachbarſchafft Raſchnal *ein,*
Schoſs ubern Fluſs Lanquart *thät ſyn*
Breit als er pflegt zuſcheinen
Ongfahr ein halbe viertel ſtund
Richt neue Hauſer vil Ställ zu grund,
Tödt der Menſchen ſechſzehen,
Trukt under vier, die ſchreyen nach,
Die Noth iſt groſs, Gott rett uns doch,
Ach Gott thu uns beyſtehen.
In ſolchem Jammer und Elend
Dem Glokenſturm folgten behend
Vil Leüth aus den Gemeinden
Zu Kublis, Conters *und zu* Saaſs
Weil Noth erfordert diſs und das,
Zu helffen ſie vermeinten;
Aber deſſelben Tags Mittag
Nach ein Schneebruch vermehrt die klag,
Des Grauſamkeit und Schreken,
Weit gröſſer als des erſten war,
Brach an dem Nollen, *wolt vaſt gar*
Calanda *Mäder deken,*
Reiſt hin durch die Calanda *grub*
Oder Thole *und ſich erhub*
Theils durch die Brunnenhöle.
Hinab gantz durch den mittleren Berg,
Vbers Landwaſſer, uberzwerch,

Gg *Bhuet*

Bhuet Gott einiede Seele,
Durch Falaraſca *und nach mehr*
Durch Galardonda, *das auch ſehr*
Parfagny *muſt erſchallen*
Durch ſo erſchroklich es Getöſs,
Da grauſam folgten Stöſs auf Stöſs,
Stein Blök auf Blöke fallen
Beim Sagenbach diſer Gwalt that
All Wohnhaüſer zerſchmettert hat
Ander fünff nach verdurben.
Was Jammers war nur da zuſehen?
Wer möcht dis Hertzenleid anſehen?
Vil Leuth erbärmlich ſturben:
Fünffzig ſiben todter man fand,
Nach und nach als man grub zur hand,
Etliche die nach lebten
Lebten nicht lang, etlich verletzt,
Ach der Straff von Gott aufgeſetzt,
Uber die ſo da ſchwebten
Lieb Mann, Weib, Kinder und Geſind
Im Schneebruch tods verblichen ſind,
Wer möcht alles erzellen?
Vil Hausrath, Nahrung, Gut und Gelt,
Vil Futer nach darbey gezelt
Am Ausrechnen möchts fehlen.
Hundert Fünf und funfzig Gebaüw
Hauſer und Ställ alt oder neüw
Daſelbſt zu grund ſind gangen.

Sub finem præcedentis ſeculi accidit *Tſchierſchæ* in Jurisdictione *Vallis Curienſis*, ut à Labinâ oppreſſi fuerint viri duo, qui Lac in Vaſis dorſo appenſis geſtabant; alteri horum per accidens aperiebatur operculum, ut lacte perfuſum fuerit dorſum ac capitis anteriora, ſed hoc ipſo in tantum ſoluta Nix, ut reſpirare potuerit in media Nive, vitamque ſalvare, quam alter amiſerat.

1693. A. 1693. d. 16. Mart. Labinis involuti periere in *valle Is-*

Islenſi (*Isler tobel*) Parochiæ Novenenſis, fratres bini, *Martinus* & *Johannes Lexii*, quorum ille die 31. Maji, hic verò demum d. 27. Junii eruti, atque Terræ redditi fuere.

A. 1699. contigit haud procul *Solio*, ut vere fuerit 1699. Labina à Capite ad pedes Montis devoluta, cujus aura (fuit enim Labina ventoſa, *Lavina di freddo*) ſub forma Nebulæ nivoſæ, hypocauſtum, triaque ſtabula, procul ſatis ab ipſa Labina remota, funditus evertit. Hujus Labinæ prodromum nebulam cum videret ruſticus quidam, ſe in fugam dedit, occultavitque ſe ſub muro, nec tamen vixit ab aura intactus, hæc quippe illius caligas & interulam nive replevit, glacieque totum corpus, veſtibus licet probè tectum, veluti cruſtâ obduxit, idque ſecunda vice, inde tamen licet panico terrore percuſſus evaſit, domumque rediit quaſi ſurdaſter, in altera enim aure, quæ auræ illi magis fuit expoſita, δυσηκοΐα laborat. Poſt aliquot dies conquerebatur de anxietatibus & rigoribus febrilibus, aſſumtò vero decocto vulnerario, grumos Sanguinis coagulati per alvum ſemel atque iterum dejecit, indeque convaluit. Hæc ex Litteris D. D. *Antonii Picenini* d. 18. Aug. 1700.

A. C. 1501. ad *Pœninum* Montem, quem vulgo montem 1501. *Sancti Bernhardi majorem* appellant, ad centum milites Helvetiorum devoluta ingens Nivium moles eos perdidit, inter quos ex ſolo *Sancti Galli* oppido VII. Cives erant. Wag. p. 34. ex Stumpfii Chron. Helv. L. XI. cap. 24.

Nunc ordo rerum in hoc Sancti Gotthardi Cacumine peragendarum me ducit ad κρυσαλλογραφίαν, rem ut curioſiſſimam, Κρυσαλλογραφία. ita difficillimam, quæ ingenia ſubtiliſſimorum etiam Philoſophorum ita torſit, ut ad hanc uſque diem ſeſe ex variarum rerum circa hanc materiam occurrentium labyrinthis extricare non potuerint. Ad hanc autem tractationem invitat non vanus quidam aut ambitioſulus pruritus digrediendi, quandoquidem negotio tantis difficultatibus involuto, commodè,

neceſſitate nullà urgente, ſuperſedere poſſem; ſed trahit ferè Patria, quam circumcirca conſpicio, Lapidibus his vel gemmis nativa, quæ à *Geſchina* ferè incipit, *Airolo* & Locis aliis in vicina *Valleſia* & *Rhætia* eadem circiter altitudine locatis, & dehinc ad Summa Alpium juga ſeſe porrigit, ita ut certum hoc ſit, quo altiore loco eruantur Cryſtalli, eò quoque majores illas eſſe, puriores & pretioſiores, certum item hoc, nullibi in toto Terrarum Orbe, quantum quidem hactenus Hiſtoriæ naturalis cultoribus conſtat, reperiri hujus generis Lapides, qui vel numero, vel pulchritudine, vel magnitudine, vel varietate conferri poſſint cum Helveticis, in Summis non tantùm Patriæ jugis, ſed totius Europæ, *Lepontiis*, *Rhæticis* & *Valleſiis* reperiundis. De qua Loci circumſtantia commodior dabitur infrà agendi occaſio, ubi enucleanda venit mira Lapidis Geneſis.

Immorabor autem, ne omnia undecunque collecta de Cryſtallis Miſcellanea corradere videar, imò vero diutius, quàm par eſt, in hac frigida Europæ Specula commorari, ſicque *Perilluſtri Corpori* tædio eſſe, ſoli variarum Specierum enumerationi.

Cryſtallorum Species.

Quemadmodum aliis oculis res naturales aſpicit Mercuriale hominum genus, quod divitias avido quæſtu congerit, quàm qui Naturæ mores penitioreſque receſſus ſubeunt, ita accidit idem Cryſtallis. Hæ quatenus in commercium veniunt, triplicem admittunt Diviſionem.

In prima Claſſe locantur *Mediolanenſes*, *Die Meiländer*, limpidæ, puræ, nulla fiſſurâ, nebulâ, aliove vitio infectæ, & alicujus magnitudinis, ut inde poſſint arte quædam parari vaſa, aliave pretioſa. Mediolanenſium autem cognomine veniunt propterea dubio procul, quoniam plerumque ſolent ex Alpina *Helvetia Mediolanum* vehi, ibique Artificum manibus ſubjici.

Secundi Ordinis vocantur *Halbe Wahr*, q. d. merces dimidii ſeu mediocris pretii: viliores, obſcuriores, vel ſemipel-

pellucidæ, fiſſurâ quadam aut nebulis prægnantes, attamen ad uſus quoſdam nobiliores promtæ.

Tertium genus vocatur *Rottam*, ſuntque viliſſimæ, & apud artifices, mercatoreſque parùm æſtimatæ.

Huic ultimo Ordini immiſtos videas, vel ſaltem à primo excluſos Lapides, qui nobis Naturæ Indagatoribus omnium ſunt deſideratiſſimi, putà qui Muſco, pilis nigris, vel flavis, vel etiam guttis aqueis ſunt prægnantes.

Mercatoribus pariter ac nobis primùm commemorandæ veniunt *Cryſtalli, quæ ſine vitio ſunt, pura eſſe malunt, acenteta appellantes, nec ſpumei coloris lympidæ aquæ. Plin. Hiſt. Nat.* Lib. XXXVII. C. 2. ubi *nec Spumæ colore, ſed limpidæ aquæ* legit *Salmaſius in Solin.* p. 1074. Κρύσαλλος φαέθων διαυγής. *Cryſtallus ſplendens ac pellucidus. Orph. de Lapid.* p. m. 199. Hujus generis *Cryſtallum, quæ glaciem refert montanam* dicit *Worm. Muſ.* p. 100. & B. de Boot. Lib. II. p. 221. Apud Calc. Muſ. p. 197. extat hæc Species ſub titulo *Cryſtalli nullâ maculoſâ Nube aut atrâ, ſcabieve infectæ, ſed puriſſimæ, & aquæ limpidæ inſtar pellucidæ*, & in *Sibbaldi Prodromo Hiſt. Nat. Scot.* P. II. L. IV. p. 50. *Cryſtallum montanum & maximè pellucidum.* Nec dubito præeunte *Olao Rudbekio Atlanticæ* P. I. p. 660. ſub hunc cenſum venire *Adamantes pellucidos Riphæorum montium* apud *Dionyſ.* v. 314. Noſtrates mercatores alpini vocant id, quod pellucidum in his Cryſtallis eſt, *Aquam, Das Waſſer*, de ἀπύροις enuntiantes, *Sie haben ein ſchönes Helles weiſſes Waſſer*, candidâ ſplendenti gaudere Aquâ; de iis verò, quæ ad citrinum colorem vergunt, & tamen limpidæ ſunt, *Sie haben ein gelbes Waſſer.* De his facilè præſumi poteſt, materiâ conſtare purâ & homogeneâ, qualis qualis illa demùm fuerit, inſuper tamen ſilentio præteriri non debet, in Commercio à purarum Claſſe non excludi proximè ſequentes, modò intùs eum habeant pelluciditatis Characterem, quem artifices poſcunt.

Cruſtata. Dantur nimirum *Cryſtalli* cute vel cruſtâ coloratâ obductæ, quæ meliores ſunt aliis, & tractatu faciliores, *gekämlete Cryſtallen* vocant periti, q. d. induſio coopertas, *Viridis.* eoque e. g. *viridi*, quando nimirum planis vel Pyramidalibus, vel columnaribus viridis quædam & aliquando vera Chryſocollæ mica eſt adſperſa, quales reperiri dicunt *Criſtallo diverdeggiante colore* in *Septal.* Muſ. pag. 50. Hîc obſervo, quod *mica* hæc *Chryſocollacea* nunc extus ſit rariter adſperſa, Lapide ipſo exiſtente diaphano, quod jucundum tunc ſpectaculum oculis ſiſtit; nunc denſè adeo Cryſtallo obducta, ut hanc obſcuro virore veluti corio tectam vel ſuperficietenus in grumos concretam diceres; nunc ſeſe inſinuet intra ipſam Lapidis ſubſtantiam, quæ inde opacam induit & fœdam faciem, ſi ipſa Chryſocolla craſſior ſit & impura, vel Lapis imperfectæ maturitatis ipſe opacus; nunc in diaphaneitate media repræſentet ceſpites veluti muſcoſos; nunc ipſa Gramina ſiſtat in longa folia protenſa. Hinc enim derivo miras, quæ Crucem multis figunt, in mediis Cryſtallis Graminum & Herbarum figuras infra explicatius ſiſtendas, menti meæ repræſentans viridem illam materiam ſub ſpecie liquoris per medium fluidum Cryſtallinum veluti colatam durante motu in longam protenſam, & unà cum Cryſtallo ipſo concretam.

Flava. Sæpe materia hæc extus adſperſa & ſuperficiem Cryſtalli tingens eſt *flava* vel *crocea*, reperiunda in ejuſdem coloris Terra. Huc pertinet *Cryſtallus impura purpurea, crocea, & terreſtri quadam materia maculata, ut impurum Sal Cracovianum quodammodo referat. Worm. Muſ.* p. 101. nec non *Cryſtallini fluores, flavum qui ſpirant colorem, Pyriti Lapidi pulcherrimo flavum colorem eructanti adnati* in *Calceol. Muſ.* p. 201. Nec abludere puto *Cryſtallum, quæ infeſtata ferrugine*, item *rufam aliquibus rubiginem Plin. Hiſt. Nat.* L. XXXVII. c. 2.

Pyrite adſperſa. Aliquando contingit, ut Cryſtallorum & præſertim Fluorum ſuperficies non maculetur duntaxat terreis particulis

lis coloratis, ſed vero pyrite maſſuliſve metallicis. Ita extat apud Velſchium Hecatoſt. I. p. 35. *Cryſtallus guttis aureis, ſeu veriùs ſabulo aurifero undique conſperſa*, & l. c. *Cryſtallus in quo Maſſulæ Marcaſitæ aureæ eminent angulares.*

Accidere poſſunt hæc Vitia Cryſtallis cæterà pellucidis, & nullo alieno colore intùs infectis, quoniam in talibus caſibus Cryſtalli jam fuerunt conſolidatæ, ut materia nova poſt coagulationem jam factam extrinſecus fuerit mediante glutine quodam viſcido adaptata, vel materia ipſa appoſita craſſa nimis fuit, quàm ut ſeſe in poros ipſius Lapidis inſinuare potuerit.

Enimverò ſi Materia Tingens ejus eſt ſubtilitatis, ut poros materiæ fluidæ Cryſtallinæ ſingulos pervadere poſſit, Cryſtalli prodeunt non in externa duntaxat ſuperficie, ſed per totam maſſam, vel partem ejus ſaltem, colore tinctæ.

Quòd ſi à materia tingente abſorbeantur radii, ut nulli *Nigra.* vel pauci ad oculos redeant, *nigra* oritur *Cryſtallus quàm atramentum eſt.* Velſch. Hecatoſt. l. c. cujus ſynonima ſunt *Cryſtallo neriſſimo.* Settal. Muſ. p. 49. *Fluores ſubnigri. Worm. Muſ.* pag. 101. *Iris vulgaris*, *Adamas Briſtolienſium coloris Anthracini. Luid. Litoph.* N. 16. 17. & forſan *Cryſtallus opaca nigricans* in *Bocconi Muſeo di Piante.* p. 159.

In inferiori paulò à nigro Colore gradu eſt *Cryſtallus co- Fuſca. lore infumato & ſubfuſco in rufum tendens Geſn. Fig. Lapid.* p. 19. quæ eadem eſt cum *Cryſtallo obſcuriore aut nigriore aqua perſpicuo à nonnullis* Iris *appellato* ap. *B. de Boot.* Lib. II. p. 221. *Cryſtalli Specie nigriore iris dicta Wagn. Helv. Cur.* p. 311. *Braune Cryſtall. Stumpf. Chron. Helv.* Lib. IX. c. 13. *Fluoribus* item *purpureo colore dilutis* ap. *Worm. Muſ.* p.101. *Cryſtalli fuſci Coloris & rufeſcentis Sibbald* loco citando, imo *Alabandico*, ubi confirmo *Sibbaldi* conjecturam in *Prodr. Hiſt. Nat. Scot.* P. II. L. IV. p. 50. eundem eſſe cum Cryſtallo nigro *Lapidem Ala-*

labandicum Aldrovandi, cui Color ex ruffo nigricat, quive *perſpicuus eſt ad inſtar ignis.* Iiſdem ferme terminis Alabandicum definit *Barbarus* L. v. c. CMLXXXIIX. coroll *Color Alabandico ſubnigricat ex ruffo, perſpicuus eſt, ut ignis, & quibusdam quaſi rimulis, veniſque dehiſcit, capillos albos attritos inficit.* Poſtrema autem hæc non ad eſſentiam *Alabandici* conferre puto. An verò huc conferri debeat *Alabandicus Plinii Hiſt. Nat.* Lib. XXXVI. c. 8. *Niger ille Terræ ſuæ nomine, quanquam & Mileti naſcens ad purpuram tamen magis aſpectu declinante, qui liquatur igni ac funditur ad uſum vitri*, adhuc ambigo, removens longiùs adhuc à noſtro Cryſtallo *Alabandicum* illum, cujus inter *Carbunculorum* genera meminit *Plin.* L. XXXVII. c. 7. de quo ſcribit *cæteris nigriorem eſſe, ſcabrumque.* Hunc enim inter gemmas ponunt poſt Gemmarios Scriptores varii *Dalech.* ad *Plin.* l. c. *Cæſalpin.* de Met. Lib. II. cap. 29. p. 114. *B. de Boot.* L. II. Cap. 27. p. 159. *Imperat. Hiſt. Nat.* p. 538.

Morion & Pramnion. Ad *nigram* porrò *fuſcamve* Cryſtallum inſuper pertinere autumo *Morion* & *Pramnion.* De his ita *Plinius* L. XXXVII. C. 10. *Morion Indica, quæ nigerrimo colore translucet, vocatur Pramnion: in qua miſcetur & Carbunculi Colos, Alexandrinum; ubi Sardæ, Cyprium. Naſcitur & in Tyro & in Galatia, Xenocrates & ſub Alpibus naſci tradit.* Adſunt, videtis, præter circumſtantiam Coloris, ipſa loca natalia ad *Alpes* ex *Aſia* protenſa. In noſtris ſanè Alpibus frequentes admodùm & nihili ferè apud Cryſtallarios (ſit venia verbo) æſtimantur, utut magnæ & pellucidæ, ut pronuper in Valleſia quidam artificium excogitare voluerit per diutinam in fimo macerationem extrahendi Cryſtallis id genus purpuram, ut colorem omnem exuant, ſed irrito ſucceſſu. Figuram ſi addidiſſet ſexangularem, pleniùs adhuc perſuaſi eſſemus. Sed dubio nos liberat *Agricol. de Nat.* Foſſ. L. VI. c. 301. p. 81. ubi *Morion ac Pramnion* inter *Fluores, Flüſſ*, recenſet, de quibus conſtat, plerumque eſſe hexagonas, & ad Cryſtallorum genera referendas, ſed ex-

expreſſis quoque verbis id ſtatuit *Agricol.* l. c. *videtur Morion eſſe radix iſtarum gemmarum, ac ex craſſiori ſucco, qui ſubſidit, fieri. Attamen ea, quam Pramnion vocari dixi, apud nos inventa eſt habens cryſtallinam radicem, cum ipſa eſſet nigerrima, ſimiliter ejus mucro. Erat enim ei figura ut Cryſtalli ſexangula, quales etiam Volkeſteini repertæ, in quas Hyacinthus deſinit. Hæ gemmæ non aliter quàm Cryſtallus ſcalpuntur.* Viden' igitur *Morion* & *Pramnion* cryſtallinæ eſſe duritiei ac figuræ. *Agricolæ* ſubſcribit *Geſnerus*, dum ad *Fluores* quoque refert *Morion* ac *Pramnion de Fig. Lapid.* p. 28, Scrupulos, qui circa colorem gigni poſſunt, optimè ſolvit *de Laet. Gemm.* & *Lapid.* L. I. c. 20. p. 75. *Quod Plinius illam* (Gemmam) *nigerrimo colore fuiſſe dicit, id non ita accipiendum, quaſi gemma hæc nigri coloris fuerit propriè ſic dicti, ſed fuit ſaturi admodum coloris, ad eundem modum, quo Græcis ſæpè vinum dicitur nigrum, & Theophraſtus* μέλαν, *Plinius nigrum ſæpe uſurpat, ſicuti & Pramnion Gemma dicta eſt à vini colore, quod Pramnii nomine ab Homero celebratur, & Alexandrinum & Cyprium ob eandem rationem.* Aſt à *Lætio* diverto, quòd Agricolæ Sententiam rejiciat, ad *Fluores* has Gemmas referentis, deceptus forſan à *B. de Boot*, qui ad *Onychis* Species *Morion* & *Pramnion* rejecit Lib. II. c. 91. Sed de his ſatis. Ex fuſcâ, imo quandoque Atrâ, Antiquitatis caligine poſtquam emerſi, progredior ad Cryſtallos aliter & vividius coloratas, ſi priùs inſinuavero, gradualem mihi eſſe fuſcarum differentiam à tenui ac dilutiſſimo vini helvoli colore ad ultimam nigredinem.

Cryſtallus citrina Topazii fere orientalis æmula. Velſch. Hecatoſt. I. p. 55. Sequentia habet Synonyma. *Cryſtallo di color giallo al Topazzo & Ambra non inferiore. Settal. Muſ.* p 47. *Pſeudo Topazius B. de Boot.* L. II. p. 219. *Cryſtallus colore quaſi electrino. Luid. Lithoph.* n. 92. *Iris minima Briſtolienſis coloris Hyancinthini, ferri mineræ coacervatim adnaſcens.* Id. n. 20. *Iris ſubcitrina, Italis &* *Citrina.*

 Gal-

Gallis Citrina vocata. B. de Boot l. c. *Iris altera minùs candidi, quam Cryſtallus coloris, quæ luci obverſa luteo vitri colore fulget, atque ob id à Gemmariis Citrina Citrin nominatur. de Læt.* p. 58. *Agric.* L. VI. de *Nat. Foſs. Cryſtallus citrina. Cardan. Subt.* L. VII. p. 362. *Cryſtallus citri colore fulgens, Cryſtallo minus eſt candida minuſque ſplendens, magis tamen ſpiſſos ejaculatur colores. Citrium Gemmariorum. Topazium Boëmicum nonnullorum. Calcal. Muſ.* p. 200. tandem *iris Ceræ ſimilis. Cal. cætera ſimilis & prædura. Plin. Hiſt. Nat.* Lib. XXXVII. c. 9. Duæ hujus Cryſtalli dantur varietates, vel enim Tinctura, & ut plurimùm quidem Lapidi extus adhæret, vel ipſam Lapidis ſubſtantiam totam penetrat, & hoc Caſu Cryſtallum ad *Hyacinthi* claſſem propiùs admovet.

Iris. Hac occaſione, qua *Iridis citrinæ* mentio fit, non poſſum non animadvertere *Iridem primam Plinii* H N. Lib. XXXVII. c. 9. quæ *ſub tecto percuſſa Sole ſpecies & colores arquus cœleſtis in proximos parietes ejaculatur, ſubinde mutans, magnaque varietate admirationem ſui augens,* non peculiarem Cryſtalli componere ſpeciem, ſed Phænomenon exhibere pluribus Cryſtallis limpidis communem, modo æqualium ſint inter ſe angulorum. Horum enim varietati adſcribo, quòd irides aliæ *colores in proximos parietes ejaculentur,* aliæ juxta ejuſdem Plinii effatum *radios in ſe cadentes diſcutiant, aliæ ante ſe projecto nitore adjacentia illuſtrent.*

Amethyſtina. Sequitur *Cryſtallus amethyſtina. Velſch. Hecat.* I. p. 55. *Card. Subt.* L. VII. p. 362. *Fluor Amethyſtinus Luid. Lith.* n. 28. *Criſtallo di colore naturalmente viriato*, huicque proxima *Cryſtallus non admodùm pellucida, in cujus cacumine color purpureus Amethyſtum gemmam referens viſitur. Calceol. Muſ.* p. 199. Ab his non differre puto *Amethyſti quintum genus, ad viciniam Cryſtalli deſcendens, albicante purpuræ dejectu.* Plin. H.N. L. XXXVII. c. 9. legit *Salmaſ. defectu*, & *Amethyſtos* intelligit, *qui albicant ubi purpura deficit, ſeu extremis oris albicant.* in Solin. p. 399. His ſequen-

quentia addidi Synonyma, in Collectaneis meis Mineralogicis reperiunda, *Amethyſti violaceo quidem colore tincti exactè, ſed pauco, ita ut planè transparentes ſint, qui ut cœteris molliores, ita etiam viliores ſunt. B. de Boot.* L. II. c. 32. *Amethyſtus quæ ad formam Cryſtalli deſcendit, Ein geringer weiſſer Amethyſt. Kentm. Foſs.* p. 48. *Amethyſtus formam Cryſtalli exprimens, in quo ob permixtionem Succi puriſſimi aquei purpureo qui prædominatur color violaceus, à ſui natura fere alienus albicare videtur. Calc. Muſ.* 193. *Amethyſtus palleſcens, bleicher, bleichfarbiger Amethyſt. Spener. Muſ.* p. 120. *Amethyſtus cryſtallinus major, ein zimlicher Amethyſten Cryſtall.* Id. l. c. Intenſiori adhuc colore eſt *Cryſtallus colore Sapphirum referens, Pſeudo Sapphirus. B. de Boot* L. II. p. 219. *Cryſtallus cœrulea. Card. Subt.* L. VII. p. 362. *Miniera di Cryſtallo violaceo. Setal. Muſ.* p. 49. *Cryſtallus colore cœruleo diluto ex Braſilia. de Læt.* p. 58. *Cœrulea.*

Hâc, quâ colores varios Cryſtallorum intueri datur, occaſione obſervo ſimul, veras Gemmas eodem modo generari, ut Cryſtallos, eadem plerumque gaudere figurâ, eâdem tingi materiâ, nec differre ab his, niſi majori duritiei gradu, & quæ ex firmiori particularum compactione oritur, vivaciori ſplendore, ſeu *Cryſtallos* eſſe *gemmas molliores, gemmas Cryſtallos duriores*, ut nemo mirari debeat, ſi ex Gemmarum nobiliorum grege pro Cryſtallorum varietate illuſtranda ſeparem, quæ ad Cryſtallinam progeniem mihi referendæ videntur. Vidimus hactenus *Irides, Pſeudoamethyſtos, Pſeudoſapphiros:* pergemus nunc ad alios.

Ad *Rubinum* accedit *Cryſtallum rubrum. Sibbald. Prodr. Hiſt. Nat. Scot.* l. c. p. 50. *cui accenſendi Fluores rubri Carbunculis ſimiles, ſed languidiùs fulgentes. Worm. Muſ.* p. 101. ſed diſcernendi à *Cryſtallo da chimico fuocoreſò, come une fiameggiante Rubino. Settal. Muſ.* p. 57. utpote quæ ad Gemmas artificiales *Fluorum* nomine vulgò venientes ſpectare mihi videtur. In Alpibus Helveticis ſummis perrarò effoditur Cryſtallus rubri elegantis coloris, quam *rubra.*

pro *Cryſtallo rubra* curioſis venditant Cryſtallarii, ego autem ex conſideratione figuræ propius ad Parallelepipedum accedentis, potius *Androdamanti*, ſeu *Selenitæ Rhomboidalis* proſapiæ adnumero. Ex Saxonicis autem Fodinis metallicis *Fluores* habeo *hexagonas*, Cryſtallis proin accenſendos, *rubri coloris*.

Smaragdina. *Smaragdinæ* Proſapiæ eſt *Cryſtallus viridis Card. Subt.* L. VII. p 362. *Cryſtallus viridis, & ſummè perfecta Acoſtæ. Cryſtallus colore viridi ſmaragdum referens Pſeudoſmaragdus B. de Boot.* L. II. p. 219. vidi aliquando ex *Bernenſium* Alpibus *Aquilegiæ* (*Aigle*) adſitis allatam *Cryſtallum* ſeu potiùs *Androdamantem* cubicæ figuræ, qui eleganti ſuo virore *Smaragdum* pulchrè retulit.

Semiviridis. Tinctura deficiente prodit *Cryſtallus dimidia parte alba, dimidia viridis Joh Acoſtæ. Criſtallo di cui parte è ſmeraldo di perfetto colore, e parte è Criſtallo. Settal. Muſ.* p. 57. *Cryſtallus cujus pars pyramidalis colori viridi tincta ſed lentior ac pallidior evadebat, antequam baſin attingeret. Boyle de Gemmar. Orig. & Virt.* p. 13.


Beryllum referens. Peculiari loco referenda venit *Cryſtallus* (*colore viridi cæruleo*) *Beryllum referens, Pſeudo Berillus B. de Boot.* L. II. p. 219.

Fluores lutei. Agmen claudit *Fluorum* ſpecies *ex luteo purpuraſcens, figura cylindrica, longitudine quatuor digitorum, in diametro trium, in quâ ex centro in circumferentiam ſtriæ ducuntur, & fibræ paulatim dilatatæ, in ſuperficie angulis acutis terminatæ, totum Corpus hiſpidum ac ſcabrum reddentes, in ſua ſuperficie externa. Interius Saccharum candidum impurius ſubſtantia & colore fermè imitatur.* Worm. Muſ. p. 101. *Fluor racemoſus ſive botroides luteo colore infectus. Luid. Litoph.* n. 31. Ita videtis in Cryſtallorum conſortium accerſo *fluores*, ita à *fluendo* dictos, quòd in igne fortiori fluant, & metallorum fluxum promoveant. Reperiuntur hi communiter in Metalli fodinis, ubi & in tanta halituum metallicorum diverſitate variis tinguntur coloribus, atque à Cryſtallis non differunt niſi inferiori mollitiei gradu, ita ut

gem-



TAB. VI.



jt. 4.

gemmas nobiliores duriſſimas, *Cryſtallos* duras nec tamen ab igne liquabiles, & *Fluores* molliores in igne fluxiles, hexagona plerumque figurâ gaudentes, ſubordinanda invicem putem.

Pergo ad figuram, & dum in atrio me conſtitutum video, ampliſſimum præ me conſpicio campum, in quem excurrere, eumque peragrare neceſſum habeo, ſi Provinciam, quam in me ſuſcepi, κρυϛαλλογράφȣ ex debito ornare velim, imò verò non ampliſſimum duntaxat, & planum video Campum, ſed labyrintheis variis ductibus à Potentia ſumma figuratrice, unde me extricare non facile poſſem, niſi Ariadnei cujuſdam fili beneficio, quo nomine menſuram quandam, vel normam communem intelligo, juxta quam varietates determinari facilè poſſint. Pro tali autem norma accepto non *Cryſtallum Figurâ globoſâ & rotundâ, qui pro Pſeudoadamante habetur B. de Boot.* L. II. p. 219. Worm. Muſ. p. 99. Lachmund. Oryctogr. Hildesheim. p. 20. nil tamen præjudicans perfectioni figuræ globoſæ, ſed eam Geometris linquens, ſed quidem ad mentem *Stenonis Prodr. de ſolid. intra ſolid.* p. 57. *Cryſtallum compoſitam ex duabus pyramidibus hexagonis* (a b c d e a, & k f g h i k) & *Columnâ intermediâ itidem hexagonâ* (b c d e i h g f b) *æqualibus præditam angulis ſolidis extremis* (bac, cad, dac, f k g, g k h, h k i) *qui ſcilicet vertices pyramidum conſtituunt*, ſed & *Angulis* ſolidis intermediis (a b f, a c g, a d h, a e i, k b f, k g e, k h d, k i e,) *qui in pyramidum cum columna unione conſtituuntur*, æqualibus porrò *planis pyramidum* (a c b, a d c, a e d, k f g, k g h, k h i) *ſeu extremis*, & *columnæ planis* (b c g f, c d h g, d e i h) *ſeu intermediis*, cujus tandem *planum baſeos* (αϐγδεξ) eſt *ſectio perpendicularis ad omnia plana intermedia & planum axis*, (a q r k t u a) eſt ſectio compoſita ex triangulo æquilatero in pyramide & parallelogrammo, per cujus medium deſcendit *axis columnæ*.

Cryſtallorum Diviſio Ratione Figuræ.

TAB. VI. Fig. 7.

Juxta hanc normam variabunt ſpecies Cryſtallorum, ubi variat planorum, tam intermediorum,

quàm pyramidalium numerus, figura & proportio.

TAB. VI. Fig. 7. Cryſtallus hexagona utrinque pyramidata, ſeu regularis ſit, ſeu irregularis, hæc habet Synonima, Cryſtallus utrinque acuta Velſch. Hecat. I. p. 54. *Cryſtallus utrinque ex æquo mucronata. Geſn. Fig. Lap.* p. 18. b. *Cryſtallo da entrambe le parti appuntato Septal. Muſ.* p. 49. *Criſtallus figura olivari utrinque in apicem terminata. Worm. Muſ.* p. 100. *Iris vulgaris, Adamas Briſtolienſium vulgò dicta. Luid. Litoph.* p. 15. *Ingemmamenti Criſtallini appuntati in ambe le parti. Imperat. Hiſt. Nat.* p. 644. Digna ſunt quæ de harum ab aliis Cryſtallis ab una duntaxat parte pyramidatis habet *Woodward Geogr. Phyſ.* p. 147. *Dignoſcuntur*, inquit, *facile Cryſtalliformia Corpora in fiſſuris perpendicularibus reperta, ab illis, quæ in ipſis ſtratis ſunt locata. Prioris generis Cryſtalli non carent ſua radice (ita vocant Rei Gemmariæ periti abruptæ Cryſtalli veſtigium, quo mediante Lapidibus vel fiſſuræ parietibus adhæſit) quæ inveniuntur in Terreis, arenoſis, aliiſque id genus ſtratis, undique ſunt ſolutæ, & proin integræ, nullo apparente adhæſionis indicio. Quæ verò immerguntur ipſis Lapidum, Marmorum, vel alius ſolidioris materiæ ſtratis, difficulter admodum ſeparantur ab his, quoniam undique circumdantur, vel ſi ſolvantur, abruptionis veſtigia ex omni parte oſtendunt. differunt adeò ab illis, quæ in perpendicularibus Intervallis occurrunt, quòd hæ, uti jam annotavimus, ex una duntaxat parte adhæſionis indicia exhibent.*

In iis Cryſtallis, quarum Pyramis altera in ſaxo deliteſcit, plerumque eſt baſis opaca vel lactei Candoris. Hinc denominationem ſortita eſt *Cryſtallus ἀνισόεδρος baſi lactea. Velſch.* l. c. *Cryſtallus aniſogona baſi lactea.* Ejuſd. p. 55. *Cryſtallus cujus radix ſeu baſis albicat. Geſn. Fig. Lap.* p. 19.

Pergo ad varietates ipſas *Planorum* & *Angulorum*. Occurrunt autem

Cryſtallus, cujus bina tantum latera lata ſunt, quaterna

na ſtricta, quodque vero latus ſtrictum eſt è regione ſtricto, quodque latum lato. Geſn. Fig. Lap. p. 18.

Cryſtallus, cujus latera quaterna lata, bina ſtricta, quodque verò latus ſtrictum eſt è regione ſtricto, quodque latum lato. Geſn. l. c.

Cryſtallus, in cujus mucrone latus ſtrictum non eſt adverſum ſtricto, ſed latum eſt contrarium ſtricto. Geſn. l. c.

Cryſtallus, cujus plana intermedia majora ſunt. Steno. Prodr. Diſs. p. 60.

Cryſtallus, cujus plana intermedia minora ſunt. Steno. l. c.

Cryſtallus, cui magnus eſt mucro, corpus exiguum. Geſn. Fig. Lap.

Cryſtallus, cujus plana intermedia omninò deſiderantur. Steno. L. c.

Cryſtallus, cujus plana intermedia non ſunt parallela, ſed columnam mediam in Pyramidis truncatæ modum efformant. Taliſmodi Cryſtallos afferunt ex Valleſia.

Cryſtallus, cujus Axis Pyramidum non conſtituit eandem rectam cum Axi Columnæ. Steno. l. c.

Cryſtallus anomala Planis lateralibus & pyramidalibus inæqualibus valde prædita.

Cryſtallus, in cujus planis oriuntur inæqualitates Scalarum gradibus ſimiles. Steno. l. c. In his plana communiter dicta non habent partes ſuas omnes in eodem plano ſitas, ſed in planis diverſis ſupra illud extantibus. Cryſtallarii noſtri vocant hoc Cryſtallorum genus *Geſtràlte Cryſtall.*

Cryſtallus digitum craſſa, duos circiter lata & quatuor alta, monticuli inſtar è radice ſurgens cuſpidibus in lateribus eminentibus. Fig 8. TAB. VI. Fig. 8.

Cryſtallus, cujus planum communiter dictum multis in locis non planum ſed gibbum conſpicitur. Steno. l. c.

Cryſtallus, cujus mucro exiguam partem habet Cryſtalli, magnam reliquum corpus angulatum. Geſn. Fig. Lapid. p. 18.

Hu-

Hujus Conſtitutionis ſunt pleræque Cryſtalli Valleſiorum, quarum ſcil. plana columnaria non ſunt parallela, ſed verſus mucronem inclinata.

Cryſtallus compreſſior mucrone ſeſſili. Ex Rhombis mucronalibus unus ad extremum adeo latus eſt & ſeſſilis, ut eidem innixus Lapis immobilis ſubſtet. Luid. Lith. n. 6.

Maſſa di Criſtalli non gia nella figura heſſagona, come gli altri, ma piani. Septal. Muſ. p. 49. Hujus generis poſſideo unum, in cujus tamen marginibus etiam adſunt planorum lateralium & pyramidalium veſtigia. vid. Fig. 9. *Cryſtallus triangularis Jacobæi* Muſ. Regn. Dan. p. 37. *Fluor triquetrus. Luid. Litoph.* n. 22. *Miniera di Criſtalli à maſſa minerale di Piombo congiunti, e in punti triangolari terminati, nel cui centro ſcuopreſi il Piombo minerale in figura ancor eſſa triangolare. Sept. Muſ.* p. 48. *Cryſtallus trigona, è congerie plurium minutorum conſtans, & à radice latiori in Pyramidem deſinens. Diſs. de Cryſtall.* p. 5. *Cryſtalli ſeu Fluores ſelenitici, qui Altorffii Noricorum ad Molam Bretthal ſaxo cuidam adnati, & fœturâ flaveſcente obducti reperiuntur.* Ead. p. 9.

TAB. VI. *Fig.* 9.

Fluor triquetrus, inſtar fructus Periclymeni coacervatus, per mediam longitudinem foramine inſignitus. Luid. Lithoph. n. 34.

Fluor triquetrus omnium minimus, luteum Saccharum nonnihil referens. Luid. Lith. n. 36.

TAB. VI. *Fig.* 10. Maſſa cryſtalli abſque cuſpidibus, cujus ſcil. Cryſtalli juxta invicem adſurgentes ſunt hexagonæ, planis pyramidalibus tribus depreſſis, iiſque pentagonis tectæ.

Cryſtallus utrinque acuta, cujus columna ſex quidem cingitur lateribus, pyramis etiam una totidem, altera tria tantùm habet plana. Hotting. de Cryſtallis p. 5. vid. Fig. 11.

TAB. VI. *Fig.* 11.

Cryſtallus pentagona matrice poroſa. Velſch. Hec. p. 54.
Cryſtallus pentagona radice ſcabroſa. Velſch. l. c.
Cryſtallus heptagona inæqualis. Velſch. l. c.

Cryſtallus in plures quàm ſex Angulos à Natura formata; Pangonius dicta de Laet. p. 58. diſtinguenda à *Cryſtallo* Pangonius *dicta, cui artificis manus angulos* 12. *addidit. Geſn Fig. Lap.* p 18.

Cryſtallus octogona. Velſch. l. c.

Cryſtallus octaedros Id. l. c.

Cryſtallus enneagona. Velſch. l. c.

Cryſtallus decaedros. Velſch. l. c. Anomala hæc prorſus eſt.

Cryſtallus hendecaedros. Velſch. l. c.

Cryſtallus dodecagona. Velſch. l. c.

Cryſtallus πενταδεκάεδρος *Velſch.* l. c.

Cryſtallus hectacædecagona. Velſch. l. c.

Cryſtallus ἑπτακαιδεκάεδρος. *Velſch.* l. c.

Cryſtallus hexagona Pyramide triedrâ.

Cryſtallus magna & perfecta, cui adnaſcuntur plures parvæ ac imperfectæ, dimidiatæ, quibus triangula latera videntur eſſe, cum alioqui Cryſtallis ſexangula ſint. Geſn. Fig. Lap. p. 17. b. Accidit nempe ut inter Cryſtalliſandum maſſæ alicujus Cryſtalli incorporentur aliæ, una numero vel plures, quarta vel tertia vel dimidia ſua parte illi innexæ, unde incredibilis oritur planorùm, ſi omnia numerare velles, & totidem diſtinctas conſtituere ſpecies, varietas, præſertim quoniam præter parallelum ſitum una Cryſtallus alteri incorporari poteſt diverſimodo ſitu. Hinc naſci poſſunt non enumeratæ duntaxat *Velſchianæ* ſpecies ſenarium numerum tranſcendentes, ſed inſuper *Cryſtallus diſtalagmias bicornis-digona appendice irregulari diphyes Cardioides*, δίκερως ejuſdem, & innumeræ aliæ, quas inter refero *Adamantem Cornubienſem minorem, majori ita inſertum, ut ſeparatione factâ remanſerit in majore cavitas, quæ concinnè ſeſe ad minorem adaptabat. Boyle Gemm. Orig. & Virt.* p. 24.

Cryſtalli parvæ ſimul naſcentes chœradum, ſeu ſtrumarum inſtar magnitudine inæquales. Geſn. Fig. Lap. 19.

Cryſtallus ἀνδροειδὴς, *quæ virile membrum repræſentat. Velſch.* Hecat. l. c.

Cryſtallus hexagona cum Appendice veluti adnato pedunculo.

Cryſtalli majoris portio mihi eſt anomala valde, à majore corpore, dubio procul ante concretionem abrupta; & tamen undique cryſtalliſata.

Cryſtallus forte perpendiculariter ſecta, ut plani axeos ſtructura conſpici poſſit lineis parallelis ſtriata.

Cryſtalli Diviſiones ratione Contentorum.

Cryſtallothecium præ aliis commendant Lapides prægnantes, ſeu heterogonea varia in ſinu ſuo geſtantes.


Cryſtallus, in qua aculeus Erinaceus incluſus coaluit. Velſch. Hecat. l. p. 55. Hujus Synonyma ſunt *Criſtallo di peli, e macchie nere rimpieno. Septal. Muſ.* p. 46. *Criſtallo in cui ſi veggono peli neri, in cui ſi dilungano certi canaletti come di vetro ſmalto nero.* Id. p. 48. *Cryſtallus in quo Antimonium Cryſtalliſatum. Hotting. de Cryſtall.* p. 8. *Cryſtallus echinophora. Aculeos iſtos in medio lapide à communi centro undiquaque ſparſos Echinum dicimus. Luid. Litoph.* n. 15. Cum his aculeis, piliſve nigris conferri meretur Lapis, quem poſtea in deſcenſu Montis Gotthardi deſcribam, nigris id genus ſtriis interſtinctus, quandoquidem hac eadem materia conſtare poſſunt Aculei illi in Cryſtalli medio conſpicui. Pertinet huc Cryſtallus perrara, in qua Aculei acuformes conico Lapidis ſpatio includuntur, cujus Poſſeſſor eſt Mercator quidam Mediolanenſis. vid *Fig.* 12.

TAB. VII. *Fig.* 12.


Tinctura hæc nigra ſi non in filamenta ſeſe protendat, ſed in glebi figuram formet, producitur *Criſtallo, nel mezzo di cui vedeſi una macchia nera come foſſe carbone circundato di tranſparente ghiaccio. Boccone Muſeo di Fiſic.* p. 177.

Cryſtallus, in qua venæ cruentæ conſpicuæ. Velſch. Hecat. l. c.

Cryſtallus, in qua Gramen viridiſſimum. Velſch. l. c. *Criſtallo continente in ſe verdeggiantiſſima herbetta.* Septal. Muſ.



CRYSTAUX de diverſes figures.



CRYSTAL merveilleux.

Muſ. p. 46. *Criſtallo, in cui ſotilliſſima herba riſtretta ſi vede.* Id. l. c. *Criſtallo ſi naturalmente herboſo, che rappreſenta una boſchina.* Id. l c. *Criſtallo pieno di verdeggianti herbette.* Id. p. 49. *Cryſtallum in cujus latiori parte muſcoſum quiddam apparet. Sibbald. Prodr. Hiſt. Nat. Scot.* l. c.

Color ſi non adeò ſit vividus, prodit *Cryſtallus in quâ jam reſiccatum fœnum. Velſch.* l. c.

Materia hæc virideſcens, quam puto Chryſocollaceam micam, ſi non in fila ducitur, ſed in unam maſſam ſe conglobat, gignitur *Cryſtallo, nel cui centro verdeggiaſi mirabilmente non ſo qual coſa conſimile al veluto, che un vero ſmaraldo raſſembra. Septal. Muſ.* pag. 47.

Cryſtallus, in qua capillamentum rimæ ſimile, Plin. Hiſt. Nat. Lib. XXXVII. c. 2. *Cryſtallus rimam intus latentem habens, ex caſu aut ictu aliquo* (noſtri vocant *erbellt*) *& ea parte Iridem, id eſt arcum cœleſtem coloribus repræſentans. Geſn. Fig. Lap.* p. 19. Hæ forſan differre poſſunt ita, ut una rimam habeat à prima nativitate; altera ab ictu mallei, aliove caſu violento.

Cryſtallus infeſtata maculoſa nube. Plin. Hiſt. Nat. Lib. XXXVII. c. 2. *Cryſtallus, in qua nebulæ. B. de Boot.* L. II. p. 221. *Cryſtallus intus veluti nivem habens. Geſn.* l. c. *Cryſtallus maculoſa nube infecta, quæ non translucet, quòd ſuccum aqueum vel obſcurum & fuliginoſum in natalibus conceperit.* Calceol. Muſ. p. 200.

Hæc maculoſa Nubes ſi totum occupet lapidis Corpus, producit *Cryſtallum marmoream, ſive grandinis inſtar ſemiopacam.* Luid. Litoph. n. 10.

Eâdem materià in tenuia filamenta extenſâ gignitur *Criſtallo di folti peli arricchito, che non è punto inferiore alla Luna.* Septal. Muſ. p. 46.

Cryſtallus, in quo Feſtuca. B. de Boot. L. II. p. 221. *Cryſtallus triangularis, cui ſtipulæ incluſæ.* Jacob. Muſ. Reg. Dan. S. VII. p. 37. *Criſtallo come di groſſa pagliuca ripieno.* Septal. l. c. *Criſtallo repieno di paglie che ſembrano verghette*

ghette di Oro. Id. l. c. *Criſtallo nel cui ſeno paglia d'oro conſervaſi.* Id. p. 50. De his Feſtucis judico eſſe tales quoad ſpeciem tantum & apparenter, reapſe autem Tincturam illam ipſam, quæ ſupra nominatam *Cryſtallum citrinam Topazii æmulam* genuit, & ob tenacem ſuam conſiſtentiam ſeſe non quaquaverſum per totum Lapidem diffudit, ſed duntaxat in ejus poros hic vel inde ſe inſinuavit, paſſim enim in abrupto eadem Feſtucifera Cryſtallo videre licet Tincturæ ejuſdem flavæ micas Idem judicium applicatum volo Cryſtallo ſequenti. Materia etenim hæc ſi tenuius fluat, oritur *Criſtallo in cui Peli groſſi ſi chiudono, che ſembrano lucidiſſimi fili di rame.* Septal. l. c. *Criſtallo di dorati peli ripieno.* Id. p. 50.

Criſtallo con mazetti di peli coſi bene aggiuſtati, che ſembrano un mazzetto di fiori con mirabile artificio legati inſieme. Septal. l. c.

Criſtallo continente in ſe piccioliſſimi legni. Sept. Muſ. l. c. *Criſtallo entro cui vi ſono riſtretti in pezzetti Legno e Paglia.* Id. l. c.

Criſtallo nelle cui viſcere vi ſi ſcorgono granella di puriſſimo argento. Sept. l. c. *Silver included in a piece of Criſtal.* Ray. Topogr. obſ. p. 237.

Criſtallo, in cui ſi oſſervano quadrangolari canali. Septal. l. c. Hujus generis poſſideo aliquas ſpecies, quarum ſcil. canales nunc ſunt quadrangulares, nunc cylindrici magis, ſed ἄποιοι, i. e. colore omni deſtituti, atque vario licet in eodem Lapide ſitu recta Linea protenſi. vid. *Fig.* 13. TAB. VII. *Fig.* 13.

Criſtallo, nel cui ſeno vi ſi riſtringeno vermicelli. Septal. l. c. Eſt mihi lapis, cui tenuiſſimi quidem & breviſſimi, ſed invicem vario ſitu involuti & viridis coloris ſunt vermiculi, referendi ad Cryſtallum chryſocollaceâ micâ adſperſam. *Fig.* 14. TAB. VII. *Fig.* 14.

Cryſtallus, in quo guttula Aquæ, quæ gemmæ penetralia obſidebat, ſemper ſaliebat. Pignor. Epiſt. Symbol. 15. *Cryſtallus limpidiſſima, quæ uti in proprio domicilio ſuccum aqueum ipſiſmet oculis conſpicuum intus recluſum ſervat,*

&

& conquaſſatus fluctuat. Calceol. Muſ. p. 199. *Criſtallo in cui ſi veggono rinchiuſe cinque gocciole d'acqua, una delle quale ſi mouve al moverſi del pezzo.* Septal. Muſ. p. 48. *Criſtallo nel cui ſeno ondeggia una gocciola d'acqua.* Id. l. c. *Criſtallo entro di cui ſequeſtrate rauuiſanſi tre gocciole di acqua, o ſia liquore, le quali benche ſiano di nero colore, non mancano però di accreſcere luce di vaghezza al Corpo criſtallino.* Id. l.c. *Criſtallo in cui nuota piccoliſſima gocciola d'acqua, che per un Canaletto di un quarto d'onzia ſi meiove.* Id. l.c. *Pezzetti altri di Criſtallo, con gocciole d'acqua.* Id. l. c. *A Rock Cryſtall with drops of water incloſed in the Middle of them.* Ray. Topogr. obſ. p. 235.

Criſtallo inclinante al nero, dentro a cui rauuiſaſi una foglia di uliva. Septal. Muſ. p. 51.

Criſtallus, quæ infeſtatur occultâ aliquâ vomicâ Plin. Hiſt. Nat. Lib. XXXVII. C. 2.

Criſtallus infeſtata præduro fragilique centro & Sale appellato Plin. l. c. *Nitrum* vocat *Martialis.*

Et turbata levi quæſtus Cryſtallina Nitro.

Forte hæc eſt *Cryſtallus, in qua macula minutiori muſcæ perſimilis,* du Hamel de Meteor. & Foſſil. L. II. c. 7. p. 453.

Cryſtallus ſuperficie ſcabra & ſtriata; Iridis fortè genus Geſn. Fig. Lap. p. 19. *Cryſtallus infeſtata ſcabro.* Plin. Hiſt. Nat. L. XXXVII. C. 1.

Cryſtallus, in cujus planitie figuræ quædam lineares foveolæ acu quaſi exſculptæ cernuntur. Hotting. de Cryſtall. p. 7. *Fig.* 15. TAB. VII. *Fig.* 15.

Cryſtallus exiguis tuberculis, tanquam variolis plenam ſuperficiem exhibens. Steno. Prodr. Diſſ. p. 62. *Cryſtallus, cujus plana pyramidalia obſcuri & nigricantis ſunt coloris, & inſuper bullulis exiguis velut variolis conſperſa.* Muſ. Tig. TAB. VII. *Fig.* 16.

Proprii mei Cryſtallothecii incola eſt Lapis Diaphanus hexagonus, in cujus ſinu conſpicitur flaveſcentis & nigro vi-

ridantis coloris arbuſcularum ſeries, inter Dendritas rariſ-
TAB. VIII. *Fig.* 17. ſimos optimo Jure referendus. vid. *Fig.* 7. de quorum generatione peculiarem conſcripſi Epiſtolicam Diſſertationem reperiundam in *Miſcell. Nat. Curioſ. Dec.* III. An. V. & VI. p. 57.

Alpes Summæ Cryſtallorum Patria. Accidit Cryſtalliſatio paſſim quidem in variis Terræ partibus in diverſis Europæ Regionibus, in omnibus Metallorum fodinis, nullibi tamen major reperitur Cryſtallorum copia, pulchrior diverſitas, major moles, quàm in Summis Alpium Helveticarum Jugis, præcipuè vero Gotthardo, & ejus Brachiis, ut hîc Patriam Cryſtallorum de jure optimo collocem, nec proin vitio mihi vertat quiſpiam, quòd adeò diffuſè hanc materiam pertractem. Majoris adhuc moliminis res eſſet, & Libro integro materiam daret, ſi omnes vellem exponere varietates, omnes examinare Hypotheſes, omnium Phænomenorum enucleare cauſas, recenſere Loca Natalia. Helvetia autem noſtra non ignota videtur, ut Patria Cryſtallorum, ipſi Conſulto Naturæ Plinio. Ita enim is Hiſt. Nat. L. XXXVII. c. 2. *Oriens & hanc* (Cryſtallum) *mittit, ſed Indicæ nulla præfertur. Naſcitur & in Aſia viliſſima circa Alabanda & Ortoſium, finitimiſque montibus, item in Cypro; ſed laudatiſſima in Europæ Alpium Jugis.* Et poſt: *Nos liquidò affirmare poſſumus in cautibus Alpium naſci, atque adeò inviis, ut plerumque fune pendentes eam extrahant.* Videmus hinc, Alpibus primas dari, Helveticis ſubintelligi, quandoquidem hæ, & non aliæ, conſtituunt Europæ Juga. Digna ſunt, quæ eodem capite ſcribit idem Author, quibuſve Cryſtalli Deſcriptionem inchoat. *Contraria huic cauſa Cryſtallum facit gelu vehementiore concreto. Non alicubi certè reperitur, quàm ubi maximè hybernæ nives rigent: glaciemque eſſe certum eſt, unde & nomen Græci dedere.* Hîc Fontem latere puto Erroris in Hiſtoriam naturalem introducti, ſed ſine *Plinii* culpâ. Vera ſunt, quæ ſcribit, nec cenſoriâ virgulâ, quâ *Dalechampius* aliique *Plinium* verberant, digna. Verum

eſt

eſt *Cryſtallum Gelu vehementiore concreſcere*, addo ego vehementiſſimo, & vel hinc rationem arceſſo, quòd in Summis Europæarum Alpium Jugis, præſtantiſſimæ, & maximæ gignantur Cryſtalli; Officinas ingredere Chymicorum, & ibi diſce optimè peragi Cryſtalliſationes, ſi liquor ad certum terminum evaporatus frigori exponatur rigidiori. Quin imò hyeme videbis Cryſtallos accreſcere, quæ per totam æſtatem in fluido ſunt inconſpicuæ? Vis Rationem? cogita à frigore, vel Aëre potius rigente hyeme magis elaſtico, comprimi & conſtringi, ſicuti corpora ſolidiſſima, ita præſertim fluida, atque partes contentas ex fluidæ maſſæ poris conſtrictione veluti expelli, & ad fundum parieteſque trudi. Punctum difficultatis continent Verba Plinii ſequentia. *Non alicubi certè reperitur, quàm ubi maximè hybernæ nives rigent: glaciemque eſſe certum eſt.* Intelligunt hæc Authores de Cryſtallo ipſâ, eſſe glaciem, gelu nempe concretam. Ego autem in Naturaliori ſenſu accipio verba, ut jacent, & ita interpretor. Reperiri Cryſtallos maximè, *ubi hybernæ nives rigent*, & *glacies* eſt *perpetua*, Juga nempe glacialia *Glettſcher* dicta. Conſtat hinc perperàm traxiſſe Interpretes Plinii Verba, in hunc ſenſum, quo Cryſtallus ex ipſa glacie generaretur. Aliud eſt, materiam dare Lapidi, aliud locum habere communem. Vi hujus Interpretationis concedi poteſt originatio Cryſtalli à Græcis derivata, qui κρύσταλλον appellant à κρύος, frigus, vel à κρύος, κρυμνὸς, & κρυμὸς, frigus, algor, & στέλλομαι, pro συστέλλομαι, quòd Cryſtallus ſit ὑπὸ κρύους συστελλόμενον ὕδωρ, aqua frigore concreta, *ein Waſſer das in der kälte beſtanden*, vel Heſychio, τὸ πεπηγὼς ὕδωρ ὑπὸ κρύους. Verè enim ut ex antedictis patet, in frigido Alpino, vel ſubterraneo Aëre faciliùs peraguntur Cryſtalliſationes. Tolerari proin poſſunt Diodorus Lib. II. qui dicit τοὺς κρυστάλλους λίθους ἔχειν τὴν σύστασιν ἐξ ὕδατος καθαροῦ παγέντος: *Salmaſius in Solinum* p. 144. cui *Humor perſpicuus frigore concretus cryſtallum generat*. *Croneburg. de Comp. Medica.* Lib. IX. p. 134. cui Cryſtallus fit ex *Succo puriſſimo frigore intra Terram denſato*. Non ve-

verò *Seneca Lib.* III. *Quæſt. Nat.* c. 25. qui Cryſtallum habet pro *nive glacie durata per annos.* Nec S. *Auguſtinus*, Cui Cryſtallus gignitur à *Nive per multos annos non reſoluta*, *& ita congelaſcente*, *in Enarrat. Pſal.* 147. Nec *Statius*, qui vult,

Raraque longævis nivibus Cryſtalla gelari.

Nec alii, qui expreſſis Verbis Cryſtallum volunt nihil aliud eſſe quàm *glaciem vetuſtate induratam.*

Figura cryſtallis an eadem quæ montibus? De *Figurâ* Cryſtalli animadvertunt Cryſtallarii, eandem in circa Lapidibus his eſſe, quæ montibus ipſis in Cacumen faſtigiatum. Huic traditioni neſcio quæ adhibenda ſit fides, donec certiora rei videam documenta; Silentio tamen, quod à Foſſoribus peritis inaudivi præterire nolui.

Cryſtalli varia contenta. Cryſtallos dari, qui in ſe contineant heterogenea varia, feſtucas, paleas, herbas, folia, aquam, aërem, antimonii ſtrias &c. obſervationes tradunt, manifeſtiſſimo certè indicio, gemmas omnes, etiam duriſſimas (quum de Adamante ipſo idem teſtentur hiſtoriæ) initio fuiſſe fluidas, modus autem, quo includi queant id genus heterogenea, non ita proclivis. Urget hinc *Steno Prodr. Diſſ.* cit. p. 58. non poſſe dici in fluido aqueo concreviſſe Cryſtallum, cùm. 1. *certum ſit unà cum aëre ibi contineri.* 2. *dari multas Cryſtallos ſolum aërem includentes.* 3. *Si in fluido aqueo concreviſſet Cryſtallus, omnia ſpatia undique clauſa plena eſſent aquâ, quandoquidem eo modo detentam aquam nullo ſeculorum numero evaneſcere conſtans ſit obſervatio.* Aſt quod attinet 1. hoc non tam pro Stenone quàm pro nobis militat, quum omnibus modernæ experimentalis præſertim Philoſophiæ Sectatoribus indubium ſit, omni aquæ intermiſceri aërem, qui adeò ſimul cum aqua Cavitati Cryſtalli facile potuit imo debuit includi. 2. Specioſius quidem, non tamen invictum, cum durante conſtrictione cryſtallinæ materiæ ab ambiente fluido aqueo, aqua correpta & carcerata facile potuit particulis ſuis levibus oblongis ac flexilibus per rimas Cryſtalli nondum conſolidati elabi, aëre interim ob figuræ ſuæ ramoſæ ad effluxum ineptiori intus



LUGD. BAT. excudit PETRUS VAN DER Aa

tus manente. 3. Itidem non ſtringit, quoniam non ſupponitur ſpatium, ſive materia Cryſtallos ambiens, ita arctè clauſum, ut aqua vel fluida vel in Vapores reſoluta tranſire nequeat, & ſæpiſſimè figuræ in id genus lapidibus Cryſtallum continentibus oculis ipſis obſervantur; imò his licet oculis nudis non conſpicuis, aqua tamen reſidua præſertim à Calore ſubterraneo volatiliſata exhalare poteſt, uti id in ſpecie oſtendetur in Diſſ. de *Aetite*. Ipſe Ill. Boyle Tract. de Gemm. orig. & virt. p. 15. ex Lapidibus cryſtallinis, in Cavitatibus lapidum reperiundis, colligit, extitiſſe ibi liquorem, in quo concurrerint nitidæ illæ particulæ, quanquam progreſſu temporis reſidua & incoagulabilis pars ejus forſan fuerit imbibita per materiam ambientem, niſi per eandem evolavit virtute peculiaris cujuſdam congruitatis cum poris Lapidis. Quod non debet videri impoſſibile, quandoquidem experientia nos docuit, ſolidos quoſdam Lapides, & ipſas Gemmas poſſe (quanquam lentè) penetrari ab aquâ, vel aquam poſſe texturam illarum alterare. Non interim hiſce meis ratiociniis improbaverim aliam Cavitatum, aquam vel aërem continentium, Geneſin à Stenone p. 63. memoratam, quod ſcil. in illis planis, ubi quædam loca ſine appoſitâ novâ materiâ Cryſtallinâ relicta fuerint, accedens nova materia Cryſtallina & ſuper eadem loca extenſa, cavitates ibi formet, interdum Lamellas plures producat, nonnunquam externi fluidi partem includat, quod modò purus aër eſt, modò cum aëre aqua. Cui opinioni tantò lubentiùs ſubſcribimus, quia nec noſtræ, nec Stenonianæ hypotheſi eſt adverſa, & aliis heterogeneis incluſis, ut herbis, paleis &c. æque applicari poteſt: Antimonii Cryſtalliſati Fila & Strias, corpori Cryſtallino incluſas, quod attinet, ſtatuendum eſt, quod nominatæ Antimonii Cryſtalli fundo cavitatis jam adnatæ, & acuum inſtar rigentes Cryſtallos ibi delapſas, & adhuc ex parte fluidas perfoderint, ſicuti hoc inſpectiones talium cryſtallorum, & particulæ antimonii in medio Cryſtalli quaſi diffractæ à poſteriori confirmant: vel potiùs dicendum eſt, delapſum fuiſſe ex ſtrato cavitatis alicujus ſuperiore guttam unam alteramve Tincturæ nigræ, vel flavæ,

Kk vel

vel viridis, in ſubjectam Cryſtallum nondum planè coagulatam, quæ Cryſtallino fluido gravior ſeſe majori ſui parte demiſerit ad fundum, fili tamen elongati ſpecie ob ipſam Cryſtallini fluoris reſiſtentiam, & ſic unà cum ipſa Cryſtallo induratam manſiſſe. Confirmat hoc à poſteriori Examen materiæ viridis contentæ, quæ Graminis Muſcive folia repræſentat, revera autem aliud nihil eſt, quam mica ſubtilis Chryſocollacea, quæ aliquando non in viſcera Cryſtalli ſe inſinuat, ſed extra duntaxat applicat. Examen item ſpiculorum nigrorum, quorum materia concidit cum Striis illis in Saxo Airolenſi reperiundis nigris, delineatis *Fig.* 18. Examen tandem Materiæ flavæ, quam Terram ſubtilem hujus coloris eſſe ocularis inſpectio probat.

TAB. VII. *Fig.* 18.

Locus Geneſeos.

Inveniuntur Cryſtalli in Saxorum, Conchitarum, Cornuum Ammonis cavitatibus, in Terra item & Collibus arenoſis: ita ut inde ſtatim enaſcatur Dubium de Loco, ubi gignantur vel formentur Cryſtalli: manum autem ex hiſce difficultatibus nos extricandi porrigere mihi videtur Sororia Artis, & Naturæ cognatio, id eſt Cryſtalliſationem naturalem illuſtrari, imò explicari per Cryſtalliſationem Chymicam, quum ex paritate effectus jure inferatur identitas, vel cognatio ſaltem cauſæ. In hac autem operatione notum, fieri vel produci Cryſtallos non aliter, quàm ex fluido, ſive nunc interveniat evaporatio liquoris ſufficiens, ſive conſtrictio Pororum à frigore, ſive repoſitio per aliquod tempus, ſive aliud quid. Pari nunc modo videntur Cryſtalli naturales progigni, & colligi earum materia in fluido aqueo intra cavitates ſeu Saxorum, ſeu Luti, ſeu Lapidum figuratorum contento: atque ut exactius paulò hac de re loquar, placet mihi diſtinctio *Stenoniana Prodr. Diſſ.* cit. p. 58. inter locum, ubi prima concretio Cryſtalli incipit, & inter Locum, ubi jam formata Cryſtallus creſcit: de illo an ſit inter fluidum & fluidum, an inter fluidum & ſolidum, an verò in ipſo fluido, dubitat: audentius ego ſtatuo poſtremum, inductus non ſolum analogiâ Chryſtalliſationis artificialis, ſed & ſpeciali Cryſtallorum utrinque acuminatarum Phænomeno, quod ſanè explicari nequit, niſi in ipſo fluido formatio concipiatur, quanquam nec primum productionis modum

dum inter fluidum & fluidum improbaverim, imò cum ultimo facile conciliaverim: de loco verò, ubi jam formata Cryſtallus creſcit, recte ſtatuit laudatus author, eſſe ſolidum, quâ parte Cryſtallus illi innititur, ſive ſaxum ſive alia jam producta Cryſtallus reliqua fluidum eſt, ſi impedimenta tollas, quæ ab inæqualitate Saxi, vel aliis jam productis cryſtallis, illi ſe offerre poterunt; ad objectionem autem, quam circa locum productionis in Cavitatibus Saxorum quærendum ſibi ipſi movet, ex eo, quòd integri colles terrenâ materiâ conſtent, cryſtallis refertiſſima, ad nutum meum reſpondent p. 59. *Quandoquidem, ſunt ejus verba, in vicinia eorundem Collium ſaxei montes reperiantur: apti producendis Cryſtallis; & in ipſis Collibus terrenæ materiæ inſepultæ eruantur majora ſaxa à vicinis montibus avulſa, quorſum quædam fiſſuras oſtendunt materia marmorea repletas, pari ratione, ac in ipſis montibus Saxeis Stratorum fiſſuræ replentur: eadem autem cauſa, quæ à vicinis montibus, avulſa ſtratorum fragmenta in colles devolvit, poterit itidem ex eorundem ſtratorum cavitatibus excuſſas Cryſtallos per eoſdem colles diſſeminaſſe.* Cryſtalli adauctionem quod ſpectat, appoſitè rurſus & ad mentem meam *Steno* l. c. *creſcit Cryſtallus, dum cryſtalli jam delineatæ planis externis apponitur nova materia cryſtallina, quo è parietibus Lapidis continentis in cavitatem exſudare, vel ſub vaporis ſpecie exhalare poteſt:* ut hinc rejicienda ſit opinio eorum, qui autumant, Cryſtallos vegetando creſcere & nutrimentum attrahere, quo latere matrici adhærent, ubi enim quæſo in Cryſtallis adſunt partes organicæ, vel ſuccum nutritium vehentes, vel diſtendi aptæ? ubi adſunt pori vel canaliculi, per quos nutriri, vel augeri, poſſit, plantarum, & animalium inſtar, Cryſtallus?

In cryſtallinis maſſis, ubi plura priſmata cryſtallina juxta invicem aſſurgunt, & variè ad invicem inclinantur, evenit ſæpe, ut Cryſtalli majoris vel minoris pars in cavitate alius majoris vel minoris, inſerta quaſi jaceat, argumento maniſeſtiſſimo, materiam Cryſtallorum primum eſſe fluidam, quàm conſolidetur, atque jam induruiſſe cryſtallum integram, ſive eam, quæ cavitatem in alia efformavit, conve- *Cryſtalli Cryſtallis inſerta.*

nienter propoſitioni *Stenonianæ Prodr. Diſſ. de Sol. intr. Sol.* p. 24. *Si corpus ſolidum alii corpori ſolido undique ambitur, illud ex iis primò induravit, quod in mutuo contactu ſuâ ſuperficie alterius ſuperficiei proprietates exprimit,* & inde deducto Lemmati ſecundo. *Si Cryſtallus Cryſtallo, Selenites Selenitidi, Marcaſita Marcaſitæ, quadam ſua parte includitur, jam tum induruerunt contenta illa corpora, quando corporum continentium pars etiamnum fluida erat.* Ex quo principio concludere licet, conchitam in medio maſſæ lapideæ contentum jam tum induruiſſe, quum materia Lapidis ambiens adhuc fluida erat: alterum autem ex duobus prius induruiſſe patet vel inde, quòd alioquin ambo corpora, figuratum, & non figuratum, confuſa fuiſſent: ubi tamen notandum probè, per fluiditatem non intelligi hìc debere talem materiæ conſiſtentiam, qualis eſt aquæ, vel aliorum liquorum, ſed minorem Soliditatem, qualis eſt Ceræ &c. ubi enim hexagona una Cryſtallus alteri itidem hexagonæ inſeritur, vix probabile eſt, hanc ante inſertionem prorſus fluidam, ſed quidem minori minus ſolidam, ſeu non reſiſtentem fuiſſe, dein ex hoc Phænomeno colligere licet, non ibi generari vel figurari, Cryſtallos, ubi lapidibus incidentes vel parietibus affixi viſuntur, ſed alibi, in fluido ſcil. medio, indeque ad fundum vel latera vario ſitu delabi, imò quandoque quaſi vi decuti.

Cryſtallorum latentium ſigna. De Cryſtallorum alicubi latentium Signis pauca oppidò hæc habet *Plin.* H. N. L. XXXVII. c. 2. *Peritis ſigna & indicia nota ſunt.* Multùm ſanè intereſt Cryſtalli foſſoribus, ut duriſſimas Petras non fruſtra aperiant, ſicque loco Lapidum pretioſorum inveniant nucem caſſam, attendunt autem rerum periti ad hæc inprimis Signa: 1. ad venas Quarzi albas, quas *Cryſtallbande* vulgò vocant, quarum ductum ſequendo Saxa aperiunt, uſque dum in Cavitatem ipſam deveniant Cryſtallis gravidam. 2. ad Saxa tumida ſeu gibba, *wann die Felſen überköpfig ſein.* 3. ad ſonitum, quem edunt Saxa cava, differentem à Solidis plenis. 4. obſervant Petras ipſas, quandoquidem non facilè inveniuntur hi Lapides in Saxo Calcario, ſed plerumque in duriſſimo albido, *im Geiſsberger, weiſſen harten Stein oder Gebürge.*

Quæ

Quæ per has ſummas & omnes alias Alpes vehuntur merces imponi ſolent *Equis Clitellariis* vel *Saumariis*, quos *Saumroſs* vulgò vocant. Hi aliis Barbaræ Latinitatis Scriptoribus appellantur, *Sagma*, *Sagmatis*, & *Sagma*, *Sagmæ*, *Saugma*, *Sauma*, *Salma*, *Sagina*, *Suma*, *Sumagium*. Item *Sagmarius*, *Sagmaria*, *Saumarius*, *Saumaria*, *Sumarius*, *Sumaria*, *Saginarius*, *Saginaria*, quibus poſterioribus nominibus non veniunt duntaxat ipſi Equi, Aſini vel Muli, Clitellarii, ſed ipſi eorum Cuſtodes & Actores, *ihre Treiber*, omnibus Helveticis Alpinis Gentibus *Saumer*; Circa Originem vocum diſcrepant authores, plerique deducunt à *Sagma*, & hoc à *Sagum*. Præit *Iſidorus Origin. Lib.* XX. c. 16. *Sagma*, inquit, *quæ corruptæ vulgò Sauma à Strata Sagorum vocatur; unde & Caballus Sagmarius, mula Sagmaria. Sagma enim Thecam Scuti propriè ſignificat, deinde Sellam & ephippia, & inſtratum* teſte *Rhodigino* L. XVII. c. 14. aſt apud Lexicographum Græcum σάγμα notat onus jumenti Sarcinarii ἀπὸ τοῦ σάζαι. Hinc *Spelmann. in Gloſſario* voces prædictas Latino Barbaras *Sauma*, *Soma*, *Somarius*, *Soumarius*, *Sumarius* derivat non à *Sagma* pro *Sella*, ſed à Gallico *Saume*, Italico *Soma*, Germ. *Some*, *Somme* (rectiùs *Saum*) quæ *onus* vel *Sarcinam* ſignificant, plerumque unius jumenti à Latino *Summa*, quaſi Summa ſit ejus oneris, vel rerum conſtrictarum. Frumenti onus equinum Angli *à Seame* dicunt, & noſtri Alpicolæ *ein Saum* vocant onus, cui Equus ferendo par eſt. De his Equis Saumariis eorumque Ducibus ejuſdem nominis adnoto, cautum eſſe Legibus, ut Sarcinâ oneratis cedant vacui & Equites quivis, nullo habito reſpectu ad horum Perſonas; Neceſſariæ autem ſunt hæ leges, tum propter anguſtiam viarum, quibus ſæpe unus alteri cedere nequit, ſed retroire cogitur, tum propter pericula in viis juxta præcipitia ducentibus, ubi præcipitiis potius cogitur ſe exponere Eques etiam ditiſſimus quàm Saumarius pauperrimus. Et juxta harum Legum tenorem, quas conſuetudo firmavit, ſolent decidi caſus emergentes quivis.

Equi Clitellarii, Saumroſs.

Lacus in Vertice Montis Gotthardi eſt Limpidiſſimus, qui Ticinum Fluvium profert. Hæc ſcribit *Wagn. Helv. Cur.* p. 57.

Lacus in Monte Gotthardi.

Lacus ego numeravi ſeptem intra horæ ſpatium, & delineavi in TAB. IX. ex quibus ultimi bini, vel omnes forte ſex vicini per Canales ſubterraneos Fontem conſtituunt *Ticini*, illius ſc. qui communiter habetur pro primo & vero *Ticino*. Hi ſex ſunt Anonymi; Septimus *Lago di Luzendro* vocatur, & Scaturiginem dat *Ruſæ*. Patet enim ut ex aliis Obſervationibus Hydrographicis porrò memorandis, Gotthardi Juga recondere vera Hydrophylacia, unde veluti ex divitibus promptuariis profluunt Aquæ numeroſæ in Rivos & Amnes, ſenſim ſe colligentes. Habent certè Lacus in Sancti Gotthardi monte ſiti vivas ſuas ſub Terra ſcaturigines, ſunt profundi illi, ſpeciatim, qui Capucinorum Templo ſunt adſiti, & per totum annum eadem gaudent profunditatè ferè: In ſummo enim hyemis rigore congelatur ſuperficies ad Digitorum aliquot craſſitiem, aqua ſemper ſub cortice hoc glaciali in alveos Fluminum profluente.

TAB. IX.

Dum in Gotthardo reſidemus, & quæ in altiſſimis his Alpium Helveticarum, & Europæarum, Jugis memoratu digna occurrunt, conſiderationi Phyſicæ Hiſtoricæ ſubjicimus, *Gotthardi* ipſius Mentionem ſpecialem facere è re duximus. Cognomina Montis hujus ſunt ſequentia, *Gotthardus, S. Gotthardus, S. Gotthardi Mons, Gotthardt, der Gotthard, S. Gotthard, S. Gotthards Berg. La Montagne de St. Gotthard, Godard*, Gallis. *Il monte di S. Gotardo*, Ital. *Summæ Alpes* apud *Jul. Cæſ. Comment. de Bell. Gall.* L. III. a pleriſque Scriptoribus per Montem hunc explicantur, uti & *Lepontiæ*, eæque apud *Jovium minores* dictæ ad differentiam Alpium, quæ à Lario Lacu per Clavennam ad Curiam Rhætorum ducunt, quas *Lepontias Majores* idem Hiſtoricus nominat. *Minores*, inquit, *Lepontiæ ſunt, quibus à Bellizona, quæ oppidum Billitionis, ut quibuſdam videtur, antiquitus fuit, per Ticini Amnis Vallem Torſanum primum Helvetiorum oppidum aditur, æquitate viarum ac Montium cœteris Alpibus leniores, niſi editiſſimum divi Gotthardi Jugum & profundiſſima vallis, quam cum tremulo ponte infernam vocant, uno tum vel altero in loco maximam cum ſummo timore tranſeuntibus difficultatem præberet.* Nolo hic repetere, quæ de altitudine hujus

Gotthardi Mons.

Lacus in Monte GOTTHARDI.



Vuë des Sources des deux Riviéres célebres, 1.1. La REÜSS *&*
2. Le TESIN, *dans le sommet du mont S.t* GOTTHARD.

hujus montis ſupra attigi, nec quæ de toto Gotthardiano tranſitu habent *Siml. de Alpibus* p. 101. *Tſchud. Beſchreib. Rhæt. Alpgebirg.* & *Helv. Ant.* MSC. Hoc præterire ſilentio non poſſum, montis hujus nomen derivari à Sancto quodam *Gotthardo*, cui in medio Chriſtianiſmo mons hic fuerit conſecratus, ita ſentiente *Tſchudio*, potius tamen Etymologiam arceſſi à *Gothis* per Narſetem pulſis ex Italia, quorum aliqui hac via profugi apud Lepontios habitarunt, de quo videatur *Siml.* l. c. p. 500. b. *Stumpf. Chronic.* Lib. VI. Cap. XXVI. p. 508. b. qui Hiſtoriam hanc refert ad A. 555.

Dies 8. Auguſti.

In Deſcenſu Gotthardi Montis verſus Meridiem, qui non minùs difficilis ferè eſt aſcenſu, tranſivimus aliquoties, & paſſu quidem uno vel altero, *Ticinum* Amnem, non ſemel etiam per pontem Glacialem, ſive cruſtam nivoſam & Glacialem, pontis inſtar Naturæ fornicati, Ticinum operientem, ut ſub eo Aqua fluvii cum ſtrepitu profluit. Sic interpretandus venit *Simler de Alpibus* p. 101. *Ab ea parte, quæ Italiam ſpectat, ſupra pagum* Ayrolum *in medio ferè montis aſcenſu Pons eſt, quem* Tremulum *hic vocat* (Jovius) *Is* Ticinum *jungit, atque hyeme ſæpè accidit, ut Ticino Glacie & Nivibus tecto per glaciem quaſi Pontem homines tranſeant* (nobis hoc accidit in media æſtate) *quando vel Pontem glacie tectum ignorant, vel compendia viarum ſectantur; accidit autem aliquando, ut glacie non ampliùs firma multi periclitentur, & tam homines quàm jumenta in Ticino ſubmergantur:* (non tam pereunt ſubmerſione in Aquam, quæ non adeò profunda eſt, quàm Nivem, & quia decidunt in fiſſuras foveaſque glaciales, atque hoc ipſo vel brachia pedesque rumpunt, vel totum Corpus periculoſis Caſibus exponunt) *Ubi verò ſupra Pontem aſcenderis,* pergit *Simlerus, ibi nullæ amplius Sylvæ occurrunt, ſed præruptæ rupes, & acclivia Montis latera nivibus tecta, vallis, per quam aſcenditur, anguſta admodùm eſt: atque hoc loco quando Nives molleſcere & decidere ſolent, periculoſum eſt Iter facere: ſæpè enim conglomeratæ Nives è ſummis Montibus decidunt atque tranſeuntes opprimunt: Ac levi occaſione Nives tum com-*

Pons Ticini tremulus.

commoventur, itaut altior vox & Clamor prætereuntium eas repercuſſione ſua movere dicatur. Videtur itaque hic Ticini pons Tremulus dictus, non quia ipſe tremat, ſed quòd Montem aſcendentes, ubi huc pervenerint, tremere & ſibi metuere incipiant, itaque viſo præſenti periculo, & ipſo quoque Montis præcipitis & horridi aſpectu percuſſi, tacitè & trementes, quàm citiſſimè fieri poteſt, locum hunc prætereunt. Nives etiam primùm tremere, dein labi videntur, & accumulatæ tanto impetu ruunt, ut mons tremat, & concutiatur.

Saxa Granatifera. Progreſſi ulteriùs in via Saxis ſtrata, & ad eam offendimus *Saxa*, quæ propter ſuam curioſitatem merentur huic quoque Itinerario inſeri, imò & in Rarithecio Minerali reponi. Sunt autem duplicis fere generis. Alia ſunt ſplendentia viridentia, ob micam inſperſam tincturâ rubiginoſâ aliquando infecta, quam *Granatinam* voco potius, quàm *Martialem*, quoniam his ipſis Saxis incorporantur. Granati plures dodecaedri juglandis Magnitudine, ſed rudes, opaci, in ſuperficie Lapidum paſſim extantes. Hujus Generis puto *Carbunculos* licet puriores prope Pagum *Abiaſco*, in confiniis *Vallis Bruniæ* & *Lepontinæ* quondam ex Saxis exciſos, Teſte *Gulero Rhæt.* p. 205. cujus hæc ſunt Verba. *In der Gegend da das* Palenzer *und* Liviner Thal *zu ſammen ſtoſſen, nahe bey dem Dorf* Abiaſco *hat man zun Zeiten* Galeatii Sforzæ Meiländiſchen Hertzogs, Carfunkelſtein, *ſo vorhar allein aus Indien zu uns bracht wurden, auſs dem Stein Gebirg ans Licht gebracht, die es am Glantz den Orientaliſchen bevortheten, wurden aber alſo ſchiverlich aus den Felſen herfür gehauen, das offt der Koſten die Nutzung ubertraff.*

Saxa Lineis nigris ſtriata. Alterum *Saxorum* Genus eſt viridalbicans, Strias habet plurimas Atri Coloris & ſplendentes, eaſque nunc in rectum & longum protenſas inſtar Antimonii Cryſtalliſati, nunc confractas quaſi, abruptas & ſine ordine diſpoſitas. Utrumque genus exhibet TAB. VII. *Fig.* 18. conſtant autem, quod animadverti volo, hæ Striæ eâdem, ut exiſtimo, materiâ, quam in ſe continet *Cryſtallus* ſupra deſcripta *aculeo Erinacei, pilis & maculis nigris prægnans.*

TAB. VII. *Fig.* 18.

His

His Saxis viſis deſcendimus in pagum *Ayrolum*, *Oriens*, *Arveolum*, *Ariolo*, *Orientz*, *Lepontinæ Vallis* primum ad *Gotthardi* Radicem ſitum, ubi ſubſtitit Mercurius in 22″. 4‴. unde judico inferiorem eſſe hunc pagum Capucinis in Sancti Gotthardi Jugo ſitis 1920. p. ſuperiorem autem loco am Stäg 1250. & Altorffio 1400. Aſt juxta obſervationem die 28. Junii factam inferius eſt Ayrolum Gotthardi Cacumine 1980. ſuperius autem loco am Stäg 1080. & Altorffio 1580. ped. Omnia ſalvo errore Experimenti & Calculi. *Ayrolum.* 24. 11. P.

Prope Pagum Airol *Fons* ſcaturit, cujus *Aquæ acido amaræ, & Vitriolo Nitroque imbutæ ſunt. Wagn. Helv. Cur.* MSC. *Fons acidulus.*

Eodem hoc die poſtquam ulteriùs perreximus ad Pagos *Valle* & *Maderan*, & inde trajicientes ad ſiniſtram conſcendimus Altiſſimum & præcipitem ſatis Montem *Soy*, *Soi*, in cujus Culmine *Foggio* dicto altitudinem habuimus 20‴. 21″. unde judicavimus altius id eſſe Ayrolo 1760. Altorffio 3160. inferius tamen Gotthardo 160. ped. ut ſi editiora adhuc ſupra Capucinos & Culmen Foggio Juga invicem conferas, ejuſdem prope altitudinis dicas. Hæc propterea ſcribo, ut ex parallelo Scaturiginis *Ticini* Gotthardinæ ponam, vel etiam ei præferam, aliam in his Montibus Rhætiæ finitimis reperiundam, cujus nulla ſit apud Authores mentio, quam tamen ſuo loco deſcribam, atque ſimul ob oculos ponam TAB. XI. Ex hoc Montis apice jucundus patet per totam Vallem Lepontinam proſpectus, qui nobis occaſionem ſimul dat, præferendi quædam tum de *Valle* ipſa, quæ ſola *Lepontiorum* Antiquum nomen ſervat, tum de Incolis. *Soi Mons.* 22. 5. P. *Ticini Scaturigines.* TAB. XI.

Lepontina Vallis, *Das Liviner Thal*, *Livinen*, *Levontina Valle*, *Lepontiorum* antiquum nomen ſervavit procul dubio, quoniam per illam præcipuus omni tempore patuit ex Italia in Helvetiam tranſitus. Pro Terminis habet à Siniſtra Ticini parte *Rhætiam*, quam mox adibimus, & ejus quidem *Fœdus canum* dictum, ſeu ſupremum, & *Pleniam Vallem*, *das Palenſer Thal*, quæ trium pagorum Urii, Suitenſis & Subſylvaniæ Dominio ſubeſt, à dextra *Madiam Vallem*, *das Meinthal*, quæ Præfectura XII. Pagorum Helvetiæ Juriſdictioni paret, verſùs Septentrionem editiſſima *Gotthardi* Juga, *Lepontina Vallis.*

verſus Meridiem *Ripariam Regionem, die Rivier, Riviera*, quæ Ticini Ripæ adjacet, & nominatorum modò trium Helvetiæ Pagorum Juriſdictionem agnoſcit. Pagos habet præcipuos tres in ſuprema valle *Ayrolum*, de quo ſupra, in media *Faydum, Pfait*, & in ima *Irenicum, Irnis, Yrnis, Jornicum*, atque *Pulegium zum klöſterlein*. Qui omnes quoad Eccleſiaſtica parent Epiſcopo Mediolanenſi, quoad Civilia autem Pago Uri, inde à 14. Auguſti 1466. quo à Galeazio Maria Mediolanenſium Duce extraditi fuerunt Uriis, vi Diplomatis Lucernæ inter Paciſcentes Partes erecti.

De *Lepontiis* hæc habet *Plin. Hiſt. Nat.* Lib. III. c. 20. *Lepontios & Salaſſos Tauricæ Gentis Cato arbitratur. Cœteri ferè Lepontios relictos ex Comitatu Herculis interpretatione Græci nominis credunt præuſtis intra Sinus Alpium nive membris* (alii *peruſtis in tranſitu Alpium membris*) Et paulò poſt: *Lepontiorum, qui Viberi vocantur, Fontem Rhodani eodem Alpium tractu ſcil. accolunt*. Et *Cæſar* Lib. IV. *Rhodanus oritur ex Lepontiis, qui Alpes incolunt.* Ex his patet, *Lepontios* illos eſſe populos, qui ſumma Europæ Juga ad Origines *Rhodani, Rheni, Urſæ* & *Ticini* accolunt, proinde *Lepontiorum* eſſe latè patentem Alpium, & Vallium his interjectarum Campum, Alpes Lepontias nempe eſſe *Gotthardum, Furcam, Criſpaltum Sempronium, Lucumonis Montem, Grimſulam*, & plurima alia Rhætiæ juga, præſertim ſi *majores Lepontias Jovio* dictas adjungas, quibus ſcil. à *Lario Lacu* per *Clavennam Curiam* Rhætorum itur. *Valles* vero huc pertinere *Meſaucorum* (*Maſſoxer Thal*) *Pleniam* (*Palenzer Thal, Vall Bregnia*) *Lepontinam* (*Livinen*) *Madiam* (*Meynthal, Val Maggia*) *Vegetiam*, (*Val Vegezo, Das Kamiſäger Thal*) *Oſcellanam* (*Val d'Oſcella, Eſchenthal*) *Magginiacam* (*Magginiakerthal*) & *Seſiam*, (*Seſſiterthal, Val Seſſia*) de quibus fuſiùs agunt Tſchud. Helv. Ant. MSC. *Siml. Comment. de Alp.* p. 100. *Stumpf. Chr.* Lib. IX. cap. 1. &c.

Nunc porrò in ſummo hoc Lepontiorum Monte, quem hactenus ſuperavimus, memorandi nobis veniunt bini *Lacus* Montium altis parietibus immerſi, quorum primus *Lago di Rot-*





LUGD. BAT. Excudit PETRU

TAB. XI.



RUS VAN DER Aa.

Jt. 4.



Rottam vocatur, & major, dimidium circiter milliare longus, minor & ſuperior *Lago di Tom*, qui aquas ſuas majori communicat, & hic ſuas Ticino, unde conſtituere mihi videtur unum ex primariis *Ticini* fontibus, majoremque infundere flumini huic Aquarum Copiam quam ipſi Lacus Gotthardi. Nondum autem hic Ticini altera & ultima Scaturigo; Lacui Majori Rottamenſi continuas largitur Aquas Rivus præceps & ſpumoſus, cujus ductum per *Vallem Pioram* ſecuti Sacellum S. Caroli prætergreſſi, tandem extremâ veſperâ pervenimus ad ſummum hujus Torrentis ſcaturiginem è plurimis in unum confluis rivulis compoſitam, quemadmodum videre eſt in TAB. XI. Jucundum hîc & ſimul curioſum eſt intueri, quomodo ab uno montis latere in Vallem *Piora* dictam defluat *Ticini* Ramus *Piora* dictus ab altera declivitate in Vallem *S. Mariæ Rhenus*, *medius*, ſc. de quo poſt; cujus veſtigia preſſo & citato pede proſecuti ingruente nocte appulimus à diurnis Laboribus feſſi in *Hoſpitio S. Mariæ*, cui adſtat Fanum D. Virginis Sacrum.

Lacus, Rottamenſis & Tomenſis, Ticini Fontes.

TAB. XI.

Nunc quidem adhuc verſamur apud *Lepontios*, ſed qui *Rhætis* eorumque Fœdere cano, ſeu ſuperiori, accenſentur, & ſpeciatim ſi Oreographiam ſcire deſideres in *Monte Lucumonis*, qui aliis nominibus vocatur *Lucomonius*, *Luchmannier*, *Luckmanier*, *Lukhmanier*, ſeu *S. Barnabæ Mons*, *S. Barnabas berg*, Latino Barbaris, *Locus Magnus*, & pars eſt *Adulæ*. Optimam hujus ut aliorum Montium quoque deſcriptionem habet *Tſchudius* Helv. Ant. MSC. ex quo pauca hæc, & ad rem noſtram Itinerariam attinentia depromo. Conjecturam Nominis ducit à *Lucumone* Tuſcano, qui una cum Rhæto Duce ex Tuſcia profugus per hunc Montem tranſierit. Non autem fuit hic Lucumo *Damarathi Corinthii* Filius, Vir impiger ac divitiis potens, qui Anco regnante Romam commigravit, & poſtea Lucii Tarquinii Nomen adſcivit. Teſte Livio L. I. c. 34. Patet per hunc montem Tranſitus non minùs hyeme quàm æſtate, ſpeciatim verò in *Plenia Valle*, in hoc quo nunc vivimus S. Mariæ Hoſpitium, & porrò juxta Rheni Medii ductum per *Vallem* hanc *Sanctæ Mariæ* vel *Medulinam*, *Val de Medels*, ad *Diſertinum Cœnobium*, aliaque

Lucumonis Mons.

Fœderis ſuperioris loca, vel retrò hac quâ nos venimus Via *ad Vallem Lepontinam*, ut hoc *S. M. Hoſpitium* Limitaneum veluti ſit *Vallium Pleniæ*, *Lepontinæ*, ac *Rhætiæ Canæ*. Ipſæ autem Alpes, quæ in hoc Rhætiæ & Lepontinæ Vallis Confinio ſunt, vocantur *Alpi di Val Cornera*. De hoc *Lucumonis Monte* porrò notant *Tſchud.* & *Siml. Comment. de Alp.* p. 102. b. ejus partem occiduam ad *Lepontios* pertinere (eam ſcil. per quam *Ticini* Ramus defluit) alteram ad *Rhætos*, per quam Rhenus medius decurrit: illic autem ex ſummo Jugo Lepontiorum quod *Cadelinum*, *Cadelimum* vocant, (quodve ante paucas horas tranſivimus) Fluvium *Froda* nomine ad Lucumonis Montem defluere, ac mox mutato nomine *Rhenum Medium* vocari, de quo poſteà plura.

Dies 9. Auguſti.

Bono manè accommodavimus in Hoſpitio *D. Mariæ* Ba-
22. 11. P. rometrum, & vidimus Mercurium in 20″. 6‴. judicavimus inde, profundiores nos eſſe Culmine Foggio 320. ped. Gotth. 480. altiores autem Airolo 1440. Diverſorio Am Stäg 2720. Altorffio 2840. Tiguro (ſi hodierna obſervatio ibi facta va-
26. 5. P. let) 2560. ſubſtitit enim ibi Mercurius in 23″. 8‴. niſi forte binis gradibus hodie depreſſior ſit Mercurius, quam fuit die præcedenti, propter mutationem Aëris & inſecutam ſub veſperam hodierni Diei pluviam, quo caſu ſurgeret Altitudo ſupra Tigurum ad 2720′. Diverſorio am Stäg æqualem, ſed obſtat, quod Tiguri quoque hodie ceciderint largæ Pluviæ.

Vallis Medullina. Nunc deſcendenda nobis eſt *Vallis Medullina*, *Das Thal Medels*, cujus etiam meminit *Stumpf.* L. IX. c. 3. nec ipſe tamen, nec alius Hiſtoricorum Helveticorum, rectè ut decet deſcribit, nec etiam ullus Geographorum rectè delineat. Quapropter operæ pretium duco, Hiſtorici pariter ac Geographi, partes in me ſuſcipere, atque Ordine Naturæ convenienti deſcribere hanc vallem cum ſuis partibus. Infra *Hoſpitium D. Mariæ* eſt Pagus ejuſdem nominis horæ ſpatio circiter diſſitus, quem ſequitur poſt alius horæ intervallum *S. Gallo*, & eodem fere interſtitio *S. Giovanni*, prope quem pagum Rheno ſuas aquas communicat Rivus ſatis largus Aquam vehens glacialem, quam petit ex Rupibus Glacialibus *Corneræ* Alpis.

An

An vero *Fradæ* nomine veniat hic Torrens, cujus meminit *Tſch. Helv. Ant.* in Deſcriptione *Lucumonis* Montis, quòd is ex Alpis Corneræ Apice *Cadelino* oriatur, perveſtigare non potui, quandoquidem nemo Domi fuerit, quando nos pagum tranſivimus. Paulò infra *S. Johannis* Pagum eſt *S. Giacomo*, & ſeſquimilliaris fere intervallo *S. Rocco* (ut poſt D. Virginem ordine ſalutare poſſis plures alios S. Memoriæ Viros à Pontificiis Deorum minorum Gentium numero adſcriptos) porrò horæ dimidiæ ſpatio *Platta* Pagus, & mox *Curalia* cum pagulo montano *Suliva*. Ulterius *Rheni medii* ductum ſequentibus tandem in hujus cum *Rheno anteriore* confluxu occurrit *Diſertina*, *Diſetis*, *Deſertum ubi Cella eſt*, *Diſentis*, *Diſerntis* Cœnobium Benedictorum Ordinis Dives, cum Pago cognomine ad Radicem Montis *Criſpalti*. Via, quæ per totam Vallem ducit, eſt jucunda pariter & amœna ac plana, Vallis ipſa paſcuis læta, inferiori etiam ſui parte etiam agris obſita. Non autem nos pervenimus ulterius in hac Valle, quàm *Curaliam*. Hic tranſivimus Rhenum per pontem è Lapidibus fornicatum, infra quem Rhenus ſpumans decurrit & per Pagum *Bucinengo* montoſum latus vallis conſcendendo trajecimus, tandemque ante Veſperam venimus in Pagum *Tavetſch*, *Ætuatius Vicus*, & *Ætuatium* Latinis dictum, qui antiquum *Ætuatiorum* nomen retinet. Sunt autem hi *Ætuatii*, *Antuates* ſeu *Nantuates*, ad Origines Rheni ſiti, Populi diſtinguendi probè à *Nantuatiis*, quos infra *Sedunos* & *Veragros* collocat *Cæſar* initio *Com*. III. & appellantur illi quidem *Tſchudio anteriores* ad Differentiam *Ætuatiorum* ſeu *Nantuatiorum poſteriorum*, qui ab Origine Rheni poſterioris ad Confluentia uſque anteriorum ſe protendunt memoranda. Hinc porrò profecti *S. Annam* uſque, ut ibi noctem tranſigeremus. Hic altitudo Mercurii fuit 21''. 7'''. 24. 1. p.
unde judico inferiores nos eſſe hîc S. Maria 880. p. Culmine Foggio 1200. Gotthardo 1360. altiores autem Ayrolo 560. Diverſorio am Stäg 1840. Altorffio 1960. Tiguro 1680.

Antequam hinc diſcedimus, quæ præ foribus erecta videtur *Scala Frumentalis Lepontiis*, Rhætis & Valleſiis familiaris,

Reſcane. *Fig.* A. TAB. VI. *Reſcane* vocant, Germ. *Kornleiter. Fig.* A. TAB. VI. ſub dio ſtat erecta & inſervit exiccandis Frumenti Manipulis, quos de Machina hac ſuſpendunt per hebdomadas aliquot, & ne pluvia madeſcat, ſupernè ſtramine obtegunt.

Dies 10. Auguſti.

S. Annâ profecti ſecundo *Rheno anteriore*, de cujus origine poſteà, per Pagos *S. Giacomo*, *Juf*, *Chiamut*, ad ſiniſtram relictum, qui Parochiæ *Ætuatianæ* innectuntur, ſenſim conſcendimus Montium illa Juga, quæ *Urſarios* à *Rhætis* diſcernunt.

In ultimâ *Ætuatiorum* Alpe conſedimus, ſitis ſedandæ & laſſitudinis mitigandæ ergò, atque ibi in *Senntena* quadam ſeu *Caſa Alpina*, quæ obſervaverim *Vaſorum Lactariorum* circa denominationem diſcrimina paucis & veluti Corollarii Loco ad ea, quæ in Itinerario A. 1702. de *Lacte & operibus Lactariis*, prout præparantur in Alpibus Helveticis, adnotavi, adjungam, non omiſſurus tamen nomina aliorum Rhætorum, quæ in ipſorum Caſis Alpinis addidici.

Occaſione ipſius *Caſæ Alpinæ*, quam *Senntenam* noſtrates *ein Sennten* vulgò vocant, non poſſum retinere gaudium, quod cepi ex Loco ſequenti *Pliniano*, qui extat in Magni hujus Bibliothecarii *Hiſt. Nat.* Lib. II. c. 45. *ſine fine ventos generant jam quidam ſpecus, qualis in Dalmatiæ Ora, vaſto in præceps hiatu, in quem dejecto levi pondere, quamvis tranquillo die, turbini ſimilis emicat procella. Nomen loco eſt Senta.* Determinent enim Critici, an pro Senntena, vel Senna ſcribi debeat Senta. Ego quidem non dubito, quin Plinii *Senta* ſit interpretanda per caſam alpinam, & quæ ad eam pertinent pecora, ac paſcua. *Senta.*

Monopodium illud ſeu ſedile, cui inſidens Paſtor vaccas mulget, *ein Melkſtul*, dictum, *Rhæti* paſſim vocant *Scagno*. q. d. Scamnum, Ætuatii *Sediæl*. *Termini Lactarii Lepontii.*

Mulctrum vel *Mulctrale*, Germanis quoque voce ex Latio petita *Melktren*, Rhætis *Meltre*, Ætuatiis *Zuppe*.

Vas Lactis colatorium, noſtris *Milchſienen*, Rhætis *alcol*, quaſi dicas *colam*, Ætuat. *Dertiuſch*.

Ahenus, *Das Wellkeſſe*, Rhæt. & Ætuat. *una Caldæra*.

Bra-

Brachium Ligneum circa Axem columnarem rotatile, è quo Ahenum ſuſpendunt, Germ. *Thurner*, Rhæt. *al Turn.* Æ-tuat. *Tſchegnie.*

Urnula, *Das Lupptauslin*, in qua liquorem fermentalem, *Lupp* dictum, recondunt. Æt. *Brocca di quale.*

Liquorem ipſum contentum Ætuatii vocant *Quale*, Rhæti Engadienſes *Quatſch.*

Catinus ſeu Cochlear majus explanatum, quo ſpumoſa Lactis fervidi recrementa excipiunt, *Zigerkellen* Germ. Rhætis *Spimæra*, voce deſumta à Spuma.

Baculus abiegnus decorticatus & ſpinoſus, quo maſſam caſeoſam dividunt, Germ. *Käſsbrechen*, Rhæt. & Ætuat. *Turſchæt.*

Catinus ligneus profundior, Germ. *Gon*, *Haggennapf*, Rhætis *la Cazetta*, & *Scarmæra.* Ætuat. *Gont.*

Orca, *die Mutten*, Rhæt. *Mutta*, *Guttæs*, Ætuat. *Curtær* in minori formâ *Purſchiette.*

Serum acidum *Saurſchotten*, Æt. *Scottag.*

Vas ligneum, in quo aſſervant ſerum acidum, *Tranckfaſs*, Æ-tuat. *Miſtæra.*

Annulus, vel modiolus ligneus, aut corticeus ex viminibus olim contexi ſolitus, & *Fiſcella* vocatus apud *Tibullum* Lib. II. Eleg. 3. affini valde vocabulo Rhæt. nuncupatur *Faſcera*, Germ. *Käſsjärbe.*

Saxum ponderoſum, *Der Käſsladſtein*, quo aggravatur Caſeus, Ætuat. *Knapp.*

Catinus minor, *das Suffigönelin*, è quo advenis propinant Lacticinia Senni, Rhæt. *una Scudilla.*

Dolium βȣτυροποιήσ{ dicatum, *Anken Kübel* & *Liren*, Æt. *Panaglia.*

Non opinor ingratum vobis erit, *Viri in omni Litteraturæ genere præcellentes*, ſi ſubinde *Philoſophicis* miſceam *Philologica*, ſicuti nec diſplicebunt *Geographica*, *Hiſtorica*, & diſſimilis farinæ alia. Optarem ſanè ego, ut integrum poſſiderem Rhæticarum Linguarum, quæ admodum differentis ſunt Dialecti, Lexicon, ut vel exinde, *Lepontiorum*, ac *Rhætorum* vel *Tuſcorum* antiquâ Linguâ, in his altiſſimis Europæ.

ropæ Jugis haud dubiè adhuc ſuperſtite, hariolari quid poſſem.

Linguarum Rhæticarum Dialecti.

Hâc ipſâ occaſione, quâ falcem mitto in Philologorum meſſem, non animadverti duntaxat volo, differentes eſſe Linguæ Rhæticæ Dialectos, ut uni alios intelligere nequeant, ſed hoc ſpeciale, quod alibi terrarum perrarò reperiri autumo, quòd ſcil. in anguſto ſæpe paucarum horarum ſpatio vel diſtrictu, diſtinctiſſimæ occurrant Linguæ, Germanica una, Rhætica altera, & una ſæpe ab alia circum circa ſit obſeſſa, quod non exiguo eſt unionis vicinorum Pagorum obſtaculo. In *Valle Seſſia* integra Parœcia *Presmello* dicta Germanicorum loquitur Linguam, quæ in tota reliqua valle exulat. In *Oſcelana Valle* Parochia *Bonmatt*, itidem eſt Germanicæ ditionis, reliquis Pagis profitentibus Linguam corruptè Italicam. In *Madia Valle* etiam eſt Parochia Germanica, circumdata Italicis. In *Valle Sexamnina* (*Schams*) *Spelugam* inter, & *Domeſticam Vallem*, Rhætica dominatur Lingua, aſt ad ipſam Rheni poſterioris ſcaturiginem Germanica. Ad fontem *Rhodani* & *Urſæ* à parte *Urſariæ Vallis* obtinet Germanica, in reliqua & inferiori Valleſiæ diverſæ aliæ Dialecti, appropinquantes nunc ad Italicam, nunc ad Gallicam Linguas. Exiſtimant *Tſchud.* Helv. Ant. & ex eo *Stumpf.* Lib. IX. c. 2. fuiſſe hos Germanos ex Lepontiorum antiqua Proſapia à Romanis à Sede ſuâ pulſos, utpote in Alpium incultioribus partibus quaſi ſegreges, nec quoad peregrinum Idioma inquietatos, partim ne, ſi duriùs tractarentur, Jugum Romani Imperii facili negotio ſeponerent, partim ut Vias per Alpes ſervarent, cui negotio advenæ alii in Regiones alpeſtres translocati non tam apti fuiſſent, quàm indigenæ vitæ rudi aſſueti, proin molliùs tractandi. Dum interim alii in Vallium Alpinarum cultioribus partibus relicti, non ſolùm coacti fuere agnoſcere Romani Imperii Jugum, ſed & aſſumere Linguam. Exemplo ſunt *Ætuatii* ad Originem Rheni anterioris, *Meſauci*, *Gallancenſes*, *Pleniæ vallenſes*, *Lepontii Madiæ vallenſes*, *Oſcelani*. His conjecturis doctis addi poteſt, quòd forſan Romani Linguarum in Regionibus alpinis diverſitatem remedium congruum judicaverint diviſionis ipſorum animorum, qua propter etiam alios



Sources de la REUSS *& Cache d'une partie du Canton d'*URI.
Les Cataractes principales de la REUSS *ſont marquées par le Signe ++*

alios duriùs forte tractârunt præ aliis. Majores & prudentiores hoc in caſu Politici præ Auſtriacis, qui Helvetios ex æquo omnes tyrannide oppreſſerunt tandem intolerabili, anſamque ſic nobis dederunt, ut potuerimus Divinâ aſſiſtente gratiâ redire in priſtinam Libertatem.

Pergimus ſuperatis *Ætuatiorum*, qui *Lepontiis* olim fuerunt accenſiti, Jugis, *Criſpalto* adnumerandis, devenimus in Alpes editiores Urſariorum, & in his offendimus *Lacum* per Horæ Spatium protenſum, è quo magnus *Urſæ* amnis ramus veluti è ſcaturigine profluit, in nullis Mappis Geographicis conſpicuus. Juxta hunc Lacum Campi ſunt Terrâ bituminoſâ referti, quam *Torffæ* inſtar exiccare, & ſic Lignorum defectui optimè ſuccurrere poſſent Urſarii. *Urſæ Fons.*

Hujus *Urſæ Orientalis* ductum ſecuti appulimus ſecunda vice in Pago Urſariæ Vallis primo *an der Matt*, cœlo inconſtanti, ubi Mercurium altum habuimus 21″. 7‴. ejuſdem præciſè ſitûs cum *S. Annâ*, ut hinc inferre liceat, eandem *Urſariæ* & *Ætuatiæ* vallis altitudinem reſpectivam. *24. I. P.*

Non autem hic ſubſtitimus, ſed ulterius progreſſi per paſcua lætè virentia ſemihorulæ ſpatio Hoſpitium quæſivimus in Pago *Hoſpital.*

Dies 11. Auguſti.

Parva quidem eſt Urſaria hæc, in qua nunc degimus, Vallis, & vix duo milliaria in longum protenſa, amœna tamen & lætè virentibus paſcuis dives, quæ unâ cum Alpibus eam attinentibus ſufficit trium Pagorum incolis enutriendis, qui inſuper non parum emolumenti trahunt ex tranſitu quadruplici cruciatim diſpoſito, quem in quatuor Mundi plagas concedunt, & nos in hoc Itinere propriis emenſi ſumus pedibus. *Primùm* enim ex *Urſaria Valle* deſcenſus patet *Altorffium Uriorum* oppidum primarium, nempe ad Septentrionem: unde nos ipſi huc ante aliquot dies venimus. *Secundò* ex hac eadem valle patet verſus Meridiem aſcenſus in *S. Gotthardi* Jugum, & hinc porro per *Lepontinam Vallem* in *Italiam*. Sunt hi duo tranſitus Hyeme atque Æſtate pervii, clauſi verò qui ſequuntur: *Tertius*, quem heri experti ſumus per *Criſpalti* Montis Brachium ad *Rhætiæ* Fœdus Superius in Orientem; *Tranſitus Gotthardi quadruplex in Valle Urſaria.*

Quartus denique hodie emetiendus per *Furcam* Montem in *Valleſiam* ad Occaſum. Tranſitus hos quoque celebrat *Gulerus Ræt.* p. 205. b.

Hydrographica Obſervationes. Hodiernum diem conſecrabimus *Hydrographiæ*, aram ſcaturiginibus quatuor Fluminum, ex quibus tres jam vidimus, & quartum præ nobis habebimus, in *Furca* erecturi: Læti proin & macti animo reliquum *Vallis Urſariæ* peragrabimus per Pagos *Realp* & *Zum Dorff*, qui dimidio milliari ab *Hoſpital* diſtat, nec curabimus anheloſa pro Montis Furcæ aſcenſu neceſſaria ſuſpiria, quandoquidem animos recreabimus non tantùm contemplatione Plantarum rariorum, ſed pulcherrimo Rupium Glacialium, quæ Rhodani Fontem conſtituunt, aſpectu, imò verò ſatiabimus libaturi Aquas limpidiſſimas & dulciſſimas, ex *Urſæ*, *Ticini* atque *Rhodani* ſcaturiginibus, quas ſine morâ inviſemus.

Urſa. *Urſa, Ruſa, Ruſia, Reuſſia, die Reuſs, Rüſs*, Fluvius Helvetiæ non incelebris, delineanda conſpicitur in TAB. X. XI. ubi tres primariæ notantur ſcaturigines, nec ſine Labore viſæ, nec ſine cura, & Acûs Magneticæ ſubſidio cum omnibus ſuis flexibus, & Rivis in eam fluentibus depictæ. *Prima* & ab Authoribus omnibus memorata, in Mappis quoque Geographicis obvia, ſcaturigo viſitur in Jugo *S. Gotthardi*. *Lacus* eſt montanus *Lago de Luzendro* dictus, (TAB. IX. XI.) in quem alii rivuli montani ex Montibus *Orcino* & *Orſirola* (qui adeò Urſæ prima dant Nominis ſtamina) ſe exonerant, obſcuri per totum annum Viroris, & profundus, horæ ſpatio ferè à Capucinis diſſitus, etiam ad horulæ longitudinem protenſus. Ex hoc lacu fluit Rivus, qui unà cum aliis parvi Momenti Rivulis *Ruſam* conſtituit. Pergit hæc ſerpentiformi flexu per bihorium, & quod excurrit, ad Pagum *Hoſpital*, Urſariæ Vallis medium, infra quem ei ſe jungit *alius* & *Major* Ramus, cujus extrema Stamina oriuntur in Furca Monte, & Exemplum præbent eorum fluminum, quæ ſubſtitibus oriuntur principiis, inſtar extremorum Arterioſorum, & venoſorum tubulorum, qui ſenſim in ampliores ramos & truncos coëunt. Hæc conſtituunt *den Sidelenbach*, cui paulo infra ſe jungit *Der Niderenbach*. Sequuntur ordine *der Muttenbach*, *Zwiggenwaſſeren*, *Fuchſegger*-

TAB. X. XI.

TAB. IX. XI.

ſeggerbach, Pagus *Realp*, *der Lochbergbach*, *Wittivalbach*, *Enthalbach*, *Käſerthalbach*, *Groſsthalbach*, Pagus *Zum Dorff*, *Reichinerbach*. Ita alveo ſuo incluſa per planitiem vallis pergit ad primum Pagum *an der Matt*, prope quem obviam ei venit ab Oriente *Ramus tertius* principalis, originem ſuam deducens ex *Lacu* Montano in *Valle Oberalp* ſito. Huic tertio Ramo ſe haud procul à Pago miſcent alii Rivi ex aliis Alpibus profluentes, quos quia aſſecutus non ſum abrupta delineare volui. Hactenus in ſuis primis ductibus quidem per confragoſas Petras & mæandros præcipites, Torrentis ad inſtar rapidè fluxit Ruſa, poſteà tamen per Urſariam Vallem placido murmure ſeſe provolvit, nunc autem ſub finem hujus Vallis rapiditatis ſuæ genium denuò conſentiente Soli conditione monſtrat, dum per Saxorum declivium anguſtias præcipiti Lapſu fertur, alluens primum, imò verò continuâ ſpumâ in vapores reſolutâ compluens, *Pontem Diaboli* dictum. Ab hoc Ponte porrò continua ferè Cataracta eſt ad Diverſorium uſque am Stäg, ſubinde tamen majori præcipitio ac ſpumantiori lapſu fertur hîc, quam alibi, & maximè quidem Pontem Diaboli inter ac Geſtinam & Waſenam. Viatores interim deſcendunt non ſine timore *durch die Schellinen*, via ad Radices Petrarum ductu declivi valde, & paſſim periculoſa, ubi terrorem addunt difficultati Loci ſpumantes per confragoſa Saxa Catadupæ Amnis ipſius; & perpetuum diu noctuque cauſantur, variè à Cautibus reſonans Murmur. Ad *Geſtinam* novum recipit augmentum à Torrente quodam, cui Nativitatem dant *Rupes Glaciales Geſtinenſes* Bihorio ferè hinc diſſitæ, & ab orientali novus alius ex editiſſimis defluens Jugis. Haud procul à *Waſena*, in Sylva *Waſenenſi*, *im Waſener Wald*, eſt Pons alius Ponte Diaboli altior atque aſpectu horridus magis. Ad Waſenam ipſam Urſæ novæ affunduntur Aquæ *Durch den Meyenbach*, qui ex Vicinis Bernenſibus Alpibus huc profluit. Sequuntur ad Urſæ Latera pagi *Weiler*, *Gurnellen*, *Meitſchlig*, *Im Ried*, *Am Stäg*, ubi affluit Rivus Glacialis ſalubris *Kerſtenenſis*, *De Kerſtenenbach oder Kerſtelenbach*. Sequitur Pagus *Syllenen*, *Erſtfeld*, ſeu *Jagmatt*. Quadrante horæ ab Oppido *Altorffio* influit *Schächenſis Amnis*, *die Schächen*,

chen, cujus veſtigia jam ſuprâ preſſo pede ſumus ſecuti. Tandem poſtquam inter Oppidum ipſum ac Monaſteria *Attinghauſen*, *Attighauſen* & *Seedorff* profluxit, Aquas ſuas omnes ad *Fluelam* pagum communicat *Lacui* IV. *Civitatum Sylveſtrium*, *Dem* IV. *Waldſtetten See*, è quo prope *Lucernam* effluit, Urſæ nomen denuò aſſumens, ſemihora ab Urbe Fluviolum *Emmat*, ex *Entlibuchenſibus Alpibus* ſcaturientem, auriferum recipit, porrò alluit Monaſterium *Rotthauſen*, *Emman*, *Reuſſegg*, *Müllau*, *Meriſchwand*; *Sins*, *Hermatſchweil*, *Bremgardiam* Oppidum, *Lunkhofen*, *Mellingani* Oppidum aliaque loca, tandemque ad *Vindoniſſum*, Antiquam Romanorum Coloniam, in *Arolam* tota ſe exonerat.

Ticinus. *Ticinus Claudiano in Paneg.* in 6. *Conſul. Honorii*, *pulcher* dictus, Italis vulgò *il Teſino*, nobis *Der Theſin*, *Teſin*, ex Lacubus binis ultimis, ſeu Capucinorum Hoſpitio proximè adſitis, in monte Gotthardo ex meridionali ejus parte oritur, & præcipiti ſatis, ac frequente ſub nive etiam & glacie murmurantes Cataractas ſerpentino ductu in Vallem Lepontinam defluit. De hac ſola hactenus quidem deſcripta Scaturigine Authores quid memorant. Nobis autem in TAB. XI. exprimuntur ternæ aliæ majoris, quàm *Gotthardiana*, conſiderationis, quæ plus Ticino aquarum inferunt, quàm illa. *Una* ex Lacu in altiori ipſius *Gotthardi* occidentali Jugo, unde ſcaturiens *Ticinus* in *Vallem Lepontinam* ſeſe præcipitat, & haud procul *Ariolo* Gotthardiano Ticino ſe jungit. *Lacus* ille, è quo *altera* Fluminis hujus ſcaturigo arceſſenda eſt, vocatur *il Lago doppo la Cima del Pettine*, Item *Lago ſopra la Cima dell Pettine*, & Jugum ipſum *Monte Pettine*. *Tertiam* conſtituit *il Lago della Sella*, è quo exiens Rivus per mediam defluit *Vallem Tremulam* (*Valle Tremiola*) *Tremulo Monti* (*Monte Tremolo*) adſitam, & haud procul Ariolo Ticino ſe dedit. *Quarta* & à me hoc Itinere perquiſita Scaturigo ultima atque ſuprema eſt in *Lucumonio Monte*, è Regione *Rheni Medii*, ubi ex occidentali montis latere confluunt rivuli plures montani, qui rivum unum conſtituunt per Vallem *Piora* dictam cum ſtrepitu defluentem. Hic Rivus ſeſe haud procul à Sacello *D. Caroli* exonerat in *Lacum Rottomenſem*, *La-*

TAB. XI.

go di Rottom, cui quoque ſuas Aquas communicat ſuperior *Lacus* & Minor *di Tom* dictus. Hi duo Lacus pro altera Scaturigine orientali haberi poſſunt, præcipuè autem major ad horam uſque protenſus, è quo poſteà ſeſe in Vallem Lepontinam præcipitat *Piora* fluvius infra *Maderanum* Gotthardiano Ticino immergendus. Supra Maderanum eidem Ticino influit Rivus *Garegnia* dictus, qui ex Valle *Canaria* effluit. Pergit hic Amnis dehinc Meridiem alluens in Media Valle, *Trnicum* ſeu *Irenicum*, *Trniſs*, *Irniſs*, tandemque prope *Magadinum* in *Lacum Verbanum*, *Lago Maggiore* influit.

Pergimus ad *Rhenum*, *Rhein*, *Rhyn*, fluvium Europæ celeberrimum, quem *Nicobulus* & *Nazianzenus* ἐυγενέα vocârunt. De eo ſcribunt *Cæſar*, *Ptolemæus*, *Strabo*, oriri ex Adula Monte apud Lepontios, & rectè. *Rhenus.*

Adula, Ἀδέλας, Ἀδέαλλας, Διαδέέλλας, Strab. *Geogr.* L. IV. & V. Hinc Latinè, ſed corruptè, *Adualla*, *Aduella*, *Diaduella*, aliis etiam *Adyla*, *Adya*: ab *Adula*, *Adler*, uno ex *Aſcenaſi* Principibus viginti, nomen habet. Si *Guleri* conjecturæ locus eſt *Ræt.* p. 5. Poteſt conſiderari vel latiſſimè, vel latè, vel ſtrictè. In *priori* ſignificatu comprehenduntur Alpium juga ab Allobrogibus ſive Sabaudis, continuata uſque in *Illyricum*, ſive *Carniolam Sclavoniam Gul. Ræt.* l. c. Latè ſignificat præcipuas ferè *Alpes Lepontias*, & *Rhæticas*, ut apud *Strabonem*, qui expreſſis verbis & iteratis Locis, fontes *Rheni*, & *Adduæ* in *Adula* Monte ponit, quum tamen *Abduas* in *Jugo Rhætico* triduo ad minimum, vel quatriduo à Rheni fontibus diſtet. Hinc eſt, quòd Erroris inſimulet *Strabonem Tſchudius Helv. Ant.* & *Siml. de Alp.* p. 102. 103. qui uno *Adulæ* nomine κατ᾽ ἐξοχὴν & ſtrictè complectuntur *Criſpaltum*, *Lucumonis* & *S. Bernhardini Montes*. *Adula Mons.*

Rhenum quoad originem & primos progreſſus diſtinguunt communiter in *Anteriorem*, *Medium*, & *Poſteriorem*, aliqui duos duntaxat faciunt, *Anteriorem* & *Poſteriorem*, Mediumque omittunt. Nos de *Poſteriori* nil nunc habemus, quod dicamus; non eò ſe protendit hujus Anni Iter. Merebatur Poſterioris Rheni ſcaturigo, peculiarem excurſionem Anni 1707. De *Medio Rheno* ſuprà jam præcipua adduximus. Oritur *Rheni diviſio.*

ille in *Lucumonis Monte*, qui *Adulæ* pars eſt in ſuprema *Valle S. Mariæ* è *Ticini* Regione, è pluribus utrinque in unum alveum confluis rivulis, quibus ſeſe mox miſcet Torrens alius ex altioribus Montibus ſub Cataractæ forma deciduus, quem ſerâ veſperâ non ſine periculo madidi tranſivimus, multas enim vehit Aquas: An hic ſit *Froda* vel *Frodda* amnis, cujus meminit *Tſchudius* & alii, quòd poſtea Rheni nomen adſumat, an verò Torrens alius ex Alpibus *Corneranis* Glacialibus oriundus, qui prope *St. Giovanni* Aquas ſuas in Rhenum exonerat, nunc determinare non poſſum. Hoc ab Incolis percepimus, *Rheni* nomen jam uſurpari de Supremæ Vallis *S. Mariæ* Aquis, quibus locus ille ſupra *S. Mariæ Fanum* Rheno medio ſcaturiginem præbens vocatur *Il Principio del Reno in Prato ſecco.* Diſtinctiſſimus autem eſt hic Fluvius, qui per *Vallem Medullinam* (*Medels*) defluit, ac prope *Diſertinum* Cœnobium ſeſe *anteriori* miſcet, ab hoc. Hic nempe Fontem ſuum habet in *Criſpalto* Monte ſeu *Criſpaltio*, *Criſpalt*, *Kreutzlin*, *Creutzliberg*, qui *Gotthardum* Montem & *Urſarios* attingit. Hujus Montis Juga alia Urios à Rhætis diſcriminant, per hæc quondam *Altorffio* trajeci in *Rhætiam*, ubi primùm appuli in *Ætuatum vicum Tavetſch;* Ea autem *Criſpalti* Portio, de quâ nunc, ſita eſt verſùs Auſtr-occidentem (Sudweſt.) Ipſum jugum *Cima del Baduz* (*Badus* ſcribit *Wagn. Helv.* Cap. 68.) Huic extremo Rheni ramo ſeſe jungunt poſteà alii non minimæ notæ Rivi ex Alpibus *Mugels*, *Cornera*, aliiſque. Alluit hic *Rhenus anterior*, dum verſùs Aquil-Orientem fluit, Pagos *Chiamut*, *Juf*, *S. Giacomo*, *S. Anna*, *Tavetſch*, ubi novo Flexu ad Ortum tendit ad Cœnobium *Diſerntiacum*; & ultrà Medii & Anterioris Rheni Ichnographiam ſiſtit TAB. XI. TAB. XI.

Mappam Hydrographicam Generalem, in qua unico intuitu omnes Fluminum in ſummis Alpibus, à nobis in ſummis Alpibus obſervatæ, Scaturigines videri poſſunt, ſummâ curâ abs me exaratam exhibet TAB. XI. TAB. XI.

Ad *Rhodani* Fluminis, quod ad mediam uſque *Valeſiam* proſecutus ſum, ortum deveniemus mox. Non diſtat à nobis dimidio milliari.

In ſupremo Montis Furcæ Jugo, ad Crucem in Salvatoris Memoriam erectam, quam anheli horâ meridianâ attigimus, quæve Limitem conſtituit inter *Valleſiam* & *Vrſariam Vallem*, Experimentum inſtituimus Barometricum, quo ſubſtitit Argentum vivum in 19″. 4‴. tempore ſereno. Judicavimus inde, altiores nos eſſe *Vrſaria Valle Vriorum*, & *Ætuatia Rhætorum* 2040. ped. S. Maria, ubi eſt origo Rheni Medii 1160. vel ſi prima conſideres Fluvii hujus Stamina in editioribus *Lucumonis* Jugis reperiundæ, ejuſdem erunt *Fontes Rheni*, *Ticini* in *S. Mariæ Valle*, *Vrſæ* in *Furca*, *Rhodani* altitudinis, quibus inferiores ſunt juxta hunc computum, Scaturigines Urſæ & Ticini in S. Gotthardi Monte 680. ped. qui rurſus abſcindi poſſunt, ſi conſideres, non in ſupremo Furcæ Jugo, ubi nos conſedimus, ſcaturire Urſam ab unâ & Rhodanum ab alterâ parte, ſed 600. vel 700. pedibus infrà, ut proin pateat, ad eandem prope Aëris Regionem erigi Culmina *Gotthardi*, *Furcæ*, *Lucumonis*, aliaque *Lepontiorum*, *Rhætorum* & *Valleſiorum*. Juxta eundem hunc computum elevati nos ſumus ſuprà Ayrolum 200. Diverſorio am Stäg vel Pagum Sillinen 3880. Altorffium 4000. Tigurum 3720. vel 3560, ſi hodiernam Tiguri factam obſervationem ponamus pro fundamento, ubi ſubſtitit Merc. in 23″. 9‴. *Furca.* 21. 7. *P.* 26. 7. *P.*

Ipſe Mons *Furca*, *die Furken*, *Furcula*, *Bicornus* pars eſt Summarum Alpium, *S. Gotthardi* ita dicitur à bifurcato ſeu in duos vertices diviſo Jugo, initium eſt & Caput *Valleſiæ*, limes etiam eſt inter *Valleſios* & *Vranios*, Fontem dat *Rhodano*, & viam præbet Regiam euntibus *Vriis* in *Valleſiam*: Mons ipſe non inhabitatur. Aliis quoque nominibus appellatur *Coatius*, *Juberus*, *Viberus*, à vicinis *Lepontiis Viberis* ſeu *Juberis* Gentibus Alpinis, quas communiter exponunt per *Vrſarios*, unde & *Vrſellus* cognominatur. Hodiè quoque mons huic vicinus, è quo fluvius *Elmius* oritur, quem quidam *Rhodani* Fontem faciunt, *Jubet* nominatur, & hic, ni fallor, is eſt, quem *Paulus Jovius* alicubi *Jovettum* appellat. vid. *Gul. Ræt.* 205. b. *Räbm. Geſpräch.* p. 166. 242. *Siml. Vall.* & *Comm. de Alpibus* p. 8. 9. b. 11. a. b. p. 8.

Nunc

Viberi Lepontii. Nunc *Viberis Lepontiis* valedico. De his inter Gentes Alpinas *Plin. Lib.* III. c. 20, qui *Viberi* vocantur, *Fontem Rhodani accolere.* Videntur hi nobis ſalutandi in ſuprema ſcilicet Valleſia, ſi Furcam deſcenderimus. Eſt enim Fons *Rhodani* in *Valleſiâ.* Verùm enim verò exiſtimat *Tſchudius*, & poſt eum Scriptores alii, *Lepontios Viberos* eſſe *Vſariæ Vallis* incolas, utpote qui Fonti Rhodani propiores ſunt, quàm primi Valleſii, quamvis hoc Argumentum non adeò firmo inſiſtat talo: A *Fonte Rhodani* enim æquè facilè deſcenderem ego ad ſupremum *Valleſiæ* Pagum *Vnderwaſen*, quàm ad ultimum *Vrſariæ Vallis Realp.* Demum argumentum petit *Tſchudius* ex eo, quòd *Cæſar Lib.* III. *Bell. Gall. Valleſiæ* Populos devictos ita enumeret, prouti ſe invicem Ordine, ab ima Valleſia cœpto, ſubſequuntur, *Nantuates, Veragri, Seduni*, qui ſummas Alpes accolant, nullam autem mentionem injicit *Lepontiorum Viberorum*, ſeu *Juberorum*, utpote qui ex oppoſitâ Alpium Summarum, *Furcæ*, parte ſint locati. Tertiò ſuſpicatur laudatiſſimus *Tſchudius*, nomen traxiſſe *Viberos* atque *Juberos* ab *Vrſa* Fluvio, qui apud eos oriatur originatione ſatis, ut mihi ſaltem videtur, longè petita. A *Tſchudio* diſſentit *Simlerus*, qui Lib. I. de *Valleſia* p. 8. b. *Viberos* accenſet *Valleſiis.* Hunc ſi audimus, *Viberi* adhuc hodie nobis veniunt ſalutandi. Ita autem ille l. c. *Cum plures Rhodani Fontes demonſtrarentur ac Gomeſiani hos omnes incolunt, Vrſarii nequaquam, omninò hos Viberos nominandos cenſeo aut Juberos.* & p. 9. propiùs paulo accedit *Tſchudianæ* Sententiæ. *Juberi*, inquit, *ſeu Viberi, ſupremam Valleſiæ partem tenent, quorum nomine ſi quis Vrſarios quoque comprehendi cenſeat, quando ſæpè idem populus ab utrâque parte alicujus montis habitat, non valdè repugnârim.* Nobis perinde eſt, ſive hi ſint, ſive illi. Monet nos tempus & rerum viſundarum curioſitas, ut pergamus.

Glaciales Montes Rhodani Fontes. In deſcenſu Furcæ mox ad ſiniſtram conſpicitur *moles Glacialis*, ſed reſpectu inferioris mox deſcribendæ minor, è quo Rivus perennis Aquarum profluit, his ſe alii Rivuli à parietibus Jugorum vicinorum confluentes miſcent, atque verſus occaſum fluentes, ſeſe poſt ſemihorulæ ſpatium, ſub Rupe imò Mon-

TAB. XII.



Sources du RHÔNE dans le Mont de la FOURCHE
1.2.3.4.5.6. La grande GLACIERE.
7.8. La petite GLACIERE. 9.10.11. La vraye Source.
12.13. La Fauſſe Source 14. Mont Furca.

Jt. 4.

Monte Glaciali, cum aliis Aquis Glacialibus majori copiâ defluentibus jungunt, & tunc demùm verum *Rhodani* Fontem conſtituunt. Sub his Montibus Glacialibus colligunt ſeſe liquatæ à Calore ſub & ſupra terraneo Aquæ, & binis quidem locis, quæ tamen mox in unum alveum confluunt, uti in TAB. XII. videre TAB. XII. eſt. Ita videmus, non *Furcam* ſolam ad *Rhodani* ipſius primam ſcaturiginem *bicornem* non intuitu duntaxat duplicis Rupis Glacialis, ſed præcipuè reſpectu primi ſui profluxus. Patet hinc, quàm latè & generali ſenſu de Fonte Fluvii tam celebris & *impigri*, ut eum appellat *Florus* L. III. c. 2. ſcripſerint *Plin.* H. N. L. III. c. 4. eum ex Alpibus ſe rapere per Lemanum Lacum, *Strabo*, qui Rhodanum oriri ſcribit ſuprà *Antuates* & *Veragros*, à cujus Fontibus non longè abſint *Rheni Fontes* & *Mons Adulas*, *Polybius*, qui *Rhodanum* dicit tribus *Fontibus ſurgere ſuprà Maris Adriatici intimum Sinum*, *Pomponius Mela*, cui Fluvius hic non *longè ab Iſtri*, *Rhenique Fontibus ſurgit*: Quàm item vix nobiſcum conciliandi ſunt, tum *Mela*, qui Fontes Iſtri vicinos *Rhodano* perhibet, tum *Ammianus*, qui Rhodanum vult à *Pœninis Alpibus effuſiore copiâ Fontium fluere*, tum *Appianus*, qui primo *de Bellis Civilibus* ſcribit, *Eridani & Rhodani Fontes modicis Jugis diſtare*, porrò præter *Marlianum*, *Dominicum Negrum*, & alios ſequaces, *Vadianus* Vir aliàs Rerum Helveticarum peritiſſimus, qui vult *Rhodanum apud Salaſſos in Agro Sedunenſi ad eas Alpes, quas hodie Sancti Bernardi cognominant, caput tollere*, tandemque *Paulus Jovius*, qui ex *Jovis Jugo Seſſitem amnem fluere* ſcribit, & contrariâ parte Rhodani Fontes exiſtere, quos omnes refutat *Siml. de Valleſiâ* p. 10. Preſſiùs juxtà *Silium Italicum*:

Aggeribus caput Alpinis & Rupe nivali
Proſilit in Celtas ingentemque extrahit amnem
Spumante Rhodanus proſcindens gurgite Campos.

& propiùs adhuc veritati per Autopſiam noſtram confirmatæ accedunt *Sebaſtianus Münſterus*, & *Joh. Stumpf.* qui tradunt (*Simleri* hæc verba ſunt *Valleſ.* p. 9. b.) *Rhodanum in Furcâ Monte ad occaſum oriri, non vena aliqua aut Fonte è Terra ſcaturiente, ſed ex Nivibus aut Glacie inveteratâ, quæ nun-*

quam prorſus ſolvitur, at tamen liqueſcit, & Aquam effundit, & quamvis inferiore ejuſdem Montis parte magnus Fons ſcaturiat, tamen hunc uti altiorem meritò Rhodani Fontem cenſeri. Digna ſunt, quæ paulò poſt infert accuratiſſimus *Simlerus. Contra multi ex Valleſiis limpidiſſimum Fontem in loco meridionali è Terra ſcaturientem pro Rhodani fonte demonſtrant, prope quem paſcuæ Alpes ſint, in quibus æſtate ingens utriuſque Pecoris numerus alitur, illum autem fluviolum ex perpetua glacie ortum, qui non longè à Fontibus priori miſcetur, ipſi Rhodani nomine non dignantur:* Monſtrârunt & nobis hunc Fontem Alpicolæ, quos ἀγαθῇ τύχῃ ad fontes Rhodani offendimus. Fons eſt Limpidiſſimus è Terrâ ſcaturiens, ſed intra unius perticæ quadratæ ambitum: confluunt autem mox in unum alveum, & ſtatim infra confluentiam binorum veri Rhodani cornuum Aquas ſuas pellucidas glacialibus ex lacteo colore opacis commiſcent: Mirari hic ſcribit Incolarum ſupinam majorum ſuorum firmatam præjudiciis ignorantiam. Hi *Flumini Galliarum multò fertiliſſimo*, uti *Rhodanum Plinius* nominat, *Fluvio inter tres Europæ maximo* juxta *Varronem* apud *A. Gellium* & *Solinum*, primam aſſignant ſcaturiginem adeò tenuem, ut non rivulus inde naſci poſſit. Excuſationem merentur rudes Aquarum ruſpatores, ſi hæc ultima forent in Furca Monte Stamina, ultra quæ nullus daretur ad ulteriores Aquas progreſſus, ſed Fontem videre juxta alium Fontem, Fontem minorem juxta majorem, Fontem lenem, qui vix vigeſimam Aquarum partem in Alveum defert, juxta alium qui rapido gurgite profluens, pro Matre ſuâ inexhauſtam agnoſcit Glacialium Rupium molem. Hæc ſi ulla alia mihi videtur inſignis ἀῤῥωστία τῆς διανοίας. Oculos Valleſiis aperire debeat vel unicus Aquæ Glacialis lacteus Color, quem Rhodanus in toto ſuo per Valleſiam defluxu ſervat. Fontem hunc Rhodani ſuppoſititium vid. in TAB. XII.

TAB. XII.

Montes Glaciales Gletſcheri, & nivoſi. Commoda hic ſeſe offert occaſio differendi de Rupibus vel Montibus æternæ durationis nivoſis & Glacialibus, quos *Glettſcheros* vulgò vocant. Montes perpetua Nive tectos, *Alpes*, quaſi *Alpos* ſeu *Albos*, ex quorundam Philologorum mente

mente dici conſtat. Cauſas admirandi hujus Phænomeni, quod nos media etiam æſtate ſumma cum delectatione intuemur quotidie, explicuimus alibi. Has non malè expreſſit verbis ſequentibus *Simlerus de Alpibus* p. 73. quæ tamen cum grano Salis modernæ Philoſophiæ intelligenda ſunt. *Non ſolvuntur nives, & alpina glacies calore Solis, non quidem quòd prorſus non liqueſcant, ſed quia nunquam conſumuntur. Cùm enim etiam media æſtate in ſummis Montibus nives cadant, quando pluit in Vallibus, contingit plerumque novas nives accumulari veteribus, priuſquam illæ conſumantur. Sunt quidem Montes altiſſimi, undique ſuis verticibus Soli expoſiti, unde à Poëta dicuntur obvii ſurgente Phœbo: attamen cùm propter eximiam altitudinem viciniores ſint mediæ & frigidæ aëris regioni, aër illic frigidus non tantum incenditur, ut nives tantas diſſolvere poſſit. Vulgi quidem opinio eſt, montes altiſſimos, quorum vertices æternâ nive obſeſſi ſunt, Soli viciniores eſſe, ideoque quò propiores illi ſunt, eò calidiores eſſe debere. Sed rectè hunc errorum confutat* Seneca Lib. IV. Naturalium Quæſtionum: *ac docet nullam eſſe analogiam altitudinis Montium ad totum Terræ ambitum, alioqui non conſtaret Terræ rotunditas, ideò etiam non eſſe eam altitudinem montium ut viciniam Solis præ aliâ Terrâ ſentire poſſint. At longè alia eſt ejus ratio ad mediam regionem aëris, quæ minimo ſpatio à Terra abeſt, ſi cum Solis loco & regione conferatur. Idem præterea addit, aërem, quò editior eſt, ſinceriorem purioremque eſſe, itaque Solem non retinere, ſed velut per inane tranſmittere, ideoque minùs calefieri. Ad hæc altiora loca magis perflantur: depreſſa minùs à ventis verberantur: itaque hac quoque de cauſâ altiſſimi montes frigidiores ſunt, & magis glacie & nivibus rigent.*

Commoda ſi ſpectemus, vel incommoda, quæ clauſæ nubibus rupes Alpicolis & Alpium accolis afferunt, videtur equidem primo intuitu acri frigore ſævire perpetua hyems, & nil expectandum, niſi rigor & ſterilitas, unde apud *Polybium* Lib. III. audiunt *infames frigoribus Alpes. Juſtin. Hiſt.* L. XXIV. Invicta juga & frigore intractabilia loca, atque omni- *Eorum Utilitas.*

nò præjudicabuntur Populi, qui propter nivoſa hæc juga, vel etiam in illis habitant, juxta illud *Catulli* Od. 64.

- - - - Ad Idæ retuli nemora pedem
Ut apud nivem & ferarum gelida ſtabula forem.

Nec non *Ovid.* L.I. *de Pont. Eleg.* 4.

Orbis in extremi jaceo deſertus arenis
Fert ubi perpetuas obruta terra nives.

Nos contrà Summi Conditoris ergà nos optimam Clementiam adoramus, & plenis buccis deprædicamus, numerantes nivoſa Montium noſtrorum Cacumina in primis felicitatis Helveticæ bonis. Patebit id partim ex alibi dicendis de Alpium utilitate, partim verò ex præſenti diſcurſu. Non referam ex antiquâ Hiſtoriâ, quàm ſtudioſè conſervarint in foſſis & officinis variis *Nivem Græci* & *Romani*, ut ea æſtatem perduraret. Non extollam uſus varios Nivis, Oeconomicos, Medicos, alios. Nec etiam extenuabo damna corporibus Plantarum, Animalium, & Hominum à Nive induci ſolita. Hoc ſaltem dico, Nivi in Alpium Cacuminibus induratæ ſuam debere fœcunditatem paſcua alpina, ſcaturiginem Fontes ac Flumina, & nutrimentum Plantas & Animalia; Audite, quam ſupra jam extremis ſaltem digitis tetigi, rationem. Noſtis quòd Veſicæ cupreæ Alembicus imponi ſoleat pilei formis, Aquâ frigida adimplendus, quò Vapores per collum è veſica vel cucurbita ſurgentes ſeſe condenſent in guttulas, excipulo dein colligendas in liquorem. Alembici talis refrigeratorii locum & vicem ſuſtinent nivoſa Montium Cacumina. Hiſce abſentibus in auras avolarent per cavernoſam montium ſtructuram ſurſum vi Caloris Terræ interni pulſi Vapores. Hoc ubi contingeret, non utique condenſarentur tantâ quantâ fieri ſolet copia in Fontes, Rivulos, Flumina, quibus deficientibus nòn ſolùm areſcerent paſcua alpina, ſed tota ſitiret Tellus Helvetica, quæ Aquis montanis ſuam debet felicitatem. Continentur ita Montium Clauſtris vapores aquei, in Fontes & Flumina condenſandi, imò & nutrimento Plantarum impendendi, ſed & calor ipſe intrò repulſus, ne foras avolet, concentratur, ut defectum caloris externi internus compenſet.

ſet. Hic qui expirare per poros nititur, à frigore aëris ambientis, & nivis incumbentis introrſum pulſus ſeu retractus, tantò majori efficaciâ radices plantarum aperit, ut ſeſe unà cum liquore nutritio inſinuat in illarum veſiculoſam ſubſtantiam, eamque tantò potentiùs expandit. Vim hanc Caloris conſervatricem, quæ in nive reſidet, experiuntur quotannis ferè ſata, fruges & Vites. *Vota*, inquit, *Plin.* H. N. L. XVII. *Arborum frugumque communia ſunt nives diutinas ſedere. Cauſa non ſolùm, quia animam Terræ evaneſcentem exhalatione includunt, & comprimunt, retroque agunt in vires frugum atque radices: Verùm quòd & liquorem ſenſim præbent, purum præterea leviſſimumque, quando nix aquarum cœleſtium ſpuma eſt.* Plura in hanc rem habet *Thom. Bartholinus de Nivis uſu.* Cap. 23. p. 812.

Damnorum, quæ Plantæ, Bruta & homines à Nive alpina patiuntur, recenſioni nolo fuſius immorari. De *Labinis*, quæ nivei ſunt glomeres, ſuprà actum. De penetrabili & corpora urente frigore, ut & Nivis conſpectu oculis noxio differendi dabitur alibi commodior occaſio.

Montes nivoſos, quos communiter *Schneeberg* vocamus, Incolæ Carinthiæ *Gheiſs*, excipiunt *Glaciales*, ubi *Montes Glaciales.*

Cuncta gelu canaque æternum grandine tecta
Atque ævi glaciem cohibent.

canente *Silio Italico*, & *Chytræo* in *Itiner. Venet.* p. 54. 55. De *Bernardino* Monte:

- - - - glacies hic matris ab alvo
Excipit & teneros durat in frigoris artus
Cuſtodum pecoris: ſiccos quum Sirius ardens
Urit agros alibi, rigidis in cautibus illic
Regna tenet deformis hyems, Caurique furentes
Bella gerunt, altæque nives in montibus altis
Extructæ terramque gravant atque horrida ſaxa:
Ipſe fremens ſonitu, caput inter nubila condit;
Phœbeoſque procul ſcopulos intercipit ignes,
Innumeris circum glaciem cryſtallina Sedes
Indurata riget.

Glaciem hanc antiquam & perpetuam admirandum in Climatibus noſtris Phænomenon, vernacula Lingua vocant *Glettſcher* & Montes ipſos *Glettſcherberg*, Latini etiam *Gletſcheros*, nomine forte à Glacie deducto, ut conjicit *Siml. de Alp.* p. 74. b. Clariſſ. D. D. *Johannes Henricus Hottingerus*, peculiarem & admodùm doctam de his *Montibus Glacialibus* conſcripſit Diſſertationem, quam Miſcellaneis Naturæ curioſorum inſeruit, & in ea eſt Sententia, vocem hanc *Glettſcher*, *Gleſſer*, eſſe antiquam Helveticam, vel Celticam potius quàm Latinam; *Vox Glacies*, inquit, cap. 2. *Germanicam radicem* Glas *agnoſcit*, *quam antiqui Germani etiam* Gleſs *nuncupabant*, *à nitendo & quaſi ſplendendo*, *hinc Germani* gleiſſen, glentzen, glantzen *dicunt*, *quòd ſplendeat*, *ſeu potius tranſparens ac purum inſtar Vitri ſit*. Derivationi huic patrocinatur, quod Engadienſes Rhæti *Glettſcheros* cognominent *Wadret*, & *Filiſurenſes Wadrez*, à *Waider*, quod *vitrum* ſonat, & notat; alii Rhæti *vedreg*, Itali *Vedretto* à *vedro*, *vetro*, *vitro*. Quid ſi ex media Græcitate & infima huc quadraret vox γαλάζιος, eliſo primo α γλάζιος, quæ colorem venetum cœruleum καλλαίνον aliàs dictum ſignificat. In *Manuelis Malaxi Chron.* MS. & *Agapii Cretenſis Geoponico*, nam γαλαίζει, cœruleum colorem refert, vel γαλαζοπράσινον, cœruleo viridem (quæ vox extat apud *Georg. Contarenum Lib.* X. *Hiſt. Athenar.*) Glacies alpina. Id quod in Balthico mari quoque obſervavit *Iſaacus Peirerius* in *Relat. Gallica* de *Groenland.* p. 14. 15. *Martens Spitzberg. Reisbeſchr.* p. 19. & *Virgilius* l. c. *Georg.*

Cœrulea glacie concretæ, atque imbribus atris.

Glaciem hanc, quam Galli vocant *Glace endurcie*, *Glace prodigieuſe*, *Guill. Paradin. Chronique de Savoye.* Lib. I. c. 18. noſtrates etiam *Firn* appellant, de quâ voce ſciendum, eam admittere diverſam quoque ſignificationem. *Simleri* p. 74. verba hæc ſunt. *Inveteratas Nives* (*alter verlägner Schnee* habetur apud *Stumpf. Chron. Helv.* p. m. 605. b.) *noſtri homines* Firn *vocant*, *nomen enim hoc recenti opponitur*: *ſic enim vina vetera*, *aut alterius ſaltem Anni vocamus* Firnen (nos ferndrigen) Wyn. *Eſt autem nix hæc dura quidem & aliqua*

qua ex parte congelata, ſed nondum Nivis Naturam exuit: quæ verò ſoluta & congelata, neque jam nix ſed Glacies eſt, ea Glettſcher *à noſtris vocatur, nomine forte à Glacie deducto, veruntamen non ab omnibus hoc diſcrimen obſervatur, ſed utrumque Nomen Glaciei tribuitur.* Verè plurimis in Locis *Firn, Fyren, Firren* & *Glettſcher* confunduntur. In *Angelomontana Valle* eſt Alpis quædam, *Das Firn Alplin* communiter dicta, à rupibus glacialibus, quæ ibi conſpiciuntur. Pro Synonymis quoque agnoſcit *Rebmannus* p. 130.

Vil Berg hand alten Schnee wie Eis,
Deren das Volk wahrnimt mit Fleiſs,
Vnd nennt es Firn der ſo gar hert
Vnd wie Cryſtall lauter Er dert
Gſamlet auf etlich tauſend Jahr,
In denen er erhartet gar
Geſtoket und nimmer zergath,
Gleich einem harten Stein beſtath.
Vom Volk wird er auch Glettſcher gnant.

Contuli in Phyſica mea Germanico Idiomate ante aliquot annos edita P. I. c. 22. p. 209. *Glettſcheros* noſtros cum ſtupendis illis *glacialibus* montibus & natantibus *Inſulis*, in Septentrione, de quibus plura legi poſſunt in *Martens Spitzberg. Reisbeſchr.* p. 19. 30. *Rodolf Capell Vorſtellung des Nordens. Ol. Magn. Hiſt. Sept.* & ex illis *Boyle Experimental Hiſtory of Cold.* p. 382. &c. *Sturm. Phyſ. Hypoth.* p. 605. *Bartholin. de Vſu Nivis* p. 43. 44. & tunc quidem conjectavi, eſſe fruſta illa ſtupendæ molis glacialia revera Glettſcheros ſive Rupes Glaciales ab ingentibus montibus avulſas, & in Mare delapſas potiùs quàm *fragmenta glaciei à fluminibus in Maria provectis, ſibique invicem accretis, & ſuperingeſtis nata, non excluſis Nivibus copioſis & frequentibus, quæ à molibus iſtis ſubinde exceptæ, ſuper invicem accumulatæ & concretæ glaciei ſpeciem exhibent,* id quod *Boylio* viſum eſt p. 379. & *Sturm.* p. 629. licet nec hanc improbem opinionem, priorem tamen præferam, authoritate eorum nixus, qui Montium Glacialium in ultimo Septentrione reperiundorum ſunt.

Situm

Situm obtinent Rupes Monteſque glaciales talem, qui à Solis radiis vel intactus manet ſemper aut maximam Diei partem, vel adeò elatum, ut à Solis Calore liquefieri nequeant: Plerumque enim, uti id obſervavi curatiùs in Angelomontanâ valle, & alibi, conſpiciuntur in ea Montis parte, quæ faciem Septentrioni obvertit, Meridiei autem tergum. Ratio obſcura eſſe nequit ei, qui juga glacialibus oppoſita, & Solis radiis expoſita non glacie duntaxat ſed etiam Nive intuetur nudâ, ut perambulanti vallem Alpinam ab uno Latere æſtas in conſpectum veniat, & ab altera deformis hyems. Solet quippe Radiorum Solarium continua verberatio & multiformis repercuſſio nivem delapſam ſolvere, ut ſoluta defluat, antequam in glaciem vertatur, imo glacies ipſa liquationem evadere non poſſit. In *Grindelia* obſervat Cl. D. D. *Hottinger* à Septentrione verſus Meridiem longè latèque patere Montes Glaciales, hinc in Vallem profundam ſeſe demittere, ſicque interſtitia Montium replere. Contra verò in Monte *Gemmi* non circumcinctos ac incluſos eſſe aliis montibus quaſi Cancellis, ſed totos quanti quanti ſunt nudos eſſe & expoſitos, cujus Phænomeni ratio peti debet ex iis, quæ ſuprà de Nive in Montibus perpetuâ dixeris.

De *Dimenſione, altitudine, longitudine, formâ, figurâ* Montium ac *Rupium Glacialium* nil certi denominari poteſt. Variant hæc pro ratione diverſa ſitus, & Caloris, vel frigoris acceſſu, altitudine item Montium ipſorum, quibus inſiſtunt. Curioſa & notatu digna ſunt, quæ de Incremento & Decremento obſervavit laudatus D. *Hottingerus*, cujus propria hæc verba ſunt. *Nonnulli Incolarum*, inquit, *ſeptennium creſcere ſolum, nihil de iis conſumi, & vice verſâ totidem annis iterum imminui firmiſſimè credunt. Sed non ſolùm Rationi, propriæ Experientiæ, ſed & aliis emunctioris naris viris exactiſſimè id obſervantibus contrariatur: Aliud enim ipſa αὐτοψία edoctus à nemine hactenus obſervatum proponam. Conſpiciuntur in iis Lineæ in aliquibus 7. 8. vel 9. quas Strata nuncupare ſolemus, ex quibus accuratè anni ipſorum deſumi valent, ut in Arboribus ex circulis idem Phyſici prætendunt. Quæ Lineæ vel Strata hinc oriuntur.*

Hyeme

Hyeme abſoluta, nive ex Montibus vicinis recedente à graviſſimis imbribus, terra ab iis eluitur, Mons Glacialis tum proximè ſitus ab iſta aquâ turbidâ Terra permixta, Cortice quaſi obducitur, terrea iis inſinuantur, quæ nunquam recedunt, ſed firmiſſimè adnexa ſemper hærent, & permanent: Hyeme autem iterum recurrente Cortices hi nova teguntur nive, poſtea in glaciem mutatâ, hanc eodem modo alia cruſta cooperit, idemque ſingulis accidere annis animadvertitur. Lineæ hæ ſeu Strata inferiora ſemper multò minora ſunt ſuperioribus, & quò ſuperius Stratum, eo altiùs. Hinc apertiſſimè ipſorum incrementum concludendum, ab inferioribus enim & interioribus æquè liquantur ac diſſolvuntur, & hæc liquatio æſtate quotidie fit, calore præſertim intenſiore, aqua ſemper ex iis impetuoſiſſimè defluit, guttæ ex iis dependentes & cadentes ſingulis momentis conſpiciuntur, circa veſperam magis, quàm matutino tempore, ut plurimum tamen non tranſgrediuntur ſuos Limites conſtitutos, ac incrementum ab Hyemis violentia, decrementum verò Æſtatis & Caloris benignitate dependet. &c.

De *Subſtantia* montium Glacialium vere glaciali (non Lapidea vel Cryſtallina) non eſt quòd plura dicamus. Purior perhibetur hæc montana glacies vulgatâ, & tali quidem gradu, ut *omnium impuritatum ſit impatientiſſima, aliarumque rerum mixturam minimè ferat: quin potius purgetur longi temporis ſpatio ab arenis, terra, Lapidibus, aliisque ſordibus, ita ut fere Cryſtalli modo ſplendeat. Siml.* l. c. Addunt ex *Meriani Topograph. Helv.* p. 26. motum veluti progreſſivum, quo terminos ſuos magis magisque ſoleant protendere, & Exempli loco afferunt *Divæ Petronellæ Sacellum* in *Grindelia Valle* glacie totum opertum, & ſede ſuâ depulſum, quæ adhuc dum digitis demonſtrari ſolet, terram item adjacentem, unà cum arboribus, caſis, ſtabulis, & paſcuis remotam, ut incolæ aliorſum caſas ſuas migrare neceſſe habuerint. Progreſſivi hujus accrementi & effectuum hinc dependentium cauſa non miraculo alicui, quod rerum phyſicarum imperiti ſomniant, ſed omnino cauſis naturalibus adſcribi debet. Solet nempe Aqua à Tergo Montium Rupiumve Glacialium de-

 fluens,

fluens, vel in fiſſuris ipſis & interſtitiis aliis glacialibus collecta, & utrobique conglaciata, quoniam amplius in hoc ſtatu requirit ſpatium (conteſtantibus id experimentis circa frigus & glaciem inſtitui ſolitis) undiquaque premere & eam quidem glaciei partem, quæ Liberum Aërem reſpicit, & paſcua declivia actu ipſo propellere, & unà cum glacie arenam, Lapides, ſaxa etiam grandiora, quo ipſo Hyperbolica illa purgatio ſimul explicari, & facilè intelligi poteſt. Confirmant hanc meam opinionem obſervationes factæ à Domino *Meyero* Vitodurano, Pictore Topiario (*Landſchafften Mahler* communiter hoc Pictorum Genus ad aliorum differentiam vocamus) præcellenti, qui plus ſemel curioſitatis gratiâ Montes Glaciales adivit, ut ad vivum eos delinearet.

De Montibus his Glacialibus inſuper obſervari meretur eos ſæpe *rimas agere*, & rumpi tacito quidem impetu, ut terra tremere & Montes ipſi ruere videantur. *Siml.* l. c. Fit hoc præcipuè verno tempore, & æſtivo, vel etiam imminente quâvis aëris frigidi in Calidum & humidum mutatione, quando nempe aër bullis glaciei (notandum ὡς ἐν παρόδῳ montanam noſtram glaciem bullulis eſſe refertiſſimam) incarceratus & condenſatus, vim ſuam elaſticam potiùs exercere, quàm rareſcere incipit, tantò magis autem quò debilior eſt vis contrapremens aëris externi. Non poteſt autem hæc expanſio aëris clauſi contingere, abſque quòd abrumpantur cum fremitu & ſonitu parietum rigidiorum, tantò fortiori, quò craſſior atque profundior eſt fruſti glacialis diffringenda moles. Differunt adeò fremitus hi Glettſcherorum à fragoribus nocturnis præſertim Lacuum conglaciatorum, ubi *aëre & fortaſſis etiam aqua infra glaciem frigore nimio nimis condenſatis & conſtrictis, extrinſecus incumbens aëris Sphæra glacialem cruſtam eo modo deprimit ac deprimendo diffindit, quo videmus vitra quædam non exactè ſphærica, ſed vel cylindracea, vel Campaniformia per antliæ ductus tantiſper exhauſta, fiſſuras agere aliquando longiſſimas. Sturm. Phyſ. Hypoth.* p. 630. Conferri merentur, quæ hanc in rem meditatus eſt *Dan. Barthol. Tratt. del Ghiaccio e della Coagulatione* p. m. 97. *Sperienza* XVII.

De



A. Glace qui croît du fond et qui repouſſe avec force tout ce qu'elle recontre.
B. Lutſchiuen qui ſort de deſſous cette Glace.

C. Maiſons reculées dans cet endroit a cauſe de cette Glace.
D. Hautes Montagnes toujours couvertes de Neige.

De montium glacialium *Uſu Medico*, & *Oeconomico*, *Damnis* quæ Accolis, Paſcuis, Frugibus, Venatoribus & Itinerantibus inferunt, agit *Hottingerus* C. 8. 9. & 10. ſed 12. de iis, quæ circa Montes Glaciales occurrunt, uti Rupicapris, Muricibus Alpinis, Fragis, Cryſtallis &c. Ego hæc pro nunc ſilentio prætereo & alii commodiori loco reſervo, collaturus quod reliquum in hoc Capite eſt tempus in recenſionem diſtinctam locorum, ubi Montes, Rupeſque Glaciales in Alpibus noſtris reperiantur.

In *Grindelia Valle*, *quæ Ditionis eſt Bernenſis*, *conſpiciuntur Montes duo Glaciales*, *prior & minor ad Interlacum*, *Interlachen*, *à ſuperiore tendit*, *inter duos Montes Eiger & Mettenberg ſitus*, *à Tergo ſeu verſus Meridiem Montem perpetuâ nive tectum*, *Fieſchhorn dictum*, *habet*. *Alter præ cæteris decantatus*, *Mons ille Glaciatus* κατ' ἐξοχὴν, der groſſe Glettſcher *appellatus*, *interſtitia Montium* Mettenberg & Schrekenhorn *ſeu* Wetterhorn *occupat*, *qui Utrique per Vallem Montis Mettenberg conjunguntur*, *& propriè hi duo unicum conſtituunt*. D. Hottinger l. c. de iiſdem videantur *Räbmann. von Berg.* p. 201. *Merian. Topogr. Helv.* p. 26. *Wagn.* H. C. p. 26.

Lateribus Montis Scheidegg *Septentrionem verſus talis glacialis Mons minoris tamen conditionis affixus conſpicitur.* Hotting. l. c.

In eadem Ditione Mons Bandaren ejuſmodi Monte gaudet. Hött. l. c.

In Uriorum *Territorio montibus Glacialibus ſuperbiunt maximè Alpes Windgallen*, Rinder Alpſtok, Beiſtenberg, & Goſchenen Alp. Id. l. c.

In Alpibus Surinenſibus, *Surner Alpen*, quæ partim Uriis adjudicantur, partim verò Angelimontano Cœnobio, ut & Monte altiſſimo etiam conſpiciuntur Rupes glaciales.

Ad Rheni poſterioris Scaturiginem Montes ſunt glaciales ad bihorium in longum protenſi, quorum deſcriptionem & delineationem reſervo Itineri alpino Anni 1707.

In monte Kibhalpen etiam eſt mons Glacialis.

In *Prægallienſi Valle* eſt altiſſimus Montis Vertex, *Il. Piz di Doan*, glacie inveteratâ ſemper obtectus, præcipuè verſus

Septentrionem, è qua fluviolus Lacum Alpinum conſtituens profluit. Clar. D. D. *Picenin.* Lit. d. 16. Jan. 1701. ad me dat.

In *Engadina* alius quoque Mons Glacialis, *Helſchiel* appellatus, obſervatur D. Hott.

Prope *Taminium* & *Tavetſch*. Excel. D. D. Muralt. in Philoſophic. Transact. Angl. A. 1669. p. m. 250.

Apud Sedunos mons eſt, quem quidam Silvium nuncupant, Salaſſi Roſæ *Nomen ipſi impoſuere: in hoc Monte eſt rigens glaciei perpetuæ cumulus, per quem tranſitur ad Salaſſos fere quatuor millium paſſuum ſpatio, & tamen illi adhuc altiora & magis rigida juga imminent. Valleſiani hunc à Glacie* den Glatſchert *denominarunt*. Simler. l. c.

In ſuperiore *Valleſia* prope *Furcam*, ad Originem *Rhodani. Munſter. Coſmogr.* p. 691. de quo ſupra.

In Montis *Gemmi* Culmine D. Hott.

In valle quadam *Ragatzienſium Calfeuſe* dicta. Id.

Nunc porrò noſtrum proſequemur Iter, & id quidem conſtanter juxta *Rhodani* ductum, quem porrò egregia datur delineandi occaſio. Exhibet autem percelebrem hunc fluvium, omnibus ſuis, quos obſervare licuit, flexibus & Rivis Torrentibusque aliis influis & pagis adjacentibus Figura, quem σὺν Θεῷ publicabo ſuo tempore.

Rhodanus. Incipit mox *Rhodanus*, quem *Rotten* Valleſii, *Roddan* Germani, *Roſne*, *Rhoſne* Galli, *Rhodano* Itali nuncupant, infra binorum cornuum ſuorum confluxum ſeſe cum ſpumanti impetu præcipitare per anguſtas Rupium fauces, ut continuæ quaſi Cataractæ ſpeciem præ ſe ferat.

Primus hic progreſſus, in quo ex Grimſula Bernenſium monte recipit *den Meyenwanger Bach*, fit à Septentrione verſus meridiem, aſt ubi ſemicirculo duarum vel trium horarum facto in ipſam *Valleſiæ* Vallem defertur, jugiter poſthac curſum ſuum dirigit ad occaſum.

Supra *Underwaſen* in Via deſcenſus ex *Furcâ* videas paſſim Saxorum ab Aqua elotorum & quaſi undatim excavatorum veſtigia: hæc autem Aqua nulla alia eſt, quàm Rhodani, qui nunc 50. & plures pedes profundiùs fluit. Hujus generis Obſer-

Obſervationes, Alveorum à Torrentibus profundè excavatorum attuli quoque in Itinere Alpino 1703. & 1704. occaſione *Rheni poſterioris* in *Via Mala*, & *Taminæ* Torrentis in Comitatu *Sarunetum*.

Ad Radices Montis Furcæ, *Siml.* p. 12. ex *Stumpf.* L. XI. c. 4. *Vallis proxima incolitur ab his, qui mitiora* Furcæ *juga pecoribus ſuis depaſcuntur (Vor Alpen, Vorſaſſen* hæc mitiora juga appellat *Stumpf) ac duo illic viculi occurrunt, Underwaſen unus, vel Underwaſſeren, ab uno* Rhodani *latere, alter* Oberwald, h. e. *ſuperior Sylva, vernaculâ Linguâ dicti. Inde ad Meridiem mediocris vallis inter Montes ſe aperit, quam* Ageranam *vocant* (Gerenthal, Agerenthal *Stumpf.*) *Hæc* Elmium Fluvium *Rhodano augendo effundit. Paruit olim Vallis iſta Nobilibus de Arna, ſeu, ut Incolæ nominant,* Aragno inferiore, *hi merum mixtumque hujus Loci imperium habuere, ſed opibus eorum neſcio quomodo imminutis incolis ſua jura vendiderunt, quibus illi nunc quoque fruuntur, & ſibi proprios Judices eligunt & confirmant, quos* Ammannos *vocant.* *Underwaſen. Oberwald. Vallis Agerana.*

In Pago Underwaſen vidimus primum *ſtructuræ* genus percurioſum, quo *Grana Frumentaria* recondunt Valleſii, & mures ab illis procul arcent. Exhibet eam *Fig.* B. TAB. VI. ubi ſuperior ſtructuræ pars inſiſtit columnis ligneis ſupernè Saxis latioribus, quæ molaribus ſimilia ſunt, tectis, ad quæ ſi mures accedunt, protinus dilabuntur, ut nullus ſit Frumenticidis his ad Granarium ipſum aditus. *Granarii genus. Fig. B. TAB. VI.*

Itinere circiter horæ unius ab influxu Elmii in Rhodanum *ad dextram Fluvii & Radices* Grimſulæ *Montis Pagus occurrit Eccleſiam Parochialem habens, hunc Incolæ* Caſtellionem ſuperiorem *vocant, Germani* Geſtilam, Geſtilen. *Suprema hæc eſt Parochia in Conventu* Gomeſianorum, im Gomſerzenden. *Geſtila.*

Grimſula *Mons,* Grimſel, Grimſeln, *cui* Caſtellio, Geſtila *adjacet, continuus eſt* Furcæ, *& uterque* Alpium Lepontiarum *pars cenſetur. Dividit autem Helveticam Vallem* Haſelam (Haslethal) Grimſula à Valleſiis *& ab eâ parte ſunt* Arolæ (Aar) *fluminis Fontes: Iter per hunc Montem* *Grimſula.*

ad Helvetios aſperum eſt, & admodùm arduum, vix enim quatuor aut quinque horis Mons ſuperari poteſt. Simler: Vall. 12. *Helvetiæ* antiquam *Latitudinem*, quam ad CLXXX. millia paſſuum protendit Cæſar, definit *Guillim. Lib.* v. *Rerum Helveticarum*, Lineam ducendo à Montis Juræ culmine, ubi *La Verriere* dicitur, ad Culmen *Grimſel*, unde *Arolæ* ſcaturigo, refutatur autem à Scriptoribus aliis *Plantin. Helv.* 10. vid. quoque *Rebm. Geſpräch.* Per hujus Montis anguſtas vias exercitum duxit *Berchtoldus Zeringiæ Dux, Valeſiamque* vaſtavit. *Guiliman. Habſpurg.* Lib. VI. C. I.

24. 5. *P.* *Geſtilæ* obſervavimus horâ quartâ pomeridianâ Mercurium Barometri in 22". indeque judicavimus, eſſe nos inferiores Furcæ Montis ſupremo, ubi conſedimus, jugo 2080. ped. Valle Urſariâ, & Ætuatiâ 40. ped. vel ejuſdem altitudinis, Gotthardo 1400. Superiores autem Ayrolo 520, Stäg 1800. Altorffio 1920. Tiguro 1640. vel juxta hodiernam obſervationem Tiguri factam 1520.

Dies 12. Auguſti.

Duobus millibus Paſſuum infra Caſtellionem *ad eandem* Rhodani *ripam alter pagus jacet*, Ulrica (Ulrichen) *nomine. Juxta hunc olim* Berchtoldus Zaringiorum Dux à Valleſianis *prælio fuit victus* (A°. nempe 1211.) & *poſt priorem pugnam* 200. *ferè annis, denuò ab iis eodem loco cum Bernenſibus pugnatum eſt:* in utriuſque pugnæ memoriam cruces ligneæ ab incolis erectæ ſunt A°. 1419. Utramque pugnam fuſiùs deſcribit *Stumpf.* l. c.

Ulrica.

Infra Ulricam *Itinere horæ unius* (nos ſeſqui horam computavimus) *in longè amœniſſimis pratis, qualia vix alibi in tam vaſtis & penè deſertis locis invenias, ad dexteram* Rhodani *non inelegans vicus exſtructus eſt, quem* Monaſterium (Münſter) *nominant.* Nos inter *Ulricam* & *Monaſterium* ponimus ad idem Rhodani latus *S. Catharinam* & *Geſchinam.*

Monaſterium.

Ad lævam Rhodani *è regione ferè* Ulricæ *quondam Cœnobium Monacharum erat* (*Im Loch* nunc appellari teſtatur *Stumpf*) *quod nunc ob loci aſperitatem & annonæ inopiam deſertum eſt.*

Im Loch.

Ver-

Verſùs Meridiem inter montes Vallis Eginia (Das Eginen Thal) *per* 8000. *ferè paſſuum ſeu milliare Germanicum extenditur, ex hâc Valle duo Itinera ad Inſubres patent: unum per Montem* Niſium, Neſſy, in *Vallem* Lepontinam Bellinzonam, *alterum per* Grieſſum Montem (Griesberg, Grieſs, Greiſs) in Antigoriam Vallem (*quæ ſuprema pars eſt* Oſcelanæ Vallis, des Eſchenthals) Bonmatum *ducit. Nomen hujus Montis* Gries *quoſdam videtur moviſſe, ut* Alpes Grajas *apud* Sedunos *ponerent, in qua ſententia videtur fuiſſe* Antonius Salamanca, *qui non tantum* Bernardi Minoris Montem Alpes Grajas, *ſed alterum quoque Valleſianorum Montem* Sempronio *proximum, non tamen* Grieſſum, *idque in Helvetiæ* Tabula Romæ edita. *Ex* Eginia *Valle Fluvius ejuſdem nominis ortus, ubi in* Rhodanum influxit, *eum ad juſtam Fluvii magnitudinem auget: nam & de Septentrione non pauci ignobiles Rivuli in eundem Fluvium ſe exonerant.* Vallis Eginia.

Horæ ſpatio infra Monaſterium pono *Recingium pagum, Regkingen, Reckingen,* & mox infra eum *Glurinam, Glurinen. Ritzicium, Ritzig, Ritzicken, Biella, Biel,* ubi eſt Pons Rhodani ripas conjungens. *Selbligen, Walda, Wald,* qui omnes fluviolis quibuſdam rigantur. *His* (inquit *Simler.* p. 13.) *imperavit* Domina de Graniola, *ſed incolæ progreſſu temporis ab ejus Dominio exemti ſunt; Regio nomen Comitatus retinet, ipſi Legibus & Statutis Valleſianorum tenentur, habent tamen proprios judices in Cauſis civilibus, cæterùm criminales Cauſas* Gomeſianæ Decumæ (cui attributæ ſunt) *Judex* Arnæ *cognoſcit.* Rekingen. Glurina. Ritzig. Biel. Selbligen. Wald.

Proximè hos vicos Ponte lapideo Rhodanus tranſitur, ac ab eo latere eſt vicus quem Mülibachum, *quaſi* Molarum Rivum (Mülibach) *dicas, nominant; Patria* Matthæi Cardinalis Sedunenſis. *Habuit* Mülibachum *Nobiles ejuſdem Nominis, quorum Familia interiit. Inſignia duntaxat ſuperſunt.* Mülibach.

Arna, *Incolis* Aragnum, Arnen, Aernen, *vicus ingens &* Gomeſianorum Caput, *ſitus eſt hoc loco* 8000. *paſſuum infra* Monaſterium, *ædificia habet non inelegantia, & quaſdam domus muratas, & Lapide fiſſili tectas, ſuperior enim Regio* Arna.

non

non niſi è Ligno ædificia habet, tecta è Larignis ſcandulis. Hoc in loco Curiam Gomeſiani *habent, & Cauſas Capitales cognoſcunt.* Arnâ *oriundus fuit* Waltherus ſuper Saxo Epiſcopus, *qui* Veragros *hactenus* Sabaudo Epiſcopatu *ademtos* Binna. *recuperavit.* A. 1475. *Fluvius deinde* Binna (Bin, Byn) *infra* Arnam Rhodano *miſcetur,* Gomeſianorum *hac parte Limes: oritur hic in Monte* Albrunio (Albrün, Allbrun, Albrun) *per quem iter eſt in vallem* Antigoriam, *in valle quam* longam, *alii* Bindulum interius *vocant* (Lengenthal *Stumpf.*) *ac per vallem à ſe denominatam* (Bünerthal) *curſu continuato* 15000 *paſſuum à Fonte ſuo in* Rhodanum *mergitur.*

E regione Arnæ *ad dextram Fluvii Ripam, qua is Ponte* Vieſcha. *jungitur, vicus eſt* Vieſcha (Vieſch) *cum Valle ejuſdem nominis* 6000. *paſſuum Longitudine, per quam etiam fluviolus è Glacie inveteratâ emergens* Rhodanum *influit.*

Juxta hunc Cœnobium *quondam fuit ſacrarum Virginum, nunc deſertum; reditus ejus à* Matthæo Cardinali Arnenſi *Eccleſiæ attributi ſunt.*

25.4. P. *Vieſchæ* obſervavimus Mercurium in 22″. 8‴. ut juxta hunc computum Vieſcha inferior ſit Geſtilâ 640. ped. Furcâ 2720. Valle Urſariâ & Ætuatia 680. S. Gotthardo 2040. Ayrolo 120. Superior verò Altorffio 1280. Tiguro 1000. vel 880.

Lax. *Inferiùs ad alterum* Rhodani Pontem *viculus eſt* Laxa *nomine* (Lax) Gomeſianorum *Terminus ab alterâ Fluminis parte.*

Infra Laxam *vicum Montibus in unum penè coëuntibus vallis admodùm coarctatur, ac tantum anguſtæ fauces* Rhodano *defluenti relictæ ſunt: Promontorium, quod à Septentrione ad* Rhodanum *uſque percurrit, in Antiquis Diplomatibus* a Monte DEI ſuperius *nominatur.* Germ. uf Deyſch Deiſch. (Dieſtalden *Stumpf.*) *Hic mons* Gomeſianos *à* Morgianis *dividit: regio namque non ita magna, & hoc Monte ad Flu-* Morgia. *vium* Maſſam Morgia *nominatur: Hæc propriam Juriſdictionem & merum Imperium habet, attamen attributa eſt Conventui* Raronico, *ejuſque pars tertia cenſetur. Duo ſunt* Graniola. *hujus Regionis Celebriores vici,* Graniola *primùm* (Graniolo,

lo, Graniola,) *quæ ad ſiniſtram Fluminis jacet in Rupe celſâ prope Fauces* Bynniæ *Vallis, ac Ponte hinc* Laxam *itur unico fornice ab una rupe ad alteram ducto, tanta eſt vallis Anguſtia. Eſt hic Pons aſpectu terrens* magis quàm Pons Diaboli apud Urios. *Habuit autem olim Graniola peculiares Dominos, qui an iidem cum* Morgianis *fuerint ignoro: his, ut ſuprà diximus, paruerunt vici aliquot ſuperiores ad* Rhodanum, *qui adhuc nomen* Comitatus Granioli *ſervant.*

Morgia *alter vicus, à quo Regio nomen habet, à Germanis* Moril, (Morels) *nominatur, & à dextera parte* Rhodani *ſitus eſt in medio Regionis, Itinere duarum horarum infra* Arnam: *hîc quoque* Rhodanus *Ponte jungitur. Supra* Morgiam ad Rhodanum *prata ſunt & paſcua amœna, atque non paucæ domus, ſimiliter in vicino Monte* Bitta, Bitten, & *alii viculi* (Gobgisberg *apud Stumpf*) *occurrunt, & ſuprà hos altiſſimus Mons ab* Antonio *nomen habens* (Anthonier.) *Apud* Morgianos *primùm vites proveniunt. Nam* Gomeſiana *Regio propter frigus nullas fert.* Morgiana *tamen vina acerbiora ſunt, neque Regio hac parte inferioribus locis* Raroniis & Sedunis & Veragris *conferri poteſt.* *Morgia.*

Juxta Morgiam *verſus Septentrionem in altiſſimâ petrâ quondam Arx fuit* Mangepana, Manggepan, *Baronum* Morgianorum *Sedes, hos in Incolas Tyrannidem exercentes* Petrus Sabaudiæ Comes, *incolis juvantibus bello aggreſſus vicit, arcemque eorum deſtruxit, cujus nunc exiguæ Ruinæ ſuperſunt:* Baronum *inſignia nunc quoque* Morgiani *ſervant, nigrum bubuli caput, è cujus naribus ariſtæ duæ exeunt. Crediderim* Barones Morgianos *Familiæ* Raroniæ *affinitate aut propinquitate aliquâ conjunctos, atque hos eorum hæredes fuiſſe, ideoque nunc* Raroniæ *Decumæ* Morgianos *adnumerari.* *Mangepana.*

Præterea Dirreberga *Arx* (Dirrenberg) *in eadem regione fuit, quæ fortè eodem tempore diruta eſt: Mons adhuc* Arcis *nomen ſervat.* Maſſa *Fluvius, qui* Morgianos à Brigianis *dividit ex* Aletſchianis Montibus *oritur,* (Aletſch) & *per ejuſdem Nominis Vallem,* Aletſchthal *fluit, Æſtate liqueſcentibus nivibus creſcit, & turbidus ac impetuoſus fertur,* *Dirreberga.* *Maſſa.*

tur, ſicuti omnes ferè hujus regionis Fluvii, ſic ut vado tranſiri commodè non poſſit, verùm ponte Lapideo prope exitum jungitur.

Brigianus Conventus. *Secundus Conventus* (ita pergit *Siml.* p. 14. b. *ab inſignioribus Pagis* Briga & Nateris *nomen habet. frequentiùs tamen à priore denominatur* (Der Briger Zenden) *Cæterùm quàm populoſus & frequens ſit ex eo colligimus, quòd* A. 1465. *Peſte per Valleſiam graſſante, ex* Brigianis & Naterianis *ſupra* 1000. & *quadriennio poſt* 1400. *homines perierint.*

Natera. Nateræ *Vicus*, Naters, *milliari non magno à* Morgia *diſtat, ad dexteram* Rhodani *Ripam loco Saxoſo, non tamen ſterili, ædificia pleraque Lapide exſtructa ſunt.*

Prope hunc vicum in edita rupe quadam Arx munitiſſima extructa eſt, quæ à Saxo ſeu rupe Nomen habet (Flu) *Domus quondam* Dominorum à Saxo (von der Flu, oder Fluherren) *Epiſcopo nunc paret.* Flu.

Extat etiam ſupra Nateras *non longè à Ponte* Maſſæ *Fluminis Turris quædam in colle & Ruinæ veteris Arcis* Wingartæ, Wyngarten, *quam nobiles olim, quorum Familia nunc periit, inhabitârunt.* Wingarta.

Sunt quoque à Septentrione Nateris *conjuncti viculi quidam in Montibus*, Eccleſia, *quæ à loco montano nominatur* (Mont) Blattana (Blatten) & Birgiſcum (Birgiſch) *vici. Infra* Nateras *Pons Lapideus duobus fornicibus egregii operis utramque* Rhodani *ripam jungit, qui eo loco tanto impetu per Saxa magno cum ſonitu ruit, ut mirum videatur fundamenta aliqua Pontis in tanta Fluminis rapacitate jaci potuiſſe. Cæſa eſt ad hunc Pontem Princeps, ſeu Comitiſſa, ut vocant, Veſpianorum cum Filio* 1365.

Hîc Rhodano ſuas Aquas miſcet rivus profluens ex Bell Alpen *per* Riſchinen St. L. XI. c. 6.

Ad ſiniſtram Fluminis Ripam ex adverſo Naterarum Briga *poſita eſt*, Brig, & *paulò infrà hanc* Gliſa, *ita ut tres hi vici triangulum ferè æquilaterum conſtituant.* Briga *à Viberis nomen habet, quaſi dicas* Viberiga *ſeu* Vibericus vicus. *Eſt autem hic Vicus ad* Saltinam *Fluvium in oppidi morem extructus, cæteris Valleſianorum Vicis elegantior & amœnior:* Briga. Gliſa.

nior: ab Ortu & Meridie Montes paſcui imminent, multis viculis inhabitati: & proximè Brigam *Vetuſtæ Arcis Rudera apparent. vulgus locum* Hellam (Hell) *quaſi Tartarum vel inferos dicas, nominat.*

Brigæ horâ 4. pomeridianâ vidimus Mercurium in 23″. 8½‴. ut inferior ſit hic Locus Geſtilâ 1480. Pedibus, Vieſchâ 744. Furcâ 3560. Gotthardo 3480. Ayrolo 960. Altorffio autem ſuperior 440. Tiguro 160. vel juxta hodiernam obſervationem Tiguri factam 40. vel 80. ped. *26.6. P.*

Saltina *Fluvius oritur in Monte* Sempronio, & *per Vallem ejuſdem cum Monte Nominis duo milliaria magna ſeu* 16000. *paſſuum fluit, ac paulò infra* Brigam Rhodanum *intrat,* Brigiani *huic* Fluvio *Pontem lapideum tribus fornicibus extructum, (nam nivibus ſolutis latè inundat) impoſuere. Per* Montem Sempronium, *quem quidam* Scipionis Montem *vocant, ad* Lepontios *Tranſalpinos iter eſt, & vetus oppidum* Oſcelam. *Tradunt quidam, Cæſarem per has Alpes duxiſſe Exercitum contra Helvetios, atque ejus Rei Memoriam cotibus inſcripſiſſe, in quibus adhuc cernantur Literarum quædam veſtigia. Ego non negarem Cæſarem hàc Exercitum duxiſſe in Galliam, ſed hoc non eſſe illud iter, cujus* 1. *Lib.* Belli Gallici *meminit, alibi oſtendi. In Monte hoc vicus eſt* Sempronius (Simplen) *cui Valles duæ conjunctæ ſunt, quarum, una Germanicum nomen à ſitu inter* Montes (Zwiſchenbergen) Alpiam *vocant* (Alpien.) *In ipſa* Brigiana Valle, Brigiani *magnam copiam utriuſque Pecoris alunt, in Alpibus quas* Sancti Jacobi, (St. Jacob) & *alteram* Ganteram, Ganter *nominant.* *Saltina.* *Sempronius Mons.*

Sempronius, Scipionis Mons, Simpelberg, Simpeler, Sympeler. Ital. *Sempiano, Sempronio, Sampione.* Gall. *S. Plomb. Briga* Martiano, *der Brigerberg*; à proximo vico *Briga, Brig;* Per hunc Montem juxta fontes *Doueriæ* Amnis, qui ad Crevolam in Athiſonem evolvitur, deſcenditur in *Vecchiam*, hoc eſt veterem Vallem, & hinc in *Oſcelam* Vallem, & Urbem ejuſdem Nominis pervenitur, quam hodie vocant *Domuſſulam* vel *Domo d'Oſcellam* (*Dom d'Oſcella*) à Templo & Collegio Canonicorum, quod Itali *Domum*

(*Domo*) Germani *Thum* vocant. Meminit hujus Itineris *Jovius : Patent*, inquit, *eædem Alpes ſupra Verbanum Lacum ad Domuſſulam Oppidum, quod ipſis in Faucibus & perfluentis Ogoniæ Ripis ædificatum* Ludovicus Sforzia *patrum noſtrorum memoriâ & cæde Sedunorum & maximis operibus nobilitavit. Adeuntque eo Itinere Valleſii atque Seduni, qui Sedes inter Helvetios & Allobroges tenent.* Nonnulli, ut *Leander* refert, tradunt, *Julium Cæſarem* hac in Helvetios profectum, celſi Montis ſupra Crevolam jugo cæſo, qua ſarcinarium duci Jumentum poſſet, ejuſque Rei memoriam ipſis Collibus inſcripſiſſe, nec jam Litteras ob Antiquitatem apparere, quanquam ſigna quædam & veſtigia pauca maneant. Sed horum Sententiæ ipſa Cæſaris Verba repugnare videntur &c. *Sempronius Mons* & *Furca* & omnia intermedia horum juga non minùs Lepontiorum quàm Valleſianorum Alpes dici poterunt, cum ad utroſque ex æquo diverſis tamen lateribus pertineant. *Siml. Vall.* & *Comm. de Alpibus.* 915. 99. 102. b. *Bonaventura Caſtellioneus* Mediolanenſis conjectat, in ſua *Gallorum Inſubrum* deſcriptione, *Sempronium Montem* vocatum fuiſſe olim *Cimbronium*, à *Cimbrorum* tranſitu, quem non fecerint per *Tridentinum agrum* juxta *Atheſin* fluvium in *Italiam*, ſed juxta *Athiſonem* fluvium in *Oſcelana Valle* per *Sempronium*, *Caſtellioneum* autem refutat *Tſchud. Helv. Ant.* p. 384. 385. vid. quoque *Plant. Helv.* 53.

Briga mons. Supra Brigam eſt Mons Fertilis, *der Brigerberg* dictus, cum Pagis & Domibus ſegregibus *Thermen*, *Bleken*, *Am Riedt in der Schulch.* Stumpf. l. c.

Dies 13. Auguſti.

Gliſa. Gliſa (Glys) *quæ à Græco nomine Eccleſiæ nomen ſuum accepit, circiter* 1000. *paſſuum Itinere* Brigâ *abeſt, ad ſiniſtram* Saltinæ *Fluvii, vicus exiguus, verùm amœniſſimo loco ſitus eſt, ædificiis optimè excultus. Templum hîc eſt D. Virginis, ad quod totâ valle multi mortales Religionis ergò confluere & Dona afferre ſolent, quibus ejus Templi Sacerdotes lautè victitant. Vicus hic Patria fuit* Georgii Supra Saxi (Georg auf der Flu,) *cujus* Guiccardinus & Jovius *in Hiſtoria meminerunt.* Georgius Supra Saxus *hic Vir ingenti*

ani-

animo corporeque, Italicis Bellis magnas opes, & bellicæ virtutis eximiam Gloriam conſecutus, ſummam domi ſibi auctoritatem & potentiam comparavit, ac Gallicas partes ſecutus adverſus Matthæum Sedunenſem *Epiſcopum, eundemque* Cardinalem *graves inimicitias exercuit, atque cum opera* Cardinalis Romæ *captus, & in* Adriani *mole carcere incluſus beneficio* Franciſci *Regis liberatus fuiſſet, in Patriam reverſus* Cardinalem Valleſia *expulit: ſed tandem ipſe in exilium pulſus* A°. 1529. Viviaci *ad* Lacum Lemannum *obiit. Eccleſiam D. Virginis* Gliſæ *amplificavit, & eodem loco Sacellum, & Aram dicavit, ac ibidem ſibi monumentum paravit, in quo tandem poſt obitum quieſceret. Extat in hoc Sacello Tabula, in qua Supra Saxus cum Uxore & Filiis duodecim, ac undecim filiabus ad vivum depictus eſt, res ſpectatu digna, duorum conjugum tam numeroſa & formoſa proles (ſi pictura non fallit) uti affirmant. Tabulæ hæc inſcriptio addita eſt:*

S. ANNAE DIVAE VIRGINIS
MATRI GEORGIUS SUPER
SAXO MILES AV. HANC
CAPELLAM EDIDIT
ANNO SALUTIS 1519.
DOTAVIT, JURE PATRON.
HAEREDIBUS SUIS RESERVATO
CUM EX MARGARETA UXORE
NATOS XXIII. GENUISSET.

De hac Hiſtoria vid. quoque *Stumpf.* l. c. qui inſuper memorat, Montem *Gliſæ* adſitum vocari *Gleysberg.*

Non longè infra Gliſam *murus à* Rhodano *ad excurrentia juga proximorum Montium ductus eſt: hanc ad Hoſtium vim arcendam quondam extructam fuiſſe Turres & propugnacula* *Murus antiquus.*

 oſten-

oſtendunt, verùm à quibus & quando hoc factum ſit ignoratur. Quidam Romanum opus cenſent, hos cum per Sempronium *Montem adverſus Gallos Exercitum ducerent, hunc locum muniiſſe. Alii exiſtimant,* Viberos *hujus Munitionis Auctores fuiſſe, qui contra* Sedunorum *munitiones eandem extruxerint. Nam hic terminus Viberorum fuiſſe cenſetur, unde & Pagus in Monte ſuprà Veſpiam à* Sedunis Termina *appellatur, in* Sedunis *verò multi nobiles habitarunt,* Viſpii Raronii, Turriani, Leucii, Siderii, Gradecii, *aliique plures, quorum dirutæ arces paſſim viſuntur, hos cum vicinis aſſidua bella geſſiſſe, dum fines proferre ſtudent, veriſimile eſt. Verum poſteaquam eodem Imperio utrique Populi reguntur, & Arcibus disjectis libertate fruuntur, hic murus neglectui habetur, multiſque in locis vetuſtate fatiſcit. Non longè ab hoc muro Fluviolus* Gamſa (Gamſen) *ex Alpibus* Veſpianorum *ortus in* Rhodanum *exolvitur. Alpes has nuncupat Stumpfius* ita *Heiniſgarten, Mundivald, Finilen, Gettſchen, Terminen, Rorberg.*

Gamſa.

Thermæ Brigianæ.

Ex adverſo Rhodani *latere medio milliari infra* Brigam *calidarum aquarum Fons mediis in Campis ſcaturit.* Aquas Brigianas *ſeu* Vibericas *vocant, Aquæ* Brigiæ, Bryger oder Glyſſer Bad, *Stumpf. Locus ipſe amœnus & planus eſt, cui à Septentrione Montes altiſſimi, & quorum præruptæ Rupes rectà in altum conſurgunt, imminent. Calidarum Fons ex imis rupibus ſcaturit, non magnâ copiâ, itaque duo tantum lacus gypſo incruſtati ad uſum lavantium parati ſunt, hi quòd Aqua profundo loco ſcuturiat, in Terram depreſſi ſunt, magno incommodo lavantium Aqua non defluente, niſi plenis lacubus. Calida ipſa, quo loco primùm emicat, vehementer calet, ſic tamen ut tacta non lædat: juxta illam quod mirabile & jucundum viſu ex eadem Petra frigidiſſimæ Aquæ rivulus manat. Balnea ſulphurea ſunt, ac Plagas, corroſiones, ulcera & ſcabiem ſanant: medentur etiam Spaſmo, Tremori, Catarrho, tollunt Tinnitum aurium, & ſterilitatem Fœminarum abolere creduntur. Nocent his, qui infirmo Capite, aut corpore debili ſunt, febricitantibus item &*

his

his qui ſunt Jecore & Renibus calidis. Et p. 147. ſequentia habet. Brygenſes Thermæ à Bryga, *præcipuo hujus Deſeni pago, ſic appellatæ, in quo mille & quingentis paſſibus diſtant verſùs Occidentem. Sitæ ſunt autem loco ſatis aprico & fœcundo, alniſque olim abundanti, quem Rhodanus percurrit à Meridie: ab Oriente & Occidente pratis viridibus & vitium pergulis, ſegetibuſque lætis cinguntur, à Septentrione ad Radicem Montis Munt: petroſi quidem in aſcenſu, quem ſi quis devicerit, paſcuis, Arboribus, fructibus & annona uberrimus apparet. Hic olim fons balnearum ſcaturiebat, tepidus ob commixtionem aquarum frigidarum ſub iiſdem ſcopulis emanantium, ut eâ de cauſâ tempore hyemis inutilis exiſtebat: æſtate vero labente, quendam parvum conficiebat, in quo accolæ ſordibus labore & ſudore acquiſitis ſe lavare & purgare ſolebant. Tempore vero labente, natura & vi aquarum longo uſu & experientia cognita, circa* 1471. *annum* Antonius Walker *publicæ utilitati ſtudens, magiſtratum adiit, ab eoque (quoniam in loco publico effluebant) licentiam ædificandi cum aliqua ſumma Pecuniæ & Privilegiis impetravit. Hic fontem verum maximis laboribus & expenſis quærere cœpit: atque extructo diverſorio, effoſſâ Terrâ fornicibuſque factis, & rupibus excavatis ad octo ſorte paſſus, limpidum & calidum rivulum per petrarum fiſſuras proſilientem ab aquis frigidis conatus eſt, & larignis canalibus incluſum ad loca in terra excavata (quas Capſas vocant, ſimiliter ex materia larigna factas) deduxit. A.* 1521. Petrus Ovulius Brygienſis *diverſorium amplius fecit, aliiſque ædibus adjunctis, hortis pulcherrimis decoravit, pergulis ſuper thermas inductis, conductoque æris foſſore, maximo pretio à loco ſupra dicto fontis, ad ſex paſſus vivo ſcopulo exuſto, originem perſcrutatus ad calidiorem fontis venam pervenit, & has Thermas una Capſa addita (binæ enim tantum antea fuerant) ſecluſiſque melius aquis frigidis reſtauravit, & omnia capaciora ac meliora reddidit.*

Harum

Harum thermarum aqua limpida eſt valde ſulphur olens, cujus & multum emittit, quodque arefactum cum uritur, odorem ac flammam diverſis coloribus ut commune ſulphur reddit. Menſe Majo, cùm Prata rigantur, abundantiùs effluit, obſtructo meatu & Canali altiùs poſito, effluere deſinit. Cocta in ſartagine pulverem ſubcinericium relinquit, odore ſulphuris, cum quodam Sapore dulci & aſtringente, unde conjicio aliquam ejus partem ſeu portionem eſſe aluminoſam, cum Sale ſeu nitro mixtam. Omnia vitia cutis expurgat, ſuccurrit igitur alphis, leucis, ulceribus antiquis & malignis, nervoſque contractos calefacit & emollit, mitigat dolores, Podagræ medetur, mulieres ſteriles conceptui idoneas facit. Auxiliatur ſurdis, tinnitui aurium, tremori, Spaſmo & Catarrho. Ventriculum ſubvertit, febrientibus & qui debilitati ſunt & Nephriticis nocet.

Viſitavimus & nos *Thermas* haſce, quas invenimus præcalidas in ſuâ ſcaturigine, ſed hodie exoleti ferè uſûs. Non adeſt Hoſpes, nulla lavacra, exceptis cupis duabus ligneis, quas ponunt ſub ipſam rupem loco obſcuro, nullâ luce diurnâ illuſtrato. Clar. *D. Mannhaft* Brigenſis Medicus, qui multam nobis humanitatem teſtatam fecit, præcellentiores has Aquas Leucenſibus æſtimat in curâ Arthriticorum, & Febricitantium, qui ſc. intermittentibus laborant, atque ſimul innuit eſſe Brigenſes quoſdam, qui culturam hanc Thermarum ſibi habeant pro commendata, eaſque aperire denuò ſibi præſumant. Et eſſet ſanè optandum, ut id effectui darent Incolæ! Sic enim pluribus pauperioris Gentis hominibus ſubveniretur, quibus Iter in Thermas Leucenſes moleſtum partim ob longinquitatem, & difficilem acclivitatem Viæ, partim ad ſumtuum impendendorum neceſſitatem evitandam. Examinata hæc Aqua ſequentia exhibuit Phænomena. Ex Mercurio ſublimato, Spiritu Æruginis ⦶ pulv. ⊖ ʌ'. ♋s & ▽ ſurgit fumus copioſior, Aqua tamen manente diaphana. Ex ⊖ ♀ lacteſcit, odoris eſt ſulphurei pellucida. Frigida, quæ extra rupem ſcaturit, etiam ex ol. Tart. per del. lacteſcit, & odore ipſo progeniem ſuam ſulphuream prodit.

Sub

Sub Gliſa (Simler. Vall. p. 17.) Veſpianorum Conventus *incipit, ad has pertinent proximæ Alpes verſus Meridiem & ampla in his Valles* Saſſia & Mattia, *per has duo fluvii ex Alpibus deſcendunt, qui in unum confluunt prope* Staldam *Pagum, atque ambo* Viſpæ *Nomen habent* (Viſp.) *Veteribus, ut arbitror; Germ. dicti* Viſpach, *quod piſculentum Rivum ſignificat: ab hoc Fluvius, præcipuus pagus, & totus hic Conventus nomen accepit. Prior Fluvius in Valle* Saſſia (Saſſer Thal) *duobus Fontibus oritur, quorum orientalior eſt in Monte* Antrunio (Antrun) *ſupra* Almengallum (Almengall.) *alter in Monte* Martis, *quem* Foe *Seduni* (auf Fö & Magganam, Montem Magganaberg) *Itali vocant. Juxta hos Fontes duo Itinera patent ad* Verbanum Lacum, *per* Vallem Magginiacam (Maggianathal) *item* Seſſitem Novarienſis Diœceſis. *Inter eoſdem* Saſſa, (Saſs) *Pagus poſitus eſt, unde Valli nomen. In Monte autem qui ad Brigianos vergit,* Termina *pagus* (Terminen) *eſt ſitus: alter deinde Mons paſcuus inter* Saſſiam & Mattiam *vallem poſitus* Grenchiam *Pagum habet, huic vicinus eſt* Rietbergus (Rietberg) *Mons optimis paſcuis abundans.* Grenchiæ (Grenchen) *natus eſt* Thomas Platterus, *qui à lata rupe imminente paternis ædibus, quæ illic in perpetuam Cl. Viri memoriam oſtenditur, nomen accepit.* Grenchianus *etiam fuit* Lithonius *patruelis* Platteri, *qui in* Argentinenſi *Scholâ dicendi Artes unâ cum utrâque Linguâ Latinâ & Græcâ magna cum Laude docuit, & Juvenis adhuc magno omnium ejus Scholæ Profeſſorum mœrore obiit,* A. 1543.

Veſpianus Conventus *Viſpa.* *Grenchia.*

Mattia Vallis (Matthal) *incipit à* Monte Sylvio (Sylvius Salaſſis, Roſa, Auſtelberg Mercato, Germ. *vulgò* Glettſcher *à Glacie Alpinâ per totum Annum ibi reperiunda, per hunc Iter eſt ad* Salaſſos (Augſt Thal) & Aiazam Vallem (Aiatia, Aliazia vallis, Aiazer Thal) & *quam noſtri vocant* das Kremerthal, *quòd hujus Incolæ per varias Regiones oberrent, merces diverſi Generis circumferentes, hac via per Glaciem inveteratam aliquot millibus iter faciendum eſt. Ex* Monte Sylvio *ubi colles ſunt* Finilæ (Finilen) Aroleita *Mattia Vallis.*

Qq (Aro-

(Aroleit) & Moutæ (in Mutt) *deſcendit alter fluvius* Viſpius 35000.*paſſuum ſupra* Veſpiam, *infra hunc milliari uno Vallis ad Latus dextrum Montibus ſe inſinuat, quæ à Pago proximo* Dæſa *aut* Tæſt (Teſt, Deſch) *nomen accipit: pari ab hoc ſpatio diſtat Pagus* Gaſa (Gaſſa) *prope quem Cryſtalli pulcherrimæ ex Alpibus effodiuntur: ab hoc inferior pars Vallis* (Gaſſenthal) *nomen accepit. Milliari uno infra* Gaſam *duo Fluvii prope vicum* Staldam (Stalden) *confluunt, atque deinde uno Flumine 6000 paſſuum infra Gundem ſub Veſpiano vico in Rhodanum influunt.*

Veſpia. *Super confluentes* Viſpæ & Rhodani Veſpiæ Vicus (Viſp) *habitatur, Caput tertii* Conventus Valleſianorum, *duo hic Templa* S. Martino *unum & alterum* D. Virgini *extructa ſunt, ſupra Pagum quondam Arx fuit, quæ unà cum Pago proximo propter amœnitatem Arx pulchra* (Hüpſchburg) *Germanico Idiomate appellata fuit, poſtea veteri appellatione aboleta à* Viſpa *Fluvio nomen accepit. Hoc loco quondam ſedem habuerunt* Veſpiani Camites (Graffen von Viſp) *Magnæ apud Sedunos authoritatis, & potentiæ: horum familia extincta* Blandræ Comites (Graffen von Blandra) *illorum hæreditatem adiere: ex hac familia* Blanderana *Comitiſſa* Veſpianorum A. 1365. *cum Filio* Antonio *ad Pontem Rhodani prope* Nateras *cæſa eſt: cauſa & Author cædis in Literarum Monumentis non traditur: Arx deinde* Veſpiana (Viſp) à Petro Sabaudiæ Comite *capta & diruta eſt, forte eodem bello, quo* Mangepaniam *arcem ab eodem dirutam ante ſcripſimus.* Veſpiæ Amadeus Sabaudiæ Comes *à* Gomeſianis, Brigianis & Veſpianis *prœlio victus ad* 4000. *hominum amiſit. Habitarunt quondam* Veſpiæ *Nobiles Familiæ* Ulricorum, *item* Siliniorum, Hengartiorum *ſeu à* Platea, & Werriorum, *quæ adhuc florent. Neque hi tantùm, ſed quamplurimi alii Nobiles* Veſpiæ *olim habitarunt, ita ut aſſerant omnes ferè nobiliſſimas Familias totius Valleſiæ Veſpia ortas eſſe: ac tanta olim Nobilium eo loco frequentia fuit & is faſtus, ut haberent proprium Templum, quo à Plebejis diſcernerentur, cùm quibus ejuſdem ſacris ædibus uti dedecori ſibi putabant.*

Ra-

Raronia, (Raron, Raren) *vicus ad dexteram* Rhodani *ripam* 8. *millia paſſuum ſub* Veſpia, *Caput* Raronii Conventus, *duo templa habet*, S. Romani *in editâ petrâ ſupra vicum*, *alterum* S. Germani, & *ipſum extra pagum in plano extructum. Juxta* S. Romani *Ædem in eadem Rupe Turris* & *Ruinæ Arcis* Raroniæ *viſuntur: Etenim in his locis olim Imperium habuere Barones* Raronii, *vetus* & *nobiliſſima Familia.* Münſterus *addit* Othonum *tempore* Raronios *numeratos inter* 4. *Barones Imperii*, *ac alio nomine* Barones *ſeu Dominos de* Thuſis *appellatos*, *id unde habeat ignoro*, *poſterius nomen Rhæticum eſt*, *qui* Tuſcianum *vicum*, *quondam Oppidum ita appellant*, *ſed nulla illic Baronum hujus nominis mentio. Ex hac Familia ante annos* 300. Petrus Raronius Sedunorum *Epiſcopus fuit*, & *eundem Epiſcopatum ex hâc Familiâ* Wilhelmus II. & *poſt* Wilhelmus III. Guiſcardi Raronii *hic Filius*, *ille Frater*, *adminiſtrarunt. Verùm Bello inter* Raronios & Valleſios *orto*, *Sedes eorum* & *Arces dirutæ ſunt*, *pace autem facta* Raronii *nihilominus extra Valleſiam manſere*, *quod nollent plebis inconſtanti voluntati denuò ſuam ſalutem cum vitæ periculo committere.* Petrus *aut potius* Petromannus Raronius *Matre* è Toggenburgenſium Comitum *Familiâ natus*, *poſt* Friderici Comitis *poſtremi obitum* Comitatum Toggiorum *adeptus eſt*, *quem deinde* Ulrico Abbati S. Galli *vendidit*, *ipſe in* Monaſterio Rüti Pagi *Tigurini mortuus* & *ſepultus eſt. Hunc nonnulli* Guiſcardi *Filium* & Wilhelmi III. *Fratrem fuiſſe arbitrantur: Eſt autem hic ultimus è* Raroniis, *cujus in Domeſticis Hiſtoriis mentio fiat.* &c. &c. Raronia.

A Raronia *verſùs Meridiem ultra* Rhodanum *inter* Veſpiam & Thurtmannum (Dortmann, Dortomannia) Pagum *Montes paſcui ſequuntur*, *in quibus villæ complures ſunt* & *ignobiles viculi* (Ennd Terbil, Burgen, Birthen, Eggen, Underbachen, Aergiſch *Stumpf*) *qui* Raroniis *parent. Eodem loco eſt* Vallis Eſcholia (Eiſchol) *in qua ſunt* Argenti fodinæ.

Thurtmann. Thurtmanni *eadem eſt cum* Briga *altitudo; ſi hodiernæ obſervationi ſub Veſperam in Hoſpitio* Domini Gaſmeri, *Equitis Aurati & Gubernatoris, viri* 86. *Annorum vegeti adhuc corpore & Anima, factæ, cui tamen non adeò credere fas eſt. In eodem enim loco* (27". 8½'".) hîc ac Brigæ Mercurii altitudo. 26.6. P.

Dies 14. Auguſti.

Geſtilen. *Verùm infra* Raroniam *ab eâdem Fluminis parte* Geſtila *vicus eſt*, Geſtelen, Geſtilen, *quem* Caſtellionem inferiorem (Under Geſtelen) *appellant*, & *prope hunc Ruinæ* Turriana Arx. *Arcis* Turrianæ (Zum Thurn) Turriana *Familia olim in Valleſiis potens fuit*, & *hanc Arcem* Turrianam, & *proximam vallem* Letſchianam, *item* Ajentum, Ayant *prope* Sedunum & Contegium (Gundils) *in* Veragris *poſſedit*, *præterea in Helvetiis* Laupa (Laupen) & Fruttingia Vallis (Frutinger Thal) *illis paruerunt*; *ſed poſteaquam* Antonius Turrianus Guiſcardum Sedunenſem Epiſcopum *per inſidias crudeliſſimè trucidavit*, *bello victi & bonis exuti ſunt*, *eorumque* Arx Turriana & *cæteræ munitiones dirutæ ſunt.*

Obſervat *Stumpfius*, ſupra & infra *Raroniam* creſcere proventum vini, eſſeque hujus diſtrictus vina alba grata admodum & ſana.

Luntza. Luntza fluvius (Luntza) *ex altiſſimis Montibus ſupra* Raroniam *ortus infra* Geſtilam Rhodano *miſcetur*; *hîc Finis eſt* Raroniæ Decumæ.

Vallis Letſchia. *Eodem loco* Vallis Lettſchia (Lettſcher Thal) *verſùs Septentrionem inter altiſſimos Montes viculos complures habet & præterea* Plumbi *Metalla. Per hanc vallem & montem* Lettſchium (Lettſcherberg) *Iter periculoſum, & in quo multi præcipitio pereunt*, *ducit ad Helvetios in Vallem* Fruttingam. *Lettſchiæ Vallis præcipui pagi & viculi ſunt* Blatten, Kiematten, Wiſſen Matten, Wyler, Rechetten, Kippil, Ferden, ap. *Stumpf.* Lib. XI. c. 8.

Leucianus Conventus. Leucianus Conventus (Der Leuker Zeenden) *qui* Raronium *ſequitur*, Calidarum Aquarum *ſaluberrimis Balneis celebris eſt. In hoc ex* Gemmio *Monte per* Balnearum Vallem

lem (Badner Thal) Dala *Fluvius in* Rhodanum *influit*, *ſupra hunc* 6000. *paſſuum à* Balneis, Leucia, (Leuca, Leuck, Louck) *Vicus caput* Conventus Leuciani *poſitus eſt*, *loco naturâ admodùm munito: à Meridie enim* Rhodano, *ab occaſu* Dala *Fluvio cingitur*, *uterque tranſitu difficillimus ponte jungitur*, *cui* Caſtellum *ſuperimpoſitum viam munit: à Septentrione prærupto Monte clauditur*; *ad Ortum verò exiguæ fauces inter Montes* & Rhodanum *Iter anguſtum* Raroniam *verſùs relinquunt.* Raronii Barones *Caſtellum quoddam in hoc vico olim incoluere*, *id Bello* Raronio *dirutum eſt*, *ſicuti etiam Arx Epiſcopi*, *quæ tamen poſteà reſtituta*, *nunc quoque durat. Leuciæ plerumque Comitia eligendis Magiſtratibus*, & *cognoſcendis Controverſiis*, *ab Epiſcopo*, & *Legatis ſeptem Decumarum celebrantur*, *quòd locus in medio Regionis ſitus commodiſſimus videatur.* (Leuciæ Curia eſt magnificæ ſatis ſtructuræ pro Oppidi magnitudine, *Stumpf.*) *Infra* Leucias *via publica per Pontem Rhodani ad dexteram Fluvii ripam ducit*, *quo loco merces*, *quæ per Alpes in Italiam vehuntur*, *deponi ſolent.* (vocant hunc Locum *die Suſt.*) *Ibidem vaſta quædam eſt vorago*, (der Ullgraben) *quam Torrentes*, *qui in* Rhodanum *evolvuntur*, *effecere*, & *hoc loco* Leucam *quondam ſitam fuiſſe tradunt. Prope* Leuciam *Campus eſt*, *qui à gemitu nomen habet*, Gemens Pratum (Seuffzmatten) *vulgò nominatur propter prælium quod A.* 1318. *in his Campis factum fuit.* *Leucia.*

Circa *Leuciam* vinum egregium provenit rubrum generoſum, quod laudat *Stumpf.*

Quatuor millia ferè paſſuum infra Salges (Salgeſs) *vicus ſequitur*, *cum Eccleſia D. Johannis* & *Equitum Rhodiorum æde*, *cujus Authorem ignoramus.* *Salges.*

Infra Leuciam *Gallicâ Linguâ utuntur*, *ſuperiores Germanicâ*, *in ipſis tamen vicis celebrioribus*, Leucia, Sideris & Seduno *utraque Lingua paulò lautioribus in uſu eſt*, *ſed extra hos vicos agreſte vulgus Gallicâ tantùm Linguâ eaque ita barbarè utitur*, *ut vix à Gallo intelligi queat.* Imò verò per totam ferè *Valleſiam* frequens admodùm auditur qua-

druplex Lingua, Latina, Gallica, Germanica & Italica, nec apud lautiores tantùm, ſed ſæpè apud infimos Plebis homines, quod in Laudem Valleſiorum, quibus frequens propter viciniam eſt cum Bernenſibus, Uriis, Genevenſibus commercium, dictum ſit.

Nos hactenus *Simleri* ductum ſecuti, nunc ab eo divertimus, & *Leucam* tranſeundo, Montem, in quo Thermæ ſitæ ſunt, conſcendemus, & porrò per *Gemmium* Montem trajiciemus in Territorium *Bernenſe*.

Venti Valleſiam perflantes. Antequam autem Vallem deſerimus, obſervare non abs re erit, *ventos*, qui Valleſiam perflant, præcipuos eſſe vel occidentales, vel orientales, hi quoniam ex Italiæ Vallibus ſpirant, calidi ſunt ut plurimùm, præcipuè ſi Dominium obtineat Auſter; illi frigidi admodùm ſunt, & communiter *die kalte Fön* vocantur, quoniam ex ſummis Alpibus nivoſis & ſupra deſcriptis ſpirant, iſti denique ſunt ut alibi pluvioſi. Boream rigidum arcent, altiſſima Juga, quæ *Valleſios* à *Bernenſibus* diſcriminant, quapropter uberrimus hic eſt Vini & aliorum fructuum proventus, major is tamen in inferiore Valleſiæ parte, quàm ſuperiore propter ſitum profundiorem, & a Jugis glacialibus diſtantiorem.

Fontes minerales. Venæ metallicæ. In Alpe *Aſp* Parochiæ *Leucianæ*, *Fons* eſt *Sulphureus* febrifugus, qui ſcabiem quoque curat, internè & externè uſurpatus. Ibi quoque ſunt Venæ ♀ & ☉ Et.

In Alpe Bagnies Venæ ☉.

Per Pagum *in Inna* devenimus in *Thermas Leucianas*, *Leukerbad*, cujus nominis eſt ipſe pagus, Hoſpitia advenis præbens, ad Radices *Gemmii* Montis ſitus, & altiſſimis Jugis circum circa ſeptus. Thermarum hic Pagus Mercurium in Barometro exhibuit poſt meridiem hujus Diei tempore ſereno

24. 4. P. 21″. 9‴. Unde patet, elevatiorem eſſe Brigâ, vel Dortumanniâ, ſi hæc ejuſdem ſit cum illa altitudinis 1560. ped. Vieſchâ 700. Geſtilâ ſeu Caſtellione ſuperiore 80. Altorffio 2000. Tiguro 1660. vel 1640. aut 1680. depreſſiores autem Furcâ 2000. Gothardo 1920.

Dies

Dies 15. Auguſti.

Conſecratus eſt hic Dies partim examini Aquarum Mineralium, partim Itineri trans Gemmium Montem.

Thermæ Leucenſes, Leucinæ, Leucianæ, Leucenæ Georgio Agricolæ, Germ. *Leukerbad,* deſcriptæ extant apud *Wagn. Helvet. Curioſ.* p. 100. *Siml. de Vall.* p. 20. b. *Collin. de Sedunor. Thermis* apud *Siml.* p. 143. & peculiari Libro à *Conſtantino Caſtello* Med. D. & Phyſico Valleſio Sedunenſi, qui duplici Idiomate Germanico & Latino extat Lugd. & Sedun. 1647. in 8°. imò etiam Gallico, ſed duntaxat in MSC. quod in hoſpitio ad Crucem Albam vidi. Optima mihi videtur *Colliniana* Deſcriptio, quam proin huic loco inſerere ſpeciatim ob raritatem Libri conſultum duxi. *Thermæ Leucenſes.*

Leucenſes *itaque* Thermæ *à* Leuca *præcipuo hujus Deſeni pago nominatæ, duodecim millibus paſſuum à vetuſtiſſima Urbe Seduno (unde & populus nomen ſumſit) ad Orientem diſtant: A paſtoribus pecudes ſuas æſtivo tempore illic paſcentibus, vel ut alii, quibus magis aſſentior, à Venatoribus inventæ ſunt. Locus enim hic olim horrendus, difficiliſque aditu, nam ab oriente clauditur glacie altâ, & quæ habet fiſſuras profundiſſimas: à meridie habet montem invium & inacceſſum: ab Oriente verò Nemora denſiſſima & tenebroſa (ut ab his locis appellatus ſit eorum idiomate* sholz im Thal, i.e. Vallis nemorum) *ſaltus excelſos & Rivum Dalam æſtivo Tempore excreſcentem, ut vix ſuo contineatur alveo, & hac nunc iter eſt ad Oppidum* Leucam; *à Septentrione adeò præruptum Montem habet, ut accolæ & aliarum Nationum homines, profunditatum non aſſueti, hunc aſcendentes, & magis etiam deſcendentes, oculos propter vertiginem capitis velare cogantur, ideòque Monti ipſi, quòd nonniſi cum crebris & maximis gemitibus ſuperetur; nomen inditum* Gemmi. *Denique is locus erat, in quo nemini habitare quàm Hamadryadibus Nymphis & feris: accedere autem illis ſolis, qui has inſequerentur, liceret. Annis aliquot poſt elapſis, ſemitis à Venatoribus oſtenſis & tritis,*

tis, cum propter ferarum copiam, tum maximè ob fontis utilitatem etiam alii incolæ eò ſeſe contulerunt. Deinde paſtores hæc veſtigia ſecuti illic pecudes ſuas paſcere, magalia Caſaſque (ob accolarum adventum, & quia Sylva herbarum fertiliſſimæ ſunt) ſtruere cœperunt. Quò vero tempore id factum ſit non conſtat: turris tamen antiquiſſima jamque ruinam minitans, evidentibus argumentis oſtendit, ante aliquot ſecula hæc accidiſſe. Hanc quidam conſtructam à quodam Nobili Mans *affirmant, contra vim prætereuntium militum: nam tranſitus fuit frequens, poſtquam vallis inhabitari cœpit. Non quidem per eundem locum, qua jam iter eſt, ſed paulò ſuperius, cujus viæ veſtigia adhuc pauca ſuperſunt & videntur.* Manſius *ille quiſquis fuerit poſteà propter diſſenſiones civiles vel alias ob cauſas in Italiam migravit. Sunt tamen qui ædificatam putent à Nobili* Antonio de Turre, *ſive ab ejus Majoribus, ut eſſet propugnaculum contra vim Bernenſium, quorum opinio mihi non probatur: Nobilium enim* de Turre *juriſdictio ex altera parte Montis* Gemmii *erat, ubi excelſam & munitiſſimam arcem extruxerant, nec uſquam memoriæ proditum eſt, locum, in quo hæ thermæ ſunt, ad eos pertinuiſſe. Hoc autem tempore vallis exigua quidem, ſed ſatis amœna, & aprica eſt, ſylva illa denſiſſima extirpata ſoloque exculto, & extructis ædificiis (ut Loci ratio fert) ſplendidis, ut ubique circum has Aquas medicatas prata florentia colleſque virentes appareant. Fontes ſunt quinque præcipui diverſis in Locis ſcaturientes atque ab Oriente in Occaſum effluentes. Quorum primus & maximus ad molam impellendam ſufficiens eſſet, oritur in publica via, ubi ſaxum ingens ſuperimpoſitum eſt inſtar menſæ. Hic in tres partes ſive canales derivatur: duabus incolæ ad uſus domeſticos, & præcipuè abluendas veſtes aliaſque res utuntur: tertia verò pars in maximum lavacrum defluit: viginti forte & centum pedum circumferentiam habens, quod ex utrâque parte tectum habet, binis columnis impoſitum; aliquâ tamen parte ſub diò relictâ, ab Oriente in Occidentem, ubi aqua effluit, quum lava-*

lavacrum purgandum eſt, qua vero tectum eſt, muro circumdatur. Tres habet Cameras, quarum una viris, aliæ duæ contiguæ fœmineo ſexui dicatæ ſunt. Quin & alter ſonticulus hoc lavacrum influit ſub diverſorio, cui Albæ Crucis inſigne eſt, emanans, quæ pars abſque ullo tecto eſt. Quarta item pars duo alia minora conficit balnea, quorum alterum olim in gratiam hoſpitum honeſtorum & clarorum factum erat: jam verò ſolùm malè affecti & exulceratis membris, qui nauſeam cœteris hominibus moverent, hoc ingrediuntur. Alterum in Chirurgorum uſum factum, illis hodie quoque inſervit. Hæ thermæ olim ad ſtrenuum Perinnum Otſchier Ducem Sedunorum pertinuerunt, nunc ad Rev. Card. Matthæi Schiner *Comitis & Præfecti Sedunorum hæredes. Hic tribus domibus inchoatis à R. D.* Jodoco de Silinen *Epiſcopo (qui tempore Cæſaris* Friderici Sedunis *præfuit, ut Stumpf.* refert) *atque una tantum abſoluta è regione harum thermarum reliquas duas perfecit, & ſub his verſùs Occidentem in prato duo egregia & amœna balnea extruxit, quæ jucundiſſimum proſpectum habent in colles virentes & ſaltus altiſſimos, in quibus interdum venationes Caprearum, & iter per Montem* Gemmium *cernitur. Hîc quum lavandi tædium obrepſerit, cœlo ſereno juvenes procaces, veneres ſalaces, in pratum deſcendere luſus chorearumque gratiâ ſolent: ſpectatum veniunt, veniunt ſpectentur ut ipſæ. Fons oriri videtur ſub ædificiis ſupra dictis, canali deducitur ad locum Balneorum, in quo per ſaxeos Canales dividitur in lacus in terra excavatos, & muro lateritio cinctos.*

Quartus Fons leproſorum dictus, ex multis hinc inde confluentibus rivulis conſtat, ſub turre illa cujus ſuprà mentionem fecimus in pratis. Hoc primum uſos fuiſſe homines puto, quia à mole hybernalium nivium magis tutus ſit: Quin & Turris ipſa ſatis pro argumento eſſe poteſt. Poſteà verò creſcente confluxu advenarum, cùm hic fons non ſufficeret, apud inferiores, quorum meminimus, vallis poſitis contra moles nivium ipſe vicus extructus eſt: huc vero ſe jam homines leproſi, & alii ulceribus & plagis apertis laborantes conferunt.

runt. Quintus & ſupremus fons ſalubris appellatur, quia præ cœteris homines ſanare & ulceribus & ſcabie affectis cutem citiùs inducere creditur, calidiorque reliquis creditur ac videtur: ſitus eſt verſus Orientem prope rivum Dalam, de perpetuis nivibus & glacierum fiſſuris decurrentem: & ut prior ex multis rivulis colligitur. Huc ſeſe conferre ſolent, qui tempus balneandi ferè confecerunt, quin etiam qui præ frequentiâ hominum aliàs convenire, & confabulari nequeunt, huc ſe conferunt interdum ſub ſpecie lavationis alia agentes. Eſt præterea frigidus limpidiſſimuſque fons non procul à maximo balneo verſus meridiem, Deiparæ nomine inſignitus, quoniam in Majo vel ſaltem ſub finem Maji proveniens, in Auguſto circa feſtum aſſumptionis fluere deſinit. Quæ hujus rei ratio ſit, meam ſententiam proferam. Fons hic originem ducere videtur à nivibus vel glaciebus illis perpetuis, quæ cum incipiunt liqueſcere, ut in Majo fit, aquæ earum per canales ſubterraneos defluunt, ibique ebulliunt, quum verò calor deficit ſole averſo, ut fit in fine æſtatis, fons iſte curſu ſuo deſtituitur: promanat enim cum ver eſt calidius ſolito citiùs: aliquando ſub initium Menſis Maji, quum alias ſub finem ſolitus ſit: æſtate verò calidiſſimâ etiam ad finem Auguſti perdurat. Vidi & animadverti anno abhinc ſexto, cum in Menſe Junio abundè flueret, deinde cùm tempus frigidum & nubiloſum ſubſequeretur, prorſus curſu deſtitui. Redeunte vero calore æſtivo, æſtuque caniculæ flagrante cœloque ſereno poſt aliquot dies eodem ut antea curſu ebullire. Hoc fonte Balneantes plurimum non tamen ſine magno ipſorum diſpendio utuntur, quia clarus & frigidiſſimus eſt, atque ideò gratus æſtuantibus ex calore vehementi Thermarum.

Hactenus de deſcriptione Thermarum, jam de earundem vi & naturâ dicemus; Aqua itaque earum nullius odoris eſt; minera verò, per quam defluit (unde & naturam & vim tantam accipit) cuprea ſive ærea, majori tamen ex parte Auro abundat cum aliqua portione calcis, ut Clar. Viro Adamo Clarino *apud* Friburgum Nuithonum *Medico videtur. Terra*

ra enim, ubi emanat & defluit, rubra eſt, ſimilis fermè bolo armeno, quo colore etiam lapides tinguntur, deinde aliquid albi in ſuperficie: etiam quicquid inciderit aquam, ubi non fortiter currit, huic albus lapis increſcit ſimilis colore & guſtu calcis. Lapidem conficit latum in Canalibus, cujus duæ partes, videlicet ſuperior & inferior rubræ ſunt, interior alba. Præterea harum thermarum aqua turbida cernitur in alborem vergens quaſi Calx, menſe Majo tribus vel quatuor diebus, reliquis vero anni limpidiſſima. Quare hac Anni parte Seduni præſertim eâ utuntur, quia arbitrantur (ut revera eſt) eo tempore ſaluberrimam. Et præcipuè ſi Aprilis & Majus ſqualidi & calidiſſimi fuerint, quoniam ut plantæ tum in ſuo vigore ſunt, ſic & mineralia æſtimantur florere.

Ægritudinibus autem quam plurimis hæ thermæ medentur. Cùm æs ſive Cuprum medium quaſi ſit inter Solem & Lunam, Venerique attributum (ut Chymiſtæ aſſerunt) calidum & ſiccum in tertio gradu, atque ideò calefaciat, reſolvat, abſtergat, exſiccet, ſtipicet, & incarnet, frigidis maxime & humidis morbis conferunt. Calx autem, quâ certo tempore abundant, ut ſuprà dictum eſt, calida eſt & ſicca ad quartum gradum, quamvis aliquam eſſe minoris caloris & ſiccitatis quidam tradant: tamen omnis calefacit, exſiccat, abſtergit ut æs, at proprium habet, quòd maxime mordicet atque mundet, quapropter carnem putridam in vulneribus præſertim Majo Menſe non ſinit creſcere. Ratione igitur horum mineralium, quibus morbis medeantur hæ thermæ, ac quibus obſint, & noceant, ex vi & naturâ earum colligi poteſt. Nam ſi calefaciant, exſiccent (quod commune eſt omnibus thermis pro ratione materiæ ejuſque qualitatis, quam percurrunt, & vires hauriunt) aſtringant, mordicent, mundent & incarnent, etſi remiſſius quam mineralia, ſequitur contra morbos frigidos & humidos valere. Contraria enim (ut inquit Medicorum facile Princeps Hippocrates) contrariis curantur. Omnes itaque corporis partes perquiremus, & quibus morbis in uno quoque membro accidere ſolitis hæc aqua auxilietur, enarrabimus.

Principibus vitæ partibus confert, ut cerebro, cordi & hepati: cerebro quidem ex frigido humore nimio laboranti, unde Catharrus & aliæ ſpecies Rheumatis, Branchus & Coriza, Oculis caligantibus & lippientibus, Auribus, Ori, Tonſillis & Uvæ ſuccurrit. Cor autem langueſcens roborat; ſtomacho & facultati concoquenti debilitatæ maximè prodeſt & appetitum edendi excitat. Hepaticis doloribus opem fert, debilitati pulmonis, Aſthmaticis ſpleneticis, vulvulo & Nephriticis convenit, hydropis ſpeciebus omnibus auxiliatur. Ventrem ſolvit pota, ſed ſtranguriam movet. Uterum mulieribus langueſcentem confirmat, calculoſos & febres ſanat, & colicâ paſſione laborantes. Juncturarum languoribus, ut iſchidiacis, podagricis & ſpaſmo medetur. Nervos contractos laxat & roborat: his qui deſtituuntur uſu membrorum atque aliis partibus nervoſis, ut Paralyticis ſuccurrit. Initium lepræ curat ſanguinem purificans, ramici, & illis, qui laborant Calculo veſicæ, convenit. Conſolidat oſſa confracta, laſſitudinemque tollit. Ulceribus malignis, tibiarum fiſtulis & aliarum partium corporis apoſtematibus, ſcabiei cujuſcumque generis ex frigiditate provenienti, & impetigini medetur. Vulnera non bene conglutinata & ſanata aperit, purgata mundataque à ſordibus & carne putridâ conſolidat.

Nobis ſequentia obvenerunt circa has Thermas.

Ex ♀ ⊖ in lacteam craſſam turbatur mixturam præcipitatis ad fundum floccis nivei coloris.

Ex Ω ϕ. ϕ pulv. ⊖ ʌ′ Ω ⊕ ☿ + ſolut. nulla ſequitur mutatio.

Ex Aqua forti affuſa ſurgit fumus efferveſcentiæ index.

Ex pulvere Gallarum ſubfuſcus emergit color.

Crocus canalibus accreſcit Flavus atro calore quandoque intermixtus, ſaporis acidiuſculi adſtringentis, qui cum ∇ inſtar Limaturæ Martis efferveſcit. Impoſuit hic Scriptoribus, ut Auro attribuerint paſſim Virtutes Auro quovis pretioſiores, quas a nullo auro obtineas facilè. Reverà tamen Proſapiæ eſt Martialis, & quicquid interno externove præſtat uſu, præſtat id de obſtruendo & abſorbendo, uti aliæ plures id genus Aquæ in Helvetia paſſim obviæ, licet non eo præditæ caloris gradu,

gradu, quo Leucenſes, vel prorſus frigidæ ex omnibus Fontibus. plus croci fert medius in medio campo ſub dio proſiliens, *Das Goldbrünnelein* dictus, quem proin pro uſu interno reliquis anteferrem.

Ad 200. *paſſus ab hoc fonte (calido) ſcaturiunt alii Fontes frigidiſſimæ Aquæ, è quibus maximus à Majo Menſe ad Septembrem uſque fluere ſolet, cœtero Anni Tempore Aqua caret. Vulgò D. Virginis Fons nominatur, quod à Feſto Mariæ, quod in vere celebratur, uſque ad Feſtum Aſcenſionis perennis ſit.* Hæc *Siml. Vall.* p. 20. b. Hujus iiſdem fere terminis meminit *Collinus de Sedun. Thermis* p. 145. b. inſuper addens, *hoc Fonte balneantes, plurimum non tamen ſine magno ipſorum diſpendio uti, quia clarus & frigidiſſimus eſt, atque ideo gratus æſtuantibus ex Calore vehementi Thermarum.* Ex his ſua hauſit *Wagner. Helv. Cur.* p. 134. De horum Fontium Majalium regulari fluxu, ejuſque cauſis alibi verba fecimus. *Fons Majalis.*

Nunc ſuſtinendi veniunt nobis ultimi, quos ὑπερφοῖται nobis propoſuimus Labores, conſcendendus nempe præruptus & altiſſimus Mons *Gemmius*, & per anfractuoſos quidem Petris ipſis paſſim inciſos, trabeculis ligneis veluti ponticulis atque muris ſuffultos mæandros, qui vertiginoſis facile timorem incutiunt & tremorem. *Gemmius mons.*

Gemmius, Gemmi, Gemmiberg, Gämmi, Gæmmi, altiſſimus & præruptus apud *Valleſianos*, qui tranſitum præbet (æſtate ſcil. hyeme enim eſt impervius) euntibus ex *Valle Fruttingenſi* (*Fruttiger Thal*) in *Thermas Leucenſes* (*Leuckerbad*) & fontem *Damæ* aut *Dalæ* fluviolo, qui poſteà *Rhodanum* influit: duo milliaria ſurgit in altum juxta *Räbm. Geſpräch* p. 203. tantæ certè eſt altitudinis & aſperitatis, ut à *Gemitu* nominatum velint *Siml. Vall.* p. 21. b. *Collinus de Sedunor. Thermis* p. 143. b. Quod tranſituri montem ſæpe ob laboris & periculi magnitudinem ſuſpirent & ingemiſcant. Eſt enim à Septentrione Leucæ adeo præruptus, ut accolæ & aliarum nationem homines profunditatum non aſſueti eum aſcendentes & magis etiam deſcendentes, oculos propter vertiginem capitis velare cogantur. vid. quoque *Plantin. Hiſt. Helv.* 54.

 Tſchud.

Tſchud. Helv. Antiqua 408. In ſummitate hujus Montis Barometrico d. 15. Aug. 1705. Experimento *Zur Dauben* vi-
22. 1. *P.* di Mercurium altum 19″. 9‴. atque inde conjectavi altiorem eſſe Thermis Leucenſibus 1600. ped. Brigâ 3160. Vieſchâ 2300. Caſtellione ſuperiore 1680. Altorffio Uriorum 3600. Tiguro 3200. vel 3240. inferiorem autem Furcâ 400. Gotthardo 320. Kanderbrugg in Fruttingenſi Valle Bernenſium 2800. porro ſuperiorem. Deſcenſum ex Gemmio monte ad Thermas Leucenſes Geometricè delineatum ſiſtet TAB. XIII.

TAB. XIII.

Daubenſee. In ſummo *Gemmio* Monte Lacus eſt *der Daubenſee, Dubenſee* dictus, ad dimidium circiter milliare (non integrum) in longum protenſus, Jugis editioribus adhuc incluſus, cujus meminit quoque *Siml. de Alp.* p. 121. b. & *Wagn. Helv. Cur.* p. 58.

Saxis impreſſa veſtigia. Circa hunc Lacum videas paſſim ſaxis impreſſa undulata veſtigia, quæ forte Diluvialibus aquarum undis figuram ſuam debent, niſi effectus hoſce velimus adſcribere ipſius aquæ nivalis ſtagnationi, quæ diutinâ morâ facile petras emollire & adjuvante Aquarum è jugis altioribus verſus Lacum defluxu excavare valet. Idem Phænomenon obſervare licet paſſim in aliis Alpium Helveticarum ſummis planitiebus.

Poſtquam Gemmium Montem ſuperavimus, & in ejus jugis aliquot horis ambulavimus atque ex oppoſita parte in Bernenſium Territorium deſcendimus, appulimus veſperi in *Kandelſtäg*,
Kanderſtäg. *Kanderſtäg*, Pagum *Fruttingenſis Vallis* (*Fruttinger-, Fruttiger Thal*) primum ita dictum a Ponte, quo *Candelæ Fluvii* Ripæ junguntur. Sed porro horæ ſpatio progreſſi pernoctavimus in *Kandelbruk*, è cujus Regione eſt Pagus Vallis pri-
Fruttinga. marius *Fruttingen, Fruttigen, Fruttinga.* Hic aſcendit Mercurius hodie veſperi, & ſequenti manè tempore ſereno
26. 0. *P.* exiſtente ad 23. 4‴. unde inferre licet profundiorem eſſe hunc locum Gemmii Montis Culmine 2800. ped. Thermis Leucenſibus, quæ ſeptem horarum itinere diſtant, 1200. Vieſchâ 900. Caſtellione ſuperiore 1120. Tiguro autem elevatiorem 440. 468. vel 480; & Brigâ 400. inferiorem, porro Furcâ 3200.

Gotthar-



Vuë du Bain de LEUK en VALLAIS, & du Chemin merveilleux par où l'ong décend du haut du Mont GEMMI; long de dix mille piez.

1 & 2 Les Bains de LEUK. 3 La Source ou l'on boit. 4 Un petit pont ſuſpendu par des Chaines de fer. 5 Sentinelle. 6 Un petit Lac ſur la partie du Mont nommée DAUBE. 7 Sentinelle dans le même Mont. Pl. 4.

Gotthardo 3120. Altorſſio Uriorum æqualem, ſalvo ſemper errore Experimenti, aut etiam Calculi.

Dies 16. Auguſti.

Kandela Fluvius, *die Kandel, Kander*, è Monte *Engſtlingen* apud *Bernates* oritur, ſi *Wagn.* credimus. *Helv. Cur.* p. 76. Ex *Raivin* Monte Valleſiis contermino juxta *Stumpfium*, Lib. VIII. c. 20. ſed fallitur. *Ravinius* enim Mons, quem in Sedunenſem comitatum *Valleſiæ* ponit *Siml.* Vall. 25. b. tranſitum præbet ad Simmeam Vallem *Bernatum*, non *Fruttingenſem*, hinc corrigendus quoque venit, ut in principio *Kandelæ*, ita in progeſſu per *Simmeam Vallem, Sibenthal*, defluere vult *Kandelam*; *Simma* hæc eſt, *die Simmen*, quæ poſtea *Kandelæ* ſe jungit, ut benè diſtinguit *Gygerus* in *Mappa* ſua *Helvetiæ Geographica.* Audivi ego ab incolis oriri *Kandelam* in Alpe *Gaſter*, trihorio diſtante à *Kanderſtäg*, ad quem Pagum *Kandelæ* ſe miſcet *Alp* Rivus, qui oſtium ſuum trahit ex Lacu montano in *Oüſchinen.* *Kandela.*

A Ponte *Kandelæ, Kanderbruk*, deſcendimus per *Fruttingenſem vallem*, quæ *cinerea* audit *Aretio* in *Deſcript. Stocchorn.* p. 233. b. ubi reprehendit quoque errorem antehac de ortu & deſcenſu *Kandelæ* per *Simmeam Vallem* Tabulis Geographicis illatum. Tranſivimus autem per *Schwändi*, linquentes ad ſiniſtram *Wangi* ½. pagum, hinc per *Kien* pagum ½. hor. tandem devenimus, colle prius ſuperato, ad *Faulenſee* pagum, qui *Lacui Thunenſi* adjacet. *Fruttingenſis Vallis.*

Prope *Müllinen* haud longè à via à *Kandela* in prato medio quodam ſcaturit *Aqua Martialis* Croci flavi multum deponens, haud dubie uſibus internis externiſque apta, ſi coleretur: eſt enim ſine uſu. Examen idem ferè ſubit, quod Thermæ Leucenſes. Cum ♌ ⊕ 🜅 ☿ + nulla fit mutatio, ex ⊖ ♀ lactеſcit, cum Pulv. Gall. fuſco purpuraſcentem induit colorem, crocus ipſe cum 🜅 admodum efferveſcit & gravem ſimul ſpirat odorem. In pago ipſo ἐν παρόδῳ vidimus *Chriſtianum Mullmann*, virum centenarium adhuc vegetem. *Aqua Martialis.*

Kandela Fluvius hîc juxta vallis *Fruttingenſis* ductum ad ſiniſtram flectit, atque infra *Thunenſem* Lacum ſeſe in *Arolam* *Kandela damna.*

lam effundit: antequam autem ad oſtium ſuum pervenit, magna Fruttingenſibus infert damna, dum infra alveum ſuum non manet, ſed imperium ſuum dilatat, atque agros & prata glarea & ſaxis inundat; Ut hinc occaſionem ſumſerit Ampliſſimus Magiſtratus *Bernenſis* cogitandi de remediis, quorum ſubſidio incolis læſis ſubvenire poſſet. Inter alia autem Remedia in cenſum venit perforatio collis ipſius, vel Montis, quâ derivari poſſet Kandela in ipſum *Lacum Dunenſem*, Thunenſem, cui tamen ſeſe opponunt Thunenſes, & qui lacum accolunt cœteri Pagi, verentes ne hâc Torrentis Acceſſione tale incrementum ſumat lacus, quo περιχώρος ejuſdem ferè cum lacu ipſo Horizontis damnum pati debeat.

Ipſa *Fruttingenſis* Vallis, quam nunc peragravimus, protendit ſeſe à *Gemmio* Monte *ad Lacum Thunenſem*, quatuor ferè milliarium ſpatio. Suos primum habuit *Barones de Fruttingen* dictos, quibus paruit. Ab his devoluta eſt ad *Barones* Valeſiæ *de Turre* dictos, ex quibus tempore *Caroli* IV. Imper. A. 1365. *Antonius* dictus *de Turre Bernenſibus* vicinis multas creavit moleſtias, poſteà tamen ipſe A. 1400. Bernenſibus vendidit pecuniæ certâ ſummâ, quam ipſi Fruttingenſes ſolverunt, ut à jugo Dominii ſui ſe hoc contractu liberarent.

Thunum. Sub veſperam diei appulimus Lacu *Thunum*, *Thun*, oppidum elegans, ab ipſo *Arolæ* principio, prout id ex *Lacu Thunenſi* effluit bipartitum, ut una illius portio in *Argovia* ſita ſit, altera in *Nuithlandia*. Hoc oppidum olim peculiares habuit *Comites de Thun* dictos, à quibus devenit ad *Comites Kyburgenſis*: & ab his Nuptionis jure ad *Bernenſes*, occaſione Cædis A. 1320. patratæ in ipſa *Eberhardi* Comitis perſona, cujus facinoris inſimulârunt ipſum ejus Fratrem *Hartmannum*. Maculas à ſanguine profuſo relictas, nec ut ajunt, facilè Aquâ abluendas, adhuc in ipſa Arcis Cochleari ſcala oſtendunt. Vidi eas, ſed an veræ ſint ſanguinis reliquiæ, affirmare non potui. Plenario tandem venditionis contractu ad Bernenſes venit A. 1375. reſervatis Civium Privilegiis, quibus adhuc gaudent, & proprios ſuos Magiſtratus eligunt.

Huic

Huic oppido adjacet *Thunius Lacus*, *Thuninus* Myconio, *Dunenſis* aliis, *Der Thuner See*, ſeſqui milliare longus & dimidium latus circiter, de quo admirabile eſt, quod referunt *Aymon. de geſtis Francor.* Lib. III. c. 86. ad A. C. 615. juxta *H. Suizer. Chronol. Guilliman* autem ad A. C. 604. aquam ejus ferventem adeo ebulliviſſe, ut multitudinem Piſcium decoctam ad littus projiceret. Forſan à Caloris cujuſdam ſubterranei ibi facta proruptione. Exornant ripas hujus Lacus colles plures viniferi & juga altiora cum paſcuis ſuis Alpinis, ex quibus præcipue ſua Capita extollunt *Neſſus*, *der Nieſſen*, & *Stockhornius*, de quorum primatu diſputavit *Räbmannus* in *Colloquio* ſuo de *Montibus*; porrò circumcirca videas præter Baronatum *Spietz*, & Arces *Oberhoffen*, quam inhabitarunt quondam Barones hujus Nominis (*von Oberhoffen und Riedt*) poſt hos Barones *van Eſchenbach*: quibus ſucceſſerunt Comites *Kyburgenſes*, tandemque emtionis Jure 1400. Bernenſes, qui rurſus vendiderunt arcem hanc cum ſuis juribus Nobilibus *Nicolao de Scharnachtal* & *Ludovico de Sefftingen*, teſte Stumpf. Lib. VII. c. 22. porro *Strättlingen*, à Baronibus ejuſdem nominis quondam poſſeſſa, cujus ruinæ duntaxat ſuperſunt dirutæ A. 1383. in Bello Bernenſium contra Comites Kyburgenſes. *Schadau*, quæ nunc eſt *Erlachiorum*, *Laligen*, *Sigris*, *villa Hilterfingen*, *Schertzlingen* &c. *Thunius Lacus.*

Hîc *Thuni* Mercurii Altitudo fuit 24''. unde concludo eſſe hoc oppidum inferius Fruttinga Pago 480. ped. Gemmio 3280. Thermis Leucenſibus 1680. Vieſchâ in Valleſia 980. Brigâ 880. Caſtellione ſuperiore 1600. Furcâ 1680. Gotthardo 3600. & Tiguro ferè æquale vel 48. aut 80. ped. inferius: ſubſtitit enim hodie Mercurius in 23''. 9'''. & 23''. 9½'''. 26. 8. P. 26. 7. P.

Dies 17. Auguſti.

Thuni dum eram ſalutavi *Johannem Robinum* Med. D. Virum humanum ſimul & pium, qui plura quidem conſcripſit Theologico Myſtica ἀνεκδότα hactenus, præcipuè autem delectatur piis in *Apocalypſin* D. *Johannis* Commentariis, quos ad Caput uſque vigeſimum hactenus in 19. Tomis in 4°. Germanico Idiomate, & Dialogiſticâ Methodo produxit, in proprio

prio cerebro abſque ſubſidiis aliis omnes ſuas meditationes fabricans, & quotidie Chartæ tradens. Catalogum reliquorum ſuorum MSC. & hactenus etiam editorum inſerui meis Collectaneis Hiſtorico Biographicis Helveticis.

Chelidonius mineralis. Communicavit is mihi pro ſuâ Benevolentiâ *Chelidonios minerales*, quos reperiri dicit in Præfectura *Sanenſi, hinter Rötſchmund*, Ditionis *Bernenſis*, in foveâ quâdam vix 2. pedes lata. Sunt hi ipſi, quos graphicè deſcribit *Wagn. Helv. Cur.* MSC. ſequentibus verbis:

Pſeudo Chelidonii *Lapilli albidi, lutei, cinerei, atque cærulei, diverſarum figurarum, oblongi, quadrati, triangulares, ſplendentes, & quaſi politi, in Præfectura* Sanenſi, *ditionis* Bernenſis *in monte ſaxoſo, vulgò* Doronaz *dicto, inter ſabulum reperiuntur, quos Agyrtæ a ſordibus lutòve Aquâ purgant, eoſque pro Chelidoniis venundant, atque ignaris imponunt, quibus præterquam quod vim habeant, oculis immiſſi eos a quiſquiliis in eos illapſis expurgandi, admirandos effectus affingunt. Lapillos hos inter rariora Helvetiæ* Joh. Bapt. Plantin. Helvet. Antiq. & Nova. C. 7. p. 42. *recenſet. Atque procul dubio hi ipſi ſunt, quorum quoque mentionem fecit* Guil. Fabr. Hild. Cent. II. Obſ. 13. *hunc in modum.* Non ita pridem, *inquit*, venit ad me impoſtor quidam, qui ſe ad aliquot Millia (Chelidonios) invenire poſſe, gloriabatur, mihique plus quàm centum monſtraverat, quos veros atque legitimos aſſeveraverat, an verò ex hirundinibus exemti fuerint, affirmare noluerat.

Specularis Lapis. Inſuper participem me reddidit laudatus Robinus *Specularis Lapidis* lactei & obſcuri coloris, qui in rhomboidales partes dividitur, & proin ad *Androdamantem* Plinii referendus eſt, de quo non ita pridem Dialogum inſtitui inter *C. Plinium* & *Claudium Salmaſium*. Duplicem hujus indicavit locum natalem, unum in *Grindelia Valle, Grindelwald*, alterum circa *Thun*.

Cryſtalli. Donavit idem *Cryſtallos* quoſdam diaphanas, ſed minores, ex *Haſela* & *Grindelia* Vallibus.

Percepi ab eodem ſequentia.

Sul-

Sulphur vivum ſeu virgineum *Bactiacum. Wagn. Helv. Cur.* 334. Bernenſibus paſſim vocari *Windſchwefel.* Occaſionem nomini dant venti ſeu Aura maligna, à qua per fumum hujus ſulphuris præſervari, & curari volunt Animalia bruta, & homines aurâ illâ tactos, & Paralyſi aliâve plagâ affectos, *denen ein böſer wind worden.* *Sulphur Virgineum.*

Circa *Thunum* oppidum ſunt in peripheria paucarum horarum Balnea ſequentia. *Balnea circa Thunum.*

Balneum Schneitweihenſe, das Schneitweiherbad, aluminoſum.

Balneum Blumenſteinenſe, das Blumenſteinerbad; hoc lintea tingit rubro colore: unde conjecto, ferre id Ochram, vel Crocum Martis. Hoc ita deſcribit *Wagn. Helv. Cur.* p. 109. *Balneum Blumenſteinenſe in Pago* Blumenſtein *prope Tunum ſitum, ex copioſo ferro & pauco Vitriolo conſtat. Alvi fluxibus potiſſimum medetur.*

Balneum Gurnigel, de quo ſequentia habet *Wagn. Helv. Curioſ.* p. 110. Balneum Gurnigel, 6. *circiter horis Bernâ diſtans in monte ſitum eſt, calidæ eſt naturæ, uti inter potum manifeſtè percipitur, ſaporis vitriolati. intus potando & extra balneando uſurpatur. Bernam quoque defertur Aqua, ubi creber ejus uſus Acidularum inſtar: hactenus in diverſis humani corporis malis, imbecillitate ventriculi, arthritide &c. aliiſque Bernenſibus & Vicinis commodùm uſurpatum.*

Das Jukibrünnelein, Fons frigidiſſimus, in quem ſeſe demergunt una cum veſtibus contra varii generis affectus. Talis quoque eſt prope *Dieſsbach am Schlagweg.* Commendatus ſpeciatim in Hemicraniâ, aliiſque affectibus Cephalalgicis. Referri hîc debet ad *Fontes* frigidiſſimos *Febrifugos* in Alpibus Helveticis paſſim obvios, de quibus alibi commodior dabitur diſſerendi occaſio.

Bey Krattigen ad *Lacum Thunenſem* eſt *Fons ſulphureus*, qui ſaxa nigro tingit colore.

Conſimilis ferè Fons eſt *gegen Riggiſperg*, qui obvia omnia nigredine inficit, aciduli eſt ſaporis, ſed pro inſalubri habetur intus ſumta ejus Aqua. Horæ ſpatio a *Thuno* abeſt *der Lindbach*, *Balneum ſulphureum*, quod etiam eſt uſui accolis.

Thermæ Weiſſenburgenſes. In vicina *Thuno* præfectura *Wimmis* Vallis *Simmiæ inferiores*, *im nideren Sibenthal*, ſunt *Thermæ Weiſſenburgenſes*, *die mineral Waſſer hinder Weiſſenburg*, de quibus A. 1696. Tractatum conſcripſit Nob. D. *Joh. Jacobus Ritter*, M. D. Bernenſis, earum poſſeſſor. Non vidi has aquas in loco, nec proin examinavi, hoc tamen à *Rittero* audivi & Exemplo Domini *Abrahami Wildii* Bibliothec. Bern. à ſecretis, viri humani pariter ac eruditi, comprobatum vidi, eſſe has Thermas balſamicas admodum, Hecticis, qui Balnea alias appetunt quidem, ſed non ferunt, reficiendis idoneis, fortè à commixtis lactis Lunæ particulis, quoniam haud procul ab illis eſt Crypta hoc Lacti concreto Minerali referta. Obtinui etiam ex Aquæ hujus Menſ. 4. gr. 22. Sedimenti albi ferè inſipidi, lactis Lunæ æmuli. Tepidæ ſunt hæ Aquæ Naturâ, calidiores tamen manè inter horam 7. & 9. circa meridiem inter 12. & 1. & veſperi inter 4. ac 7.

Muſculus latus. In *Lacu Thunenſi* frequens eſt *muſculus latus*, *teſtâ tenui ex fuſco virideſcens, interdum rubeſcens. Liſter. Cochl. Fluv.* Tit. 29. *Fiſchohren* appellant Incolæ. Parat inde D. *Robinus* Ophtalmicum è ſolutis ſcil. vel emollitis per Acetum Teſtis, & poſt elutis cum Tragac. & Roſ. Aqua.

Arolæ damna. *Thuni* nos concredidimus *Arolæ* Fluvio, qui inter *Bernam* & *Thunum* admodùm latè ſuas Aquas diffundit, nec eundem ſemper per aliquot milliarium decurſum alveum ſervat. Accolæ dum prata ſua nunc hic nunc ibi lætè virentia, ſaxis & ſabulis mox vident magno ſuo damno obruta & devaſtata. Huic infortunio non minimam tribuunt partem voracitas ipſius *Kandelæ* fluvii ſupra memorati, qui infra Thunum in Arolam obliquo ſitu, & variato ſemper oſtio ſe effundit. De remedio, quo in ſubditorum ſolatium certum *Arolæ* & *Candelæ* Alveum formare tentat Ampliſſimus Magiſtratus, ſupra jam aliquid.

Hoc



A. Egliſe de S^t. Vincent.
B. Egliſe Cathedrale.
C. Collége.
D. l'Ile.

E. New Marcilli Thor.
F. Porte de S^t. Christoſle.
G. l'Hôpital d'en haut.
H. Golctenmatgaſſen Thor.

La Ville de
BERN,
en Suiſſe.

I. l'Arſenal.
K. Egliſe des Jacobins.
L. La grande Horloge.
M. Maiſon de Ville.

N. Egliſe de Nideck.
O. Das Nider Thor.

TAB. XIV.



Satyres de bronze dans la Bibliotheque de BERNE.



Petite ſigure de bronze, qu'on void dans la Bibliotheque de BERNE, *& qui a eté trouvée à* VIDY, *proche de* LAUSANNE.

It. 4.

Hoc Flumine ſecundo *Bernam* venimus hac veſpera. Metropolis hæc eſt Reipublicæ ex Helvetiis potentiſſimæ, de qua non vacat nunc recenſere, ob temporis locique anguſtiam (quandoquidem in ſpiſſius volumen excrevit narratio, quàm cogitaram;) ejus memorabilia Hiſtorica, reperiunda paſſim apud Authores & Scriptores Patrios, *Stumpfium*, *Simlerum*, *Tſchachtlanum* & alios, ea, quæ in urbe ipſâ viſu digna occurrunt, breviter enarrat *Wagnerus* noſter in *Mercurio Helvetico*. Cui addemus ea ſaltem, quæ in *Bibliothecâ* civicâ *Bernenſi* occurrunt, & Rem Hiſtoricam Naturalem præcipuè attinent. *Berna.*

Bibliothecam ornant *Bongarſiani* Libri tum MSC. tum impreſſi, præter recentiora plura alia, magnæ molis & pretii volumina, quæ omnia eleganter ſunt compacta. *Bibliotheca Bernenſis.*

In *Pinacothecâ*, quæ Librariæ ſupellectili adjacet, plurimæ aſſervantur *Antiquitatis Romanæ* reliquiæ, ſpeciatim in coloniis perantiquis *Vindoniſſa* & *Aventicenſi* repertæ, in quibus commemoro ſacerdotem bovi adſtantem in ære. TAB. XIV.

Cultrum ſacerdotalem.

Deos Penates & Lares.

Caput virile æneum Crinitum & lanugine circa mentum præditum, cujus cavo infuſa eſt maſſa plumbea, & videtur admodum ponderoſum. Caput ipſum naturali eſt magnitudine.

Medii Ævi ſunt.

Aulæa *Caroli* Audacis Ducis Burgundiæ, & Tabulæ Aræ Sacerdotalis, quâ uſus eſt idem Dux in Tentorio ſuo, Auro & Lapidibus pretioſis variis pulchrè exornata.

Nummi mediorum ſeculorum Anglici in Rhætiâ reperti.

Ex Naturalibus Territorii Bernenſis occurrunt.

Tofi Arborum foliis prægnantes, reperiundi prope Toſt.

Lac Lunæ Weiſſenburgenſe.

Gloſſopetræ erutæ *aus der Wäberen fluh bey Bern.*

Bolus rubra & flava in Grindelia Valle.

Lithanthraces ſupra Luſtriacum (*Luſtry*) Præfecturæ Lauſannenſis.

Cryſtallini ſilices globoſi, unde Pſeudadamantes conficiunt, in collibus viniferis circa Abonam (*Aubonne.*)

Androdamas ſeu Selenites Rhomboidalis in monte quodam Interlacenſis Præfecturæ, non longè ab officina vitriariâ.

Fons ſulphureus. Extra Mœnia Urbis Bernenſis *Fons Sulphureus*, quem vulgò *Das Schweffelbrünnelein* vocant, extat, qui inter Cives maximè balneando eſt in uſu. Hæc *Wagn. Helv. Cur.* p. 125. Circa Balnea eorumque uſus meras obſervo vulgi pariter ac Eruditorum opiniones, quibus reguntur, & nunc hâc nunc illâc trahuntur. Sunt in uſu frequenti paſſim Aquæ minerales, quæ celebrari merentur & inter ἐυπόρισα referri. Jacent aliæ neglectæ, quæ nullis gaudent virium prærogativis. Sed ſunt infrequentes quoque, quæ maximè, & præ multis aliis deprædicari, & commendari merentur, ſed vel ob moroſitatem poſſeſſoris, vel propter ſitum advenis incommodum, vel defectum aliarum rerum delectatione pariter ac uſui inſervientium, vel quia illuc eundi mos non eſt, *parce qu'ils ne ſont pas à la mode*, incultæ jacent. Sunt tandem aliæ, quæ uſurpantur & frequenti gaudent affluxu, quem tamen non merentur, quia nullis gaudent eminentibus præ aliis qualitatibus, ſunt quæ Argillam duntaxat ſecum ferunt, aut particulas terreſtres alias, quæ lacteum ferventi Aquæ conciliant colorem, eoque veluti fuco plurimorum oculos oblinunt. His accedat commodus ſitus, pompoſa quædam & ſeſqui pedalibus concepta commendatio Aquarum, vel cum ipſa Betheſda comparanda, Deſcriptio, deliciis corporis indulgendi occaſio, curatorum ab iis exempla, quæ eoſdem effectus à Balneo quovis Fontanæ Aquæ dulci ſperare & obtinere potuiſſent, accurritur huc undique, & magnus fit de Aquæ viribus nuper detectis rumor, qui omnium percellit aures, & omnis ſortis ſexuſque homines ad ſe trahit. Hujus generis mihi videtur Aqua hæc ſulphurea Bernenſis, quæ hactenus quidem effectu haud infelici deſtinata fuit depellendæ ſcabiei, ſanandis ulceribus, aliiſque affectibus extremis, hac æſtate verò, neſcio quo Fato, uſurpari cœpit interne quoque. Urbe ſingulis manibus egreſſi ſunt utriuſque ſexus homines, maximi, medioxumi, minimi, pueri, & puellæ, Juvenes & Juvenculæ, Viri Senes, ad uſque Anus decrepitas,

ex

ex ſacro hoc fonte libaturi, nec duntaxat ii, qui aliquâ laborant indiſpoſitione, huc veluti ad ſacram confluxere anchoram; munera ſua obtulerunt quoque ſani, ut Templum Hygeiæ aut Æſculapio ſacrum hic loci erectum credideris. Famæ celebritatem auxit effatum quorundam Medicorum, qui neſcio quo inſtinctu aquas has ad uſus internos varios deprædicarint, an ut genio Populi ſe accommodarent, an quia Examine Chymico vel Experientiâ polychreſtas illas viderunt ſanitati conſervandæ & labanti vel perditæ reſtituendæ idoneas. Juſſi ego myſterii pernoſcendi avidus apportare hanc Aquam, & nullam obſervavi ab infuſis variis alcalicis acidisve liquoribus & ſalibus mutationem, niſi à ſolo ⊖ ♀ unde Lacteum inducit colorem, quam tamen alterationem ſubeunt Fontanæ pleræque. Ex evaporatis menſuris octo remanſit Sedimentum ſubflavum ſubadſtringens gr. 44. pondere.

Bernæ in Hoſpitio ad Falconem fuit Mercurii in Barometro Altitudo

Die 18. Aug. tempore ſereno 24″. ½‴. unde, ſi heſterna va- 26.9.P.
let Thuni facta obſervatio, judico eſſe Metropolin hanc Thuno inferiorem 40. ped. Fruttingâ 250. Gemmio 3320. Thermis Leucenſibus 1720. Brigâ in Valleſia 920. Vieſchâ 1020. Caſtellione ſuperiore 1640. Furcâ 3720. Gotthardo 3640. & Tiguro inferius 80. vel 120. vel juxta hodiernas obſervationes, quæ indicant Tiguri ſubſtitiſſe Merc. inter Merid. in 23″. 7‴.
200. aut 230. His autem Obſervationibus fidere non adeò 26.4.P.
poſſum, quoniam Tiguri ante Meridiem aër fuit quidem ſerenus & præcalidus, veſperi autem cecidit pluvia larga (cum grandine) quæ continuavit per totam ferè noctem ſubſequentem.

Die 19. Auguſti *Bernæ* Tempus fuit inconſtans, nunc ſe-
renum, nunc pluvium, ingruente nocte audita ſunt Tonitrua 26.5.P.
& viſa Fulgura. Mercurius ſubſtitit in 23″. 8‴. quo eodem gradu quoque fuit domi in meo Muſeo per totum diem: obſervationi huic potiorem fidem quàm præcedenti adhibeo, quoniam *Tiguri* eadem fere fuit Aëris conditio, mane ſerena, veſperi autem circa horam 9. lapſi ſunt Imbres. Juxta hodierni

ni diei obſervata in eadem linea horizontali ſunt primorum Helvetiæ Pagorum Metropoles.

26. 9. P. Die 20. Aug. Bernæ aſcendit Mercurius ad 24″. 1‴. mane,
26. 8. veſperi autem ad 4″. Cœlo ſereno, Tiguri ad 23″. 9‴. ut diffe-
26. 7. rentia ſit 80. ped. vel 120.

Die 21. Auguſti mane cœlo ſereno fuit Bernæ Mercurii alti-
26. 8. P. tudo 24″. Tiguri autem 23″. 8½‴. & 8. differentia eſt 160.
26. 6. & 120.

26. 5. Die 22. Aug. mane cœlo nubilo 23″. 8‴. Bernæ, Tiguri
26. 3. 23′. 6½″. & 23″. 6″. ut Differentia rurſus ſit 160. vel 200. ped. Ex his colligo, *Bernam Tiguro* depreſſiorem eſſe 100. circiter ped. quod intervallum, vel confirmare poſſunt, vel corrigere, continuatæ Obſervationes.

Hodie Bernâ diſceſſimus Arolâ vecti *Pyreneſtam* (*Bü-*
Büren. *ren*) oppidum, cujus meminit quoque *Antoninus* in *Itinerario*, de quo an *Petineſca* ſit Romanorum, dubitat *Plantin. Helv.* p. 268. Huc venimus ab Imbre, qui cecidit, largo probè madidi. Mercurius hîc ſubſtitit in 24″.
26. 11. P. 2½‴. Juxta hunc Computum foret Pyreneſta inferior Bernâ 360. ped. Sed vero eſt ſimile, aſcendiſſe Mercurium, poſt effuſum Imbrem ad duos vel tres ſcrupulos, ut differentia Bernam inter & Pyreneſtam foret 100. vel 150. ped. Tiguri etiam hac veſpera cecidit a quarta pomeridiana ad no-
26. 3. nam uſque larga pluvia, aſcendit Merc. craſtino manè à 23″.
26. 6. 6″. quibus ſubſtitit hodie ad 23″. 8½. & 9‴.

Die 23. Aug. *Arolâ* venimus *Brugas*, *Bruk*, oppidum ita dictum à Ponte Lapideo, quo Arolæ ibi inter anguſtas Fauces cum impetuoſâ velocitate currentis Littora junguntur.

Poſtero die, qui fuit 24. Auguſt. per *Vindoniſſam* & Comitatum *Badenſem Tigurum* rediimus. *Gebeſdorffii*, *Gebeſdorf*, qui Pagus mixtæ Religionis in *Comitatu Badenſi*, hanc Antiquam Inſcriptionem legimus.

M.


La Ville de BRVGG, dans l'ARGAW, en Suiſse.
Windiſch
Konigsfelden Cloſter

M. MAGIVS MIO BMAC
CAVS VERONAM ILHEGXHCPF
MARCI MODESTI ANN XXXIII
EXIESI AMENIO HFC
I... ENNIVS SECVNDVS
Q. ROMANIVS VERECVNDVS
HSC

&

Paſtoris Reformati ædi inſertus eſt hic lapis:

icLAVDIO HMN.
MEDICO LEG. XXI.
CLAVDIAE QVIETAE EJVS
ATTICVS PATRONVS.

OBSERVATA BOTANICA, ANNI MDCCV.

A.

Abſinthium ſeriphium montanum candidum C. B. *Abſinthium Valleſianum tenuifolium candidum ſive herba* J. B. *Abſinthii genus in Valleſia, Herba alba dicta, & Abſinthium ſeriphium fœmin.* Geſn. Hort. *Abſinthium album è Valleſia.* Eid. App. De hoc, quod paſſim ad Ripas Rhodani, & ſupra Leucam in aſcenſu ad Thermas inveni locis ſiccioribus, annoto diverſum eſſe, ab *Abſinthio alpino incano.* C. B. *Abſinthioque alpino candido humili* C. B. contra quod ſtatuit Rajus, cui ego ipſe ſubſcripſi in ἰτερ. A. 1702. nunc autem & mihi & ipſi contradico, ut veritati locum cedam, Valleſianum eſt tomentoſum magis & folioſum, tenius inciſum, altiusve alpino humili, ad pedalem altitudinem & ultra ſurgens.

Acetoſam montanam folio undulato flagellis non ramoſis diſtinguit Boccone Muſ. p. 164. Tab. 126. ab *Acetoſâ montanâ Malus Limoniæ folio flagellis ramoſis*; quæ utraque eadem forte eſt, Icones certe non differunt, niſi ramoſitate flagellorum, quæ ex accidenti & pro diverſitate Soli variare admodum poteſt: In hoc ipſo itinere inveni hanc plantam in eodemque caule ramoſam & non ramoſam in flagellis.

Ageratum ſerratum alpinum C. B. habet floris monopetali perſonati Characterem, quem Tournefortius ipſi adſignat. De floris colore adnoto, tubum cylindricum eſſe ſubflavum, reliquum florem dilute purpureum, ſtriis obſcurioribus interſtinctum, extus carneum, calycem hirſutum Cylindricum: in Monte Regio florens invenimus menſe Junio.

Alchimilla alpina Quinquefolii folio ſubtus argenteo Tour. *Tormentilla alpina folio ſericeo* C. B. in Regio Monte creſcit à vulgari Heptaphylla nonnihil diverſa. Enneaphyllam primo aſpectu diceres, novamque adeo ſpeciem ex ea faceres, ſicuti enim illa quinque folia habet, digitorum inſtar expanſa, ita hæc novem: Sed ſi probe attendas, duo folia ſunt bipartita, ad ungues uſque tamen diviſa, ut ſic ad ſeptenarium reducatur numerus. Nolui tamen præterire hanc obſervationem a nemine

mine hactenus animadverſam, vel ex hac inſuper ratione, quòd tota planta habitior videatur vulgari.

Alchimilla alpina maxima. Majori jure ex hac, quam in editiori Alpe Glaronenſi *Barenboden* offendi, diſtinctam facio ſpeciem, quam communiter Botanici ex minoribus alpinis; folia habet ampla, palmum lata, & ultima quidem, quæ radici ſunt proxima, pediculis ſemipedalibus & pedalibus nixa: caules ſunt pedales & cubitales.

Alſine paluſtris ſerpillifolia C.B. cui junxi in ὑςερισῳ. Ann. 1703. *Alſinen alpinam ſerpilli folio multicaulem & multifloram.* Tour. petala habet quinque candida, ad unguem viridia, ſtamina & apices candidos, calycem quinquefolium marginibus albis.

Anacampſeros radice roſam ſpirante major Tour. *Rhodia radix* C.B. J.B. In Alpe Piora quæ Lepontiorum eſt.

Androſace alpina perennis anguſtifolia villoſa multiflora Tourn. *quæ Sedum alpinum eſt hirſutum lacteo flore* C. B. & *Chamæjaſme alpina* J. B. ita exacte deſcripta habetur apud Botanicos, ut nil habeam quod addam præter unum hoc, quod in eadem hac Plantula Umbilicus floris nunc ſit luteus, nunc & eleganter quidem ruber.

Annonis ſpinis carens lutea major C.B. *Anonis ſpinis lutea non ſpinoſa, Dalechampio Natrix* J.B. in Valleſia ad Ripam Rhodani paſſim.

Aſter cœruleus montanus magno flore foliis oblongis C.B. *Aſter purpureus montanus* J.B. quem eundem facio, cum *Aſtere Attico alpino altero* C.B. & *Conyza cœrulea alpina minore* C.B. Coronam habet amplam, conſtantem ex plurimis ſemifloſculis purpureis ſtriis cœruleo purpuraſcentibus, diſcum luteum, Calycem Polyphyllon ſquamoſum viridem, in externis ſuis apicibus purpuraſcentem.

Aſteri montano purpureo ſimilis vel Globulariæ J.B. qui idem eſt cum *Aſtere alpino flore purpuraſcente* Raji, petalis florum conſtat dilute carneis, peranguſtis, fere ſtamineis, attamen ſemifiſtuloſis, aliquando verſus ambitum diſci ſuppurpureis, plerumque in tota area luteis, in pappum denique faceſſentibus. Niveo flore inveni hanc plantam, diſco luteo tamen, in Alpe Uriorum Fiſmath, quæ Glaronenſibus Alpibus eſt contermina.

Aſteri montano purpureo ſimilis vel Globulariæ Capite villoſo. Plantula eſt nullibi, quod ſciam deſcripta, in Alpibus Glaronenſibus & Uriis paſſim obvia, unciam unam & duas alta, foliis ſemuncialibus, oblongo rotundis pediculis, longis nimis ſuperioribus, quæ caulem veſtiunt, anguſtioribus, brevioribus & acutioribus, villoſis magis, uti & cauliculus ipſe quò magis ad capitulum acceditur, quod pro plantæ magnitudine collata cum *Aſtere montano purpureo ſimili vel Globulariæ* J.B. eſt admodum craſſum ob calycem polyphyllum craſſum villoſum, cui inſidet flos

conſtans ex petalis peranguſtis, fere ſtamineis, ad baſin purpureis, ad extremum albidis, diſco è viridi pupuraſcente.

Aſtragali montani difficiliores tantò ſunt cognitu, quod vel ſola habeant nomina eorum Botanici, ut Tournefortius, vel ad ſpeciales Florum differentias non benè attenderint alii, & ex ſiccis potius quam vivis plantis ſuas formarint deſcriptiones, vel flores fugitivis ſaltem aſpectarint Oculis. Neceſſe propterea duxi, tum Aſtragalorum, tum aliarum plantarum flores, in locis ipſis natalibus exactius deſcribere, Orbique erudito communicare, ut cum Nominibus aliorum Botanicorum conferri poſſint. Ita in Alpibus Rhæticis & Lepontiis offendi,

Aſtragalum humi procumbentem ramoſum caule inferius rubente, ſupernè virente, foliis Tragacanthæ viridibus ad margines hirſutis; Flores pediculo biunciali & triunciali glomeratini inſidentes. Labium ſuperius habet utrinque ſurſum reflexum candidum, lineis cœruleis ſtriatum, alas albas, carinam albam in interiori parte ſeu roſtro intenſe cœruleam, Calycem cylindricum, nigris pilis hirtum, in quinque apices terminatum: ſiliqua eſt triangularis, nigri quoque coloris piloſa. Planta tota dodrantalem altitudinem vix ſuperat. Exiſtimo hunc eſſe *Aſtragalum alpinum Tragacanthæ ſolio ramoſum flore cœruleo glomerato.* Tour.

Aſtragali Pyrenaici Barbæ Jovis folio non ramoſi flore ochroleuco glomerati. Tour. Nomen meretur forſan Planta palmaris, quam in Lepontiis Alpibus inveni, flore toto ſulphureo, labio ſuperiori lato & ſinuato, aliis minoribus carina breviori, foliis Barbæ Jovis anguſtis per conjugationes decem circiter uni coſtæ adnatis, hirſutis.

Aſtragalus alpinus Helveticus C. B. Hoc titulo mihi hactenus venit, Planta in ſummis Alpium Helveticarum & Rhæticarum Jugis paſſim obvia, flores in ſpica geſtans ſpecioſos, longos, coloris purpurei, lineis ſaturatioribus ſtriati, petalo ſuperiori carinato, in extremo ſinuato, centrali ſui parte albido, ad latera verſus ſuperiora reflexo, alis duabus lateralibus anguſtioribus, carina compreſſa concava, ſtylo è medio flore ſurgente incurvo, in Stamina alba & apices luteos terminato: Calyx eſt brevis, è viridi purpuraſcens, in apices quinque inæqualis terminatus, in extremitate hirſutus. Folia ſunt viciæ vel etiam ampliora, venoſa, glabra conjugatim diſpoſita, impari extremam coſtam claudente, ſiliquæ membranaceæ tumidæ.

Aſtragalus recticaulis hirſuta J. B. Hanc Plantam ex ſicca depinxit & deſcripſit Tom. II. p. 335. Judicare hinc facile licet, mancam eſſe Deſcriptionem, & ex recenti, ſi alicubi Terrarum reperiri dabitur, corrigendam. Hanc inveniſſe me puto, in altiſſimo Lepontiorum Alpium Jugo, prope *lacum di Rottom,* qui Ticino Aquas largitur perennes,

nes. J. Bauhini veſtigia in deſcriptione ſequor, & quæ ei deſunt ſupplebo. *Planta eſt cubitalis, rigida ac firma, tota pilis candicantibus obſita, ac lanuginoſis, crebro foliorum veſtitu prædita. Ea coſtæ hærent communiter quindecim* (undecim ego numero paria) *ordine & poſitu, ut in Galega, minora anguſtiora tota villoſa, in acumen deſinentia, ſapore amaro; Flores longo pediculo inſident. Frifolii pratenſis pallidi in glomerem congeſti, ex villoſis calyculis prominentes.* Hic lapſum J. B. ſuſpicor. Floreſcunt breves lutei, quorum vexillum latum in medio notatur colore purpureo, cœterum autem luteo, alæ, carina, & tubus coloris ſunt dilutioris; Calyx in quinque apices terminatur pilis exiguis hiſpidos, Siliqua etiam eſt hirta, veſicaria longa tamen magis, quam lata ſeu craſſa. Forſan huc pertinet *Aſtragalus luteus perennis Siliqua gemella veſicam referente.* Tour. *Cicer Silveſtre foliis oblongis hiſpidis majus* C. B. *Cicer Silveſtre folliculis rotundis.* J. B.

Aſtrantia minor. Moriſ. *Helleborus niger ſaniculæ folio minor* C. B. Floris petala habet candida in Orbem diſpoſita, anguſta acuta, in extremis apicibus viridia, ſtria viridi quoque per media petala transeunte notata, ſtamina copioſa, tenuia, alba, apices ex albo vireſcentes. In Rhæticis & Valleſiis jugis frequens.

C.

Quam ſub *Cacaliæ Tomentoſæ* Titulo in ὑρεσιφ. A. 1703. & A. 1704. deſcripſi, cuive hæc Synonima junxi. *Petaſites minor folio Tuſſilaginis alter.* Moriſ. *Cacalia alpina foliis utrinque denſo & candidiſſimo tomento obſitis* Tour. Hanc nunc in Alpibus Rhæticis, Valleſiis, Bernenſibus & Glaronenſibus copioſe naſcentem inveni, ſed ſine floribus, quorum veſtigia tamen in pappis paſſim vidi, indeque judicavi Petaſitidis ſpeciem eſſe, referendam forte, ad *Petaſitidem minorem alpinam, folio anguloſo craſſiori.* Tour. Radix eſt ſubdulcis aromatica, folia infernâ præcipuè parte candidiſſimo tomento obſita.

Campanula vulgatior foliis Urticæ major & aſperior C. B. *Campanula major & aſperior foliis Urticæ* J. B. in aſcenſu ad Gothardi Montem ſecundo Urſæ Flumine, item in Valleſia non aliam ferè vidi quam floribus albis.

Campanula rotundifolia vulgaris C. B. flore niveo, inter Mullinen & Aſchi in Valle Frutingenſi.

Campanula foliis Anchuſæ floribus oblongis C. D. *Rapunculus montanus*, ſive *Trachelium montanum* J. B. floribus albis hanc inveni in Valle Medels, & Via ad Tavetſch in Rhætia.

Campanula foliis Echii C. B. illa ſcil. cujus Effigiem exhibet in Prodr. p. 36. radicem habet craſſam longam, è quâ ſurgunt aliquot Caulices pedales, rotundi, hirſuti, aſperi, purpuraſcentes, folia habet Echii aſpera, anguſta, non tamen adeo longa, ut figura exhibet, crebra, alterna, è quorum alis verſus cacumen numeroſi prodeunt flores eleganter cœrulei. Conferenti hanc deſcriptionem patebit, non eſſe hanc Plantam *Trachelium Θυρσοειδὲς Cluſii*, *quod Alopecuro alpino quibuſdam Echio montano Dalechampii* J. B. reſpondet; ubi igitur corrigendus venit Rajus, qui Hiſt. Plantarum. p. 734. Nomina hæc J. B. & C. B. conjungit, huic ſubſcribit Tournefortius, ſed potiori Jure *Alopecuro Alpino* J. B. pro ſynonimo jungere potuiſſet *Campanulam ſuam alpinam pubeſcentem ſpicâ florum pyramidali.*

Caryophyllata alpina Chamædryos folio Tour. quæ *Chamædrys eſt alpina Ciſti flore* C. B. floris petala nivei ſunt candoris, ſtamina & apices crocei, calyx polyphyllus, viridis, pilis nigris hiſpidus.

Chamænerion alpinum Alſines foliis, quod in ὀρεσιφ. A. 1703. conjunxi *Lyſimachiæ ſiliquoſæ alpinæ erectæ Alſines foliis* Boccon. Muſ. p. 31. Tab. 15. Nunc offendi in Gemmio Monte Valleſiæ. Petala habet quatuor in extremo bifida, dilutè purpurea, calycem tetraphyllum, ſtamina & apices albos. Eſt hæc forſan *Lyſimachia ſiliquoſa glabra minor latifolia* noſtra, ſeu Anglica *Raji Hiſt. Plant.* p. 862.

Chamænerion anguſtifolium alpinum flore purpureo Tour. Cui jungenda hæc ſynonyma: *Lyſimachia Chamænerion dicta alpina* C. B. Petala habet quatuor magna purpurea, uti & ſtamina, vaſculum ipſum ſeminale eſt ſubpurpureum.

Chondrilla cœrulea altera Cichorii Sylveſtris folio C. B. *Chondrille vel Chondrilla cœrulea* J. B. in apricis ſiccioribusve locis ſupra Leucam Valleſiæ.

Cirſium ſingulari Capitulo ſquamato, vel incanum alterum C. B. *Cirſium Britannicum Cluſii repens.* J. B. Planta elegans cubitalis & bicubitalis, capitula geſtans magna, quorum floſculi è tubo oblongi in quinque lacinias longas purpureas expanduntur; è mediis floribus ſurgit ſtylus purpureus tenuis, calyx eſt ſquamoſus viridis, in apicibus purpuraſcens, caulis craſſus, ſtriatus, caneſcens, folia, longa, integra; ad margines mollibus ſpinulis ſerrata, ſupernè viridia, infernè tomentoſa lanugine obſita, radix fibroſa amara. *Caulis ex ala folii ſuperioris interdum alterum emittit florem* (imo aliquando binos) *ſerius ſe explicantem, & poſtquam flos primarius in pappum abierit.* Verbis utar Raji, quæ applicat deſcriptioni *Cirſii Majoris ſingulari Capitulo magno, vel incani variè diſſecti* C. B. ſeu *Cirſii Anglici radice Hellebori nigri modo fibroſa, folio longo.* J. B. Et hac occaſione ſimul adnoto hujus deſcriptonem haud ablu-

abludere a noſtro Cirſio, quod jam præ manibus eſt, niſi quod folia non ſint *variè diſſecta*, uti nec in Cirſio Anglico, quod additamentum in C.B. reprehendit quoque Rajus: Cui adſtipulor in hoc quoque, quod huc trahi poſſit *Cirſium anguſtifolium non laciniatum* C.B. ſeu *Cirſium Pannonicum primum pratenſe.* Cluſ.Panon. In Pratis udis Urſeranæ Vallis ad Gotthardi Radicem & paſſim in Rhætia offendi.

Clinopodii alpini hirſuti C.B. cognomen mereri mihi videtur Planta Spithamææ altitudinis paſſim in Alpibus obvia, cauliculis quadratis hirſutis, foliis ex adverſo poſitis binis ocymi forma, internodiis uncialibus & ſemuncialibus, foliis ad foliorum alas in verticilli modum locatis cœruleis, quorum labium ſuperius eſt ſurſum reflexum, inferius tripartitum, ſegmenta medio Orchidis inſtar anthropomorpho in extremo ſinuato, maculis ad unguem ſignato purpureis & albis. Hic animadverto inſuper C.B. duplici loco poſuiſſe *Clinopodii alpini* Ponæ cognomen, primum hic, ſed meo Judicio male, ut ſynonymon foret, *Clinopodii hirſuti alpini*, Dehinc & rectè quidem ſub *Teucrii Alpini comâ purpuro cœrulea* Titulo.

Crocus vernus albus latifolius variegatus C.B. *Crocus vernus latifolius albo flore, interdum purpuraſcentibus venis vario* J.B. quem copioſe inveni in Monte Regio, menſe Junio: floris petala habet candida ſupernè, prope ungues ſubpurpurea, ſtylum croceum, flavos apices, ſtaminibus candidis inſidentes.

Cruciata alpina latifolia lævis Tour. quæ eadem eſt cum *Rubia quadrifolia vel latifolia lævi* C. B. *Rubia item majore quadrifolia atrovirente ſaxatili.* Boccon. Muſ. *Rubia quadrifolia Italica hirſuta.* J.B. Flores habet candidos è tubo oblongo tenui in quatuor ſegmenta expanſos, ſtamina tenuiſſima candida, apices atros.

D.

Dens Leonis alpinus minimus Piloſellæ folio Tour. *Hieracium pumilum II. Col. ſeu alpinum alterum minimum lanuginoſum. Hieracium alpinum pumilum folio lanuginoſo* C. B. In Alpibus Rhæticis inveni hanc plantam, non digitum altam, numeroſis foliis ad radicem veſtitam.

Doronici Helvetici incani C.B. Cui jungo *Doronicum Helveticum humile craſſis foliis* C.B. Corona floris conſtat ex petalis ſemifiſtuloſis, longis, anguſtis in extremo apice ſinuatis, aurei coloris, diſcus medius ex floſculis fiſtuloſis etiam aurei coloris cum apicibus flavis.

E.

Equiſetum, fœtidum ſub aquâ repens C.B. ad alas foliorum, quæ Stellæ in modum diſponuntur, circa geniculum, & aſpera ſunt, nunc craſſa & brevia, nunc longiora ad digitum uſque, globulos habet miniati coloris, qui fructus eſſe videntur.

Erica

Erica baccifera procumbens nigra C. B. quæ eſt *Erica prima Cluſii* Pann. in Jugis Gotthardi Montis.

Euphraſia lutea Alſine folia Radice ſquamata. C. B. quæ eadem eſt cum *Dentaria Buguloide radice globoſa* Menzel. in paludoſis montis Kintzenhoren, vallis Linthalenſis.

Euphraſia quædam alpina parva, duas uncias vix exſuperans, foliis eſt ſubrotundis, latis, ſucculentis, in quinque crenas diſſectis, viridibus, infernè quidem è pallidiore virore ſaturatiori pulchre variegatis. Floris galea purpuraſcit ſaturatioribus ſtriis, labium inferius eſt tripartitum, ſegmentis ſingulis bifidis, & medio quidem in centro luteo, lateralibus autem purpureâ lineâ notatis. In ſummo Montis Gotthardi Jugo reperi.

G.

Gentiana major flore punctato C.B. *Gentiana major pallida punctis diſtincta* Cluſ. Pann. In Alpibus Helveticis & Rhæticis eſt frequens, florem geſtat Campaniformem in ſegmenta expanſum, extus luteum vel luteo pallidum ſplendentem, intus punctis nigris undique conſperſum.

Gentiana major purpurea C. B. *Gentiana major flore purpureo & albo* J. B. Flores habet Gentiana luteâ aliquanto minores, monopetalos, in quinque vel ſex ſegmenta rotunda purpurei coloris terminatos. Flores ipſi ſunt extus purpureo rubei, intus pallidè lutei, punctis nigris conſperſi: apices ſtylo affixi ſunt ſulphurei, ſtylus terminatur in extremitates recurvas violacei coloris; ad floris exortum eſt vagina latior viridi purpurea.

Gentiana alpina minor ſive Gentianella alpina brevi folio C.B. *Gentianella fugax quarta Cluſii, flore dilutè purpuraſcente & cœruleo elegantiſſimo* J. B. *Gentiana alpina pumila brevi folio.* Tour. flore cœruleo elegantiſſimo inveni in Alpibus Rhæticis, duas fere uncias longam & à radice ad ſummum valde ramoſam.

Gentiana pratenſis flore lanuginoſo C. B. *Gentianella ſpecies quibuſdam an Cordo Pneumonanthe aut Gentiana fugax altera Cluſii* J. B. In ὀρεσιφοίτῃ 1703. aliquot alia junxi ſynonyma. Structuram floris delutè cœrulei habet cylindricam è Tubo inferne albido in quatuor floris ſegmenta expanſam, quarum baſis intus in tenuia filamenta (quæ J. B. *Pilos barbulasve purpuraſcentes vocat*) fimbriatur, ſtamina ſunt pallida, apices nigricantes, & flaveſcentes. Deſcriptionibus ita reſpondet, ut addi nil debeat, creſcit apud nos ineunte Autumno in omnibus ferè collibus editioribus; Rajo ſubſcribo, qui *Gentianam fugacem quartam Cluſii, ſeu Gentianellam brevi folio* C. B. *& Gentianellam fugacem quartam Cluſii florè dilutè purpuraſcente, & cœruleo elegantiſſimo* J. B. eandem facit cum priore. De hac alibi alias fecimus obſervationes.

Gei rotundifolii majoris Tour. ſeu *Saniculæ montanæ rotundifoliæ majoris*

ris C.B. Flos conſtat ex quinque petalis integris, nivei Candoris punctis verſus apicem ſanguineis, verſus baſin ſubcroceis notatis.

De *Geopaluſtri minore foliis oblongis crenatis* Tour. quam præeunte Rajo eandem facio cum *Sanicula montana minore* C.B. *Saniculæ alpinæ aliquatenus affini* J.B. & *Cotyledone aquatica hirſuta* Raji. Obſervo inſuper petala quinque eſſe candida, apices coloris nunc atro purpurei, nunc miniati, ſtylum carneum in faſtigio rubrum, petala ſingula *duabus maculis flavis prope ungues notata*, quam notam ſpecialem habet Rajus.

Globularia montana humillima repens Tour. ſeu *Bellis cœrulea montana fruteſcens* C.B. Floribus conſtat pluribus fiſtuloſis dilute purpureis tridentatis, ſeu in trinas lingulas longas acutas abeuntibus: ſtamina ſunt alba, apices purpureo cœrulei.

Gnaphalium umbellatum minimum J.B. In Boreali Furcæ montis parte terræ inſternitur, nec ultra ejus ſuperficiem quarta digiti parte aſſurgit. Radix deſcriptioni convenit, folia ſunt utrinque tomentoſa, incana, ſemiuncialia, anguſta, ſupra florem protenſa, ut hic unicus numero, vel bini ternive deliteſcant inter folia, vix aliquo pediculo nixa, ſed radice immediatè ferè affixa. *Elichryſi:* Gaudet Charactere, *Calycem* enim *habet* ex *ſquamis lucidis argentatis compoſitum*; *quæ floris petala mentiuntur*, diſcum ſubflavum. Rajo autem ſubſcribere nondum poſſum, quod Gnaphalium hoc idem ſit, cum *Gnaphalio roſeo ſylveſtri & hortenſi* C.B. Potius congruit *Gnaphalio ſupino lavendulæ folio.* Boccon. Muſ. p. 107. ſeu *Gnaphalio ſupino* Tab. 85. Nec ab hoc niſi in eo differt, quod noſtrum non dimidium aſſurgat digitum, Bocconianum autem ad tres digitos, id quod facile contingere potuit, quandoquidem in locis offendit humilioribus, Corſica nempe Inſula & prope Piſas, ego autem noſtrum in altiſſimo Helvetiæ Cacumine.

Gramen quoddam elegans *paniculatum alpinum* ex monte Gotthardo retuli, quod caule eſt palmari & dodrantali, foliis caulem ambientibus propter radicem & ad ſummitatem longis, anguſtis, glabris: paniculas gerit ſpecioſas ex colore purpurante viridi, & flavo varias, conſtantes ex ſquamis invicem incumbentibus, & habitiores pro plantæ magnitudine, inſidentes pediculis ſemiuncialibus Capillaris tenuitatis. An odoratum ſit hoc gramen non obſervavi.

Gramen aliud ex Alpibus Rhæticis retuli, ejuſdem cum præcedente altitudinis, foliis conſtans latiuſculis, nervis per longitudinem ut in Plantagine excurrentibus crebris, Capitula gerens in ſummo caule globoſa, ſublutea, capillaribus pediculis nixa.

Gramen ſpartaceum Juncifolium C.B. Idem recte judicat Rajus Hiſt. Plant. p. 1261. cum *gramine ſparteo Hollandico*, *ſive capillaceo folio minore*. C.B. utrique certe deſcriptioni congruit, id quod in paſcuis ſiccioribus & ſecus vias in Monte Hirzelio collegi.

Gramen tomentoſum alpinum & minus C.B. J.B. in Glaronenſium & Uriarum Alpium paſcuis udis, deſcriptioni congruit.

H.

De *Hieracio Dentis Leonis folio obtuſo minore alpino flore ferrugineo*, quod referendum mihi videtur ad *Hieracium Dentis Leonis folio obtuſo minore* C.B. inſuper ea quæ in ὀρεσιφ. 1702. habeo, adnoto florem eſſe mellei coloris, ſtriis ſecundum longitudinem notatum, obſcurioribus petalis fuſcis, extus magis quam intus in extremo denticulatis.

Hieracium montanum anguſtifolium nonnihil incanum C.B. *Hieracium 6. Cluſ.* Quod in hoc Itinere offendi, deſcriptioni congruit, ſed folia habet admodum villoſa.

Hieracium ab Hieracio latifolio piloſo coccineo umbellato Indico. Herm. ſeu *Piloſella Indica Cornuti*, non ferè varians, niſi magnitudine, tum plantæ, tum florum, & coccineo colore magis intenſo ſeu atro purpureo. Occurrit mihi in Rhæticis Alpibus ſupra pagulum *Juf*, in prato quodam pingui udo. Pedalis eſt altitudinis hirſutum, foliis caulem ambientibus nunc paucis anguſtis, nunc crebris latioribus, integris etiam hirſutis, caulis ſummo inſident flores bini vel terni coccinei; in extremis petalorum apicibus flaveſcentes: Calyx eſt viridis, hirſutie nigrâ horridus, in apices purpureos terminatus. In Hiſtoria hujus Hieracii Botanicis decidendum relinquo, an non idem ſit *Hieracium hortenſe floribus atropurpuraſcentibus.* C.B. Prod. Noſtrum Hieracium ſi à priori *Hermanni* vel a poſteriori hoc C.B. differt, meretur Titulum *Hieracii alpini hirſuti floribus minoribus atro purpuraſcentibus.*

De *Hieracio mantano latifolio glabro majori* C.B. *Hieracio montano latifolio majori* J.B. quod in alpinis paſcuis paſſim reperio, obſervo, de eo ſaltem, quod ad manus eſt, & deſcriptioni æquè ac Iconi J.B. apprimè reſpondet, referri potius debuiſſe C.B. ad *Hieracia montana hirſuta*, quam ad *glabra*, quandoquidem caule eſt craſſo hirſuto, & foliis etiam rigida ſatis hirſutie aſperis. Hæc enim ſi retuliſſet, amoviſſet ſimul unum & alterum ſcrupulum, qui in *Hieraciorum* Hiſtoria alias difficili occurrit, iis præſertim, qui in Botanicis ſtudiis nondum profundè ſunt verſati.

Hieracium alpinum anguſtifolium villoſum retuli ex hoc Itinere alpino, quod latifolio hujus nominis eſt ſimile, excepta foliorum, quæ ad radicem ſunt biuncialia, anguſtia: Caulis eſt dodrantalis vel palmaris.

Hieracium intybaceum flore magno albido C.B. Prodr. Planta eſt Botanicis modernis nominatenus ſaltem cognita. Quid mihi videatur circa eam paucis aperiam. In Alpibus Urſeranis & Valleſiis, locis apricis declivioribus occurrit paſſim Hieracium palmam, dodrantem & pedem altum, attactu totum viſcoſum, odore gravi fœtente, foliis duas tresve uncias longis *intybaceis* tertiam unciæ partem latis, luteo virentibus raris

ris admodum laciniis ſinuatis, ut pleraque raris dentibus dixeris; Caulis craſſus hirſutie nigra aſper, in duos treſve dividitur ramos, quibus ſingulis inſidet flos *magnus albidus*, ſeu *ſulphureus*, *medio luteus*, *foris ſubrubens*, Calyci inſidens nigra hirſutie horrido. In Albula aliiſque Alpibus Rhæticis.

Helianthemum tenuifolium glabrum flore luteo erectum J. B. *Chamæciſtus Ericæ folio luteus erectior* C. B. ex Gotthardi Jugis.

I.

Jacea quædam an *Jacobæa* ſemipedalis & pedalis altitudinis, è tubo cylindrico ſupernè tumidiuſculo, in quinque tenues & longas lacinias expanditur flos coloris purpurei, ſtylus è medio flore ſurgit promuſcidis inſtar prominulus & craſſus, coloris atro purpurei, calyx eſt ſquamoſus, inferne viridis, ſupernè hirſutus, & purpuraſcens, folia longa integra, averſâ parte incana.

Jacea foliis candicantibus laciniatis calyculis non ſplendentibus Tour. *Stoebe major calyculis non ſplendentibus* C. B. *Centaurii majoris ſpecies tenuifolia* J. B. Locis ſiccis ad Ripam Rhodani in Valleſia, ultra pedem vix aſſurgit.

Juncus alpinus bombycinus C. B. Quam in pratis paludoſis Montis Hirzel inveni, ex ſequenti deſcriptione clarius innoteſcit, quam ex brevi Bauhiniana. *Ex radice aliorum Juncorum ſimili* plures ſurgunt cauliculi ſpithamæi triangulares aſperi, quos ad radicem involvunt aliquot folia, quæ etiam paſſim ex ipſa ſurgunt radice itidem trigona, & calamos ferè adæquantia. In ſummo calami *eſt capitulum parvum*, è ſquamis flaveſcentibus compactum, *lanugine alba ornatum.*

L.

Ledum alpinum, *utrumque hirſutum*, *& foliis ferrea rubigine nigricantibus* C. B. paſſim Alpicolis vocatur *Rafauslen*, Valeſiis *Huenerſtauden*, quod ejus præſentia maxime delectentur Phaſiani montani. In Valle Urſerana & Valleſia, iis in locis, ubi nullæ amplius ob Atmoſpheræ tenuitatem nimiam & altitudinem juſto minorem, creſcunt arbores, utuntur hoc frutice ad uſus culinarios, alioſque domeſticos loco lignorum.

Leucanthemum alpinum foliis profunde inciſis Tour. quod ipſa eſt *Bellis alpina minor* C. B. nec non *Bellis minima erecta foliolis laciniatis*, *ad caulem adnatis* Boccon. Deſcriptioni aliàs datæ addo petala coronæ ſemifiſtuloſa aliquando quoad ungues purpurea, aliquando lutea, calycem ſquamoſum viridem marginibus nigris.

Leucoium luteum Silveſtre anguſtifolium C. B. *Leucoium luteum Sylveſtre Cluſii.* J. B. radice longa fibroſa alba, caule palmari & raro dodrantali, foliis anguſtis viridibus, ſubhirſutis, aſperis ad radicem crebris, uncialibus & biuncialibus, floribus tetrapetalis luteis; in collibus ſiccioribus ſupra *Leucam* in *Valleſia.*

Lichen quoddam laciniatum, *denſè ſtriatum*, *infernè album*, *ſupernè viride*, in monte Hirzel offendi Terræ inſtratum, quod an peculiarem conſtituat ſpeciem, an Lichenis pulmonarii ſit principium, affirmare nondum audeo.

Linaria quadrifolia ſupina C. B. *Linaria quadrifolia parva. Linaria quadrifolia alpina* Parth. In omnibus fere Alpium Helveticarum & Rhæticarum Torrentium alveis eſt obvia, & ſatis accuratè à J. B. & Cluſio deſcripta, ut nil addere neceſſe judicem, præter exactiorem floris deſcriptionem, qui magnus eſt pro plantæ magnitudine, elegans dilutè cœruleus, purpureis lineis pulchre reticulatus, vel cœruleo purpureus, labio ſuperiori reflexo & ſinuato, inferiori tripartito, in medio rictu latet umbilicus bifidus coloris crocei: ſtaminibus binis craſſiuſculis inſident apices lividi, calcar eſt longum. In centro floris eſt hirſuties à labiis tecta, ut non nonniſi his diductis conſpici poſſit; Calyx eſt quinquefolius viridis.

M.

Millefolium alpinum in Gemmio monte Valleſiæ flores habet pro Plantæ magnitudine, quæ dodrantalem altitudinem vix ſuperat, ampliores quam in millefolio vulgari, nivei candoris, petalis in extremo trifidis, diſcum conſtantem ex floſculis candidis, ſtylum flavum, calycem polyphyllum ſquamoſum lineis nigris fimbriatum, eſt ipſum *Millefolium alpinum incanum carneo flore* C. B. ſeu *Millefolium alpinum Cluſii parvum, nonnihil incanum carneo flore* J. B. convenit quippe Cluſiana deſcriptio noſtro quoque Valleſiano Millefolio, ſi ſolos excipias flores, qui nobis ſunt nivei Candoris, in Styria autem *coloris rubri dilutioris ſeu carnei*, unde eſt, quod C. B. huc traxerit *Millefolium rubrum Geſſn. Hort.* & dubitanter *Millefolium purpureum minus* ſive 5. Tab.

Millefolium alpinum flore ſpecioſo J. B. *Millefolium alpinum tomentoſum nanum odoratum.* Bocc. Muſ. p. 166. Tab. 120. in Boreali Furcæ altiſſimi montis parte, copioſè.

Matricaria alpina Chamæmeli foliis C. B. *Millefolium alpinum* J. B. *Parthenium alpinum* Cluſ. deſcriptionibus nil ferè habeo quod addam, petala ſunt candida, in extremos tres denticulos terminata, diſcus floris pallidè luteus, calyx ſquamoſus nigro colore fimbriatus. Hoc unum difficultatem mihi movet, uti & Rajo, quod J. B. *flores quadruplo quintuplove majores*, quam Millefolii vulgaris ponat, quales ego nunquam offendi. Cœterum exacte convenit ejus quoque deſcriptio. Tota planta eſt grati aromatici odoris, & paſſim in uſu apud Alpiculas. In Valleſia *Reifern* vocant, & deſtillant cum ea ſpiritum vini, quo cum fructu utuntur in affectibus Hyſtericis, Colicis à Cauſa frigida, Stomachi.

Na-

N.

Naſturtio alpino tenuiſſime diviſo C. B. petala floris ſunt quatuor nivei Candoris, ſtamina viridia cum apicibus flavis.

Naſturtium quoddam montanum in Gemmio Monte, petala habet quatuor, rotunda, nivei Coloris, ſtamina viridia, apices flavos, calycem viridem tetraphyllum.

O.

Orchis palmata anguſtifolia alpina nigro flore C.B. *Orchis palmata minor odoratiſſima purpurea ſive nigra* J. B. Flores gerit in ſpicam ſubrotundam digeſtos, atropurpureos, quorum labium ſuperius ſeu galea eſt triangularis concava, huic adſtant duo petala latiuſcula, pro floris magnitudine, inferius autem labium conſtat duabus laciniis anguſtis, veluti barbulis, aliquando tribus, calcar eſt breve, odor moſchatus. Inveni in omnibus fere Glaronenſibus, Uriis, Rhæticis & Valleſiis Alpibus.

P.

Populus alba, quæ λεύκη ab albedine dicitur, majoribus foliis C.B. *Populus alba, λεύκη* J. B. cui adjungendam puto præeunte Rajo, *Populum albam folio minoribus foliis* C.B *Populum albam folio minore* C.B. Creſcit paſſim in Valleſia.

Pulſatilla Apii folio vernalis, flore minore C.B. Quam inveni in Monte Regio florentem menſe Junio, deſcriptioni reſpondet. Floris petala intus ſunt alba, extus hirſuta & dilutè cœruleo colore tincta.

Pulſatilla folio craſſiore & majore flore C.B. *Pulſatilla cœrulea purpureave* J. B. in Alpibus frequens, ſex conſtat petalis hirſutis, ex albo ſubcœruleis vel ſubpurpureis.

R.

Ranunculus alpinus humilis rotundifolius flore minore & majore C. B. ſeu *Ranunculus minimus alpinus albus.* J. B. Floris petala habet ampla candida, cordis forma ſinuata, ſtamina viridia, apices luteos, calycem pentaphyllum album purpura leni tinctum.

Ranunculus montanus pupureus calyce villoſo Fel. Plateri. J. B. quem in Septimi Montis nivoſis Jugis A. 1703. inveni, & in ἔρεπῳ. ejuſdem Anni deſcripſi, nunc quoque offendi in Alpe Piora Lepontinæ Vallis, ad ſcaturiginem unam Ticini Fluvii. Floris petala habet ſubrotunda, ampla, plerumque ex candido purpuraſcentia, extus coloratiora magis, aliquando etiam candida prorſus, vel tota ferè purpurea, ſtamina flava, uti & apices, calycem nunc villoſiorem, nunc læviorem.

Ranunculus montanus hirſutus albus elatior C.B. *Ranunculus montanus albus vel elatior* Park. *Ranunculus montanus. 2. Cluſii.* Flores habet pe-

diculis vel ramis ſemiuncialibus inſidentes, in umbellæ formam ferè diſpoſitos, conſtantes ex petalis ſex albis, ſtaminibus quoque candidis, ſed apicibus croceis. Eundem hunc eſſe judico cum *Ranunculo montano albo hirſuto* J. B. *Ranunculo montano hirſuto purpuraſcente flore* C. B. ſeu *Ranunculo montano Pennæi Park. montano hirſuto purpureo* Ger. emac. fit enim aliquando ut dilutè purpuraſcentis inveniatur coloris, imo in eodem trunco, nunc candidi nunc purpuraſcentis, nec obſtat, quod J. B. ſcribat conſtare hunc florem quinque foliis orbicularibus: non plura commemorat Cluſius in ſuo Ranunculo 2. facile potuit utrique obvenire flos ex accidenti pentapetalos, notum quippe quam perſæpè in numero petalorum ludant, imo aliquando ita luxurient, ut ſimplices pro plenis aſpectes, certum item Ranunculi hujus, quem nunc præ manibus habemus, petala ipſa admodum fugacia, ut facile potuerit ei excidere unum. Subdubitavit quoque de Plantarum harum Identitate Rajus Hiſt. Plant. p. 539. eandem tamen eſſe, non auſus fuit affirmare.

Rapunculus umbellatus folio gramineo. C. B. *Rapunculus minimus folio tenui gramineo* J. B. *Rapuntium alterum anguſtifolium alpinum.* Col. Flos conſtat è corniculis pluribus cœruleis recurvis, quibus ſingulis ſubjacet folium, viride acuminatum ad latera piloſum.

S.

Salix alpina foliis anguſtioribus ſplendentibus ſerratis. In Gemmii Montis deſcenſu ad Frutingenſem Bernenſis Ditionis Vallem copioſè ſatis ſurgit ad dimidiam viri altitudinem, ſurculis minimè fragilibus, viridibus & nigricantibus, folia habet numeroſa, inferiora quidem anguſtiora, in extremo ſubrotunda, ſuperiora autem latiora in medio, in extremo acuta, omnia ſerrata, utrinque viridia ſplendentia. Juli ſunt unciales & ſeſcunciales, virides abeuntes in pappos albos.

Salix alpina pumila rotundifolia repens inferne ſubcinerea C. B. *Salix pumila latifolia prior* Cluſ. J. B. in Gemmii Montis deſcenſu ad Frutingenſem vallem.

Salicem pumilam folio rotundo J. B. nunc inveni in Boreali montis Furcæ parte, qui Valleſiam ab Urſeranis diſterminat. Deſcriptioni hoc adde, folia ſupernè eſſe ſaturatè viridia & glabra, infernè hirſutie villoſa caneſcentia, pediculum ſemiuncialem rubrum, florem coloris coccinei, pilo villoſa canitie intermixto.

Saxifraga tridactylites alpina minor & villoſa Tour. *Sedum tridactylites alpinum minus* C. B. quod in ἔργοις A. 1703. junxi cum *Saxifraga muſcoſa trifido folio.* Tour. *Sedum alpinum trifido folio* C. B. quodque attactu eſt viſcoſum. Petala habet quinque pallido lutea, ſtamina ſubflava uti & apices, calycem quinquefolium viridem. Inveni in Gotthardi Monte prope oſſuarium, & paſſim alibi in Alpibus Helveticis & Rhæticis, Saxis muſci ad inſtar reſidens.

Saxi-

Saxifraga tridactylites Pyrenaica lutea minima Tour. quo retuli alias *Sedi alpini III. Fr. Gregorii Rhegienſis Col. primam* & *Secundam Varietatem*; nec non *Saxifragam tridactyliten, alpinam minorem & Villoſam.* Tour. *Ejuſdemque Saxifragam Pyrenaicam foliis partim integris, partim bifidis* Tour. attactu non eſt viſcoſa, petala habet quinque viroris pallidi, ſtamina in coronam diſpoſita vireſcentia, apices croceos & coccineos, calycem tetraphyllon viridem.

Saxifraga alpina minima foliis cæſiis deorſum incurvis Tour. quam eandem ſuſpicor cum *Sedo alpino minimo foliis cinereis flore candido* J. B. & *Sedo alpino albo foliolis compactis* C. B. Petala habet floris ſex candida, in extremitate rotunda, ſtamina pallida cum apicibus flaveſcentibus, folia ſaturatè viridia punctis 5. vel 7. albis notata ſucculenta.

De *Sedo alpino Ericoide* adnoto, ex eodem caule qui quaquaverſum ramos ſuos rupibus irrepentes ſpargit, ſurculos craſſiores *folioſos* crebris foliis rotundioribus, ſpinulis ad margines cinctis, & ſquamatim veluti in quatuor angulis invicem incumbentibus (unde hi ſurculi folioſi & florigeri, veluti tetragoni apparent) ſtipatos.

Sedum alpinum floribus luteis maculoſis C. B. quod coincidit cum *Sedo minori alpino luteo Anglico* Raji Hiſt. Plant. p. 1042. duplex invenio, unum petalis eſt quinque crocei vel mellei coloris, vaſculo ſeminali bicorni etiam rubri, & aliquando coccinei coloris, petala ipſa punctis flavis obſcuriuſculè ſunt notata, ſtamina ſubrubra, imo & coccinea, ſi vaſculum ſeminale ejuſdem eſt coloris, apices lutei, calyx ad Floris exortum rubeſcit. *Alterum* petala habet flava, punctis croceis notata; ſtamina pallida ut & apices, calycem pentaphyllum viridem. Huc forſan pertinet *Geum anguſtifolium autumnale flore luteo guttato.* Tour. Seu *Saxifraga anguſtifolia autumnalis, flore luteo guttato foliolis florum magis acuminatis.* Breyn. Cent. I. 106. Gei ſanè character Sedo noſtro convenit, & Saxifragæ Breynianæ deſcriptio.

Soldanellam alpinam rotundifoliam C. B. niveo flore, offendi in Valle Piora ad Ticini exortum in Alpibus Lepontiis.

T.

Teucrium alpinum inodorum magno flore C. B. quod idem eſt ex mente Parkinſoni cum *Teucrio foliis Scorodoniæ* C. B. florem geſtat cœruleum hirſutum, labio ſuperiori concavo, inferiori tripartito, ad floris Centrum undique reflexo.

Thymelæa alpina linifolia humilior flore purpureo odoratiſſimo. Tour. *Thymelææ affinis facie externa* C. B. *Cneorum ſuffrutex Mathioli* J. B. Flores habet aliquando intus albos, extus ſaturatè purpureos, plerumque tamen, ut Scriptores habent, prorſus *ex rubro purpuraſcentes odoratos.* Elegantiſſimum hunc fruticem copioſe naſcentem inveni in Alpe Uriorum Fiſmat, quæ Glaronenſi Territorio eſt contermina.

Tithy-

Tithymalus Cypariſſias C.B. J. B. *candidior, foliolis anguſtis*, addo rigidioribus, *Eſula candidior Cœſalpino*, quæ ſecunda eſt varietas in C. B. Pin. ad Ripam Rhodani in Valleſia locis ſiccioribus.

Trifolium alpinum flore magno radice dulci C. B. *Trifolium alpinum Aſtragaloides* J.B. florem habet papilionaceum eleganter purpureum in ſpicam congeſtum, ſtriis ſaturatioribus pictum, labium ſuperius longum, recurvum, carinatum, alas binas & Carinam minores ſeu breviores & pallidiores, in Alpibus Rhæticis, Lepontiis & Valleſiis editioribus frequens.

Tuſſilaginis alpinæ rotundifoliæ caneſcentis C. B. ſeu *Tuſſilaginis alpinæ minoris folio rotundo* J.B. Calyx eſt craſſus, cylindraceus, ſubviridis, in apices purpureos ſeſe terminans, è quo prodeunt floſculi fiſtuloſi dilutè purpuraſcentes, in quinque lacinias æquales diviſi. Stylus eſt longus albus, ſtamina alba, apices purpurei longi pro floſculi magnitudine. Abeunt flores in ſemina papposa. Patet hinc referri hanc Plantam debere ad *Petaſitidis genus*. Suſpicor pertinere huc *Petaſiten minorem alteram Tuſſilaginis folio*. H.R.Par. ſeu *Petaſiten minorem folio Tuſſilaginis* Moriſ. H. R. Bleſ. Deeſt mihi adhuc notitia foliorum.

V.

Veronica quædam foliis glabris in Gemmio florem habet tetrapetaloidem ſaturatè cœruleum, tubo candido, calycem tetraphyllum hirſutum, nigricantem.

Violæ alpinæ rotundifoliæ luteæ C.B. ſeu *Violæ Martiæ luteæ* J.B. deſcriptiones, Cluſiana & Bauhiniana, adeo ſunt exquiſitè, ſpeciatim circa florem, ut addi nil poſſit.

Virga aurea montana minor. Bocc. Muſ. Plant. p. 169. Tab. 118. in Gemmio aliiſque Valleſiæ imo & Helvetiæ Alpibus paſſim. Folia ima habet rotundiora, ſerrata, pediculis longis nixa, ſuperna anguſtiora, non vel rarius ſerrata.

FINIS.

SPECIAL 87-B
14211
v.1

THE GETTY CENTER
LIBRARY